BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
L. V.
C.
35
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
B. PAULO APOSTOLO
IN MELITAM
SICULO-ADRIATICI MARIS INSULAM
NAUFRAGIO EJECTO
DISSERTATIONES APOLOGETICÆ

IN

Inſpectiones anticriticas R. P. D. Ignatii Georgii de Melitenſi Apoſtoli Naufragio, deſcripto in Act. Apoſt. *cap. XXVII. & XXVIII.*

AUTORE

C. JO: ANTONIO CIANTAR.

Quæ autem in præſenti opere continentur, Pagina poſt Præfationem docebit.

VENETIIS,

APUD CHRISTOPHORUM ZANE.

SUPERIORUM FACULTATE AC PRIVILEGIO.

MDCCXXXVIII.

Bibl. dom. Prof. Neap. Soc. Jesu
Catal. inscript.

Digitized by Google

Digitized by Google

MARIÆ ANNÆ
AUSTRIACÆ,
LUSITANIÆ, ALGARBIÆ, GUINEÆ, &c.
REGINÆ SEMPER AUGUSTÆ.

JOH. ANTONIUS CIANTAR P.F.D.

MUlta ſunt, Regina ſemper Augu-
ſta, quæ univerſi orbis homines in Tui vene-
rationem alliciunt, impelluntque. Sacratiſſimo-

Digitized by Google

rum Cæſarum Filia, Auguſtiſſimi Imperatoris Soror, Potentiſſimi Regis Conjunx, ter glorioſa, ter beata audis, atque inter ceteras hujuſce ſæculi Principes Fœminas ſingulari quodam ſplendore emicas. Iſta quidem magna ſunt, hominibuſque magnifacta. Mihi autem quædam alia in Te lubet conſiderare, vel in ipſis Cœlitbus magni ducenda. Quæ nempe ſunt eximiæ Animi Tui pluſquam Regii dotes virtuteſque. Atque heic, quale quantumque orationi meæ ſeſe offert argumentum! Hoc ſane pelagus vaſtius eſt, quam ipſum ego valeam tranſmittere. Ecquis enim tanta dicendi vi pollet, ut univerſas Tuas virtutes, quarum ſingula diſertiſſimum quemque Oratorem enervaret; perbrevi epiſtolæ ambitu complecti, imo vel leviter adumbrare poſſit? Itaque ſatius erit mihi eas venerabundo ſilentio prætermittere, quam minus æquo commendare. Niſi Pictorum induſtriam malim æmulari, qui licet colores ad exprimendum lucidiſſimum omnium Planetarum Solem accommodatos, idoneoſque non habeant; eum tamen, quomodo poſſunt, adumbrare conantur. Perfunctorie igitur nonnullas ex innumeris Tuis virtutibus percurram, ipſaſque magis admiranti, quam laudanti ſimilis indicabo. Et primo quidem miranda mihi occurrit ceterarum virtutum niſi Princeps, certe moderatrix Prudentia, quæ in Te adeo perſpicua effulget, ut Philippum Vilhelmum Neoburgi Ducem, Electorem Palatinum Rheni, Avum Tuum, qui Germaniæ Neſtor audie-

bat,

bat, adamuſſim referas. Necnon piiſſimum hunc Principem, ſingularem SS. Euchariſtiæ cultorem, atque ab ipſis Heterodoxis appellatum Orthodoxæ Fidei Propugnatorem, atque Propagatorem egregie imitaris ſumma in Deum pietate ac religione, qua Divina Templa frequentas, Dominicum corpus veneraris, Sacroſque Dei miniſtros honore ac reverentia proſequeris. Sed nonne vel Regiam illius munificentiam, & heroicam animi magnitudinem ipſa æmularis? Ille quidem Nuncio, Poloniæ coronam ſibi imminentem, alteri delatam eſſe, referenti plurimos aureos donavit: nempe Regnum ab aliis expetitum ſolus ipſe negligebat; & Regno dignus eſſe malebat, quam regnare. Haud ſecus Tu vel immerentes beneficiis obſtringis, animumque geris fortuna majorem, atque non tam Regio Diademate illuſtraris, quam ipſum illuſtras. Sed quid e longinquo virtutes Tuas deducere opus eſt; quandoquidem e proximiore fonte ipſas exhaurire poſſumus? Siquidem a Sacratiſſimis Parentibus Tuis, Leopoldo, atque Eleonora, gemino ætatis noſtræ miraculo, Sanctiſſime educata, Te digniſſimam tantis Genitoribus Filiam exhibes, Ipſorumque virtutes virtutibus Tuis perennas. Ecquis autem eſt hodie tam inacceſſus atque inhoſpitus in terris locus, quo Leopoldi ac Eleonoræ virtutum & Sanctimoniæ fama minime pervaſerit? Quæ gens adeo inculta & barbara, quæ immortale Ipſorum nomen haud veneretur? Nihil eſt ergo cur quiſpiam miretur, Te tanta vitæ integritate, ac

mo-

morum candore præditam, adeoque pietati addictam? Deſinant igitur obſtupeſcere, quos ad colloquium Tuum admittere dignaris, ineffabilem Humanitatem Tuam cum Majeſtate, Gravitatem cum ſimplicitate conjunctam, mirabili quadam virtutum, nullo vitiorum confinio deturbatarum, concordia. Verumenimvero licet ejuſmodi educationi virtutes Tuæ nonnihil referri debeant; tamen pulcherrime & ut ita dixerim, angelicæ indoli Tuæ potiſſimum attribuendæ ſunt. Equidem, Regina Glorioſiſſima, in ipſo vitæ Tuæ primordio, Te tanta munerum omnium Auctor venuſtate, elegantia, & vivacitate exornavit, ut ad virtutis plane indolem efformata videreris. Quod quum a lætis adſtantibus accepiſſet Sacratiſſima Mater Tua, per plures hebdomadas Te noluit proprio lecto excipere, imo neque intueri; quamvis e proximo cubiculo, in quo pretioſis panniculis involuta manebas, tenelli Tui vagitus, blandulæque voculæ perbenignas Ipſius aures, multoque magis clementiſſimum cor ferirent. Nimirum hoc pacto lætitiam, quam feliciſſima Nativitas Tua ſibi afferebat, compeſcere Ipſa ſtudebat, maternum ſuum amorem Divino amori immolans: Cujuſmodi ſacrificium Deo Exercituum pro Cæſareis Militibus prælium inituris illa obtulit. Quod quum legiſſem, Reginarum optima, nimium quantum gaviſus ſum! Felicem Matrem! Felicem Natam! mecum ipſe tacitus agitabam: Hæc Naturæ donis amabilis; Illa cœleſti virtute Naturam ſuper-

In vita Eleon. pag. mihi 39.

perexcellens! Altera alteri inviſa, quod viſu digniſſima; altera alteram cernere renuens, cujus aſpectu nihil ſibi contingeret jucundius! Propterea audaciæ meæ ignoſcere ne dedigneris, Regina Clementiſſima, ſi tot tantiſque Tuis dotibus illectus humillimam in Te venerationem meam pertenui hoc munuſculo patefacere auſus fuerim. Præſertim quod mihi ſuppetunt aliæ peculiares cauſſæ, quæ me ad hoc ipſum impulerint. Nempe immenſa beneficia, quibus glorioſiſſimus Rex Johannes V. Vir Tuus, Comitem Ignatium Franciſcum Wuzzinum Paleologum, ac Equitem Salvatorem Hyacinthum, hujus filium, alterum Socerum meum, alterum uxoris meæ fratrem, humillimos famulos Tuos, munificentiſſime cumulavit; ſperare me jubent fore ut haud abſimilem gratiam apud S. R. Majeſtatem Tuam inveniam. Et o me fortunatiſſimum! Si potentiſſimo Tuo Patrocinio Diſſertationes haſce meas ſiſtere promeruero. Jam mihi nihil officere valebunt Zoilorum rhonchi, nihil invidorum dentes, nihil temporum injuriæ. Ageſis ergo, Regina Auguſtiſſima, Opuſculum hoc meum Immortali Tuo nomini feras inſcriptum: Et, quæ inter alios præclariſſimos Titulos quibus peculiariter decoraris, Domina navigationis audis huic noſtræ navigationi, qua Gentium Doctorem e Cretæ oris ad Melitam Siculo-Adriani maris inſulam deducimus, præeſſe ne graveris: Atque id etiam efficere digneris, ut, ſicut naufragus Apoſtolus a Principe noſtro Publio fuit per-

huma-

humane ſuſceptus ; ita nunc glorioſum illius naufragium , a nobis expoſitum , Tibique conſecratum , Regia , qua ſoles , benignitate excipias . Interimque me , Conjugem , Liberoſque meos S. R. Majeſtati Tuæ humillime dedico : Deumque ſupplex exoro , ut una cum Glorioſiſſimo Rege Tuo, Populorum Vobis ſubjectorum felicitati operam navare pergas , & tamdiu regnes , ut Regios Tuos Abnepotes videas tum ætate , tum virtute gloriaque grandiores .

Anno 1737. die 2. Novembris.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

§. I. **Q**UÆ *ſingula injuſtarum cauſſarum Patronis evenire conſueverunt, ea plane Adverſario noſtro contigiſſe mihi videntur univerſa. Etenim ſive illi, ubi delatas ſibi cauſſas æquitatis parum exploratas viderint, ad* σόφισματα *(a) captioneſque confugiunt;* Ἀντιλέγων *(b) noſter, quum naufragi Gentium Doctoris appulſum Melitæ ſuæ vindicare urgentibus argumentis nequaquam potuerit, cavillationibus, verſutiiſque omni conatu innititur. Sive illi ſacratas juris regulas argute magis, quam ſincere interpretantur, atque allegant; hic Auctores in quotquot offenderit, in ſententiam ſuam, invitos licet, ac reluctantes advocat, eorumque auctoritatibus tantam vim infert, ut [illegible] anima, ut ita dixerim, carere, ſologue ſpiritu Interpretantis vivere videantur, ex cujus ſenſu, quod ſceptrum erat, plectrum evadit, & quæ noctua dicebatur, cornix audit (c). Sive illi, ut ait D Bernardus, ſunt* diſerti adverſus juſtitiam, eruditi pro falſitate, eloquentes, ut impugnent verum; *hic omnigenam ſuam eruditionem, captioſamque eloquentiam in ſubvertenda potius, quam inpervestiganda veritate adbibet. Demum ſicut illi æquos, ac prudentes judices in partes ſuas trabere in caſſum conantur; bic ingenuos, emunctæque naris Lectores in ſententiam ſuam flectere fruſtra contendit. Hinc eſt, quod immortalis nominis ſcriptorum Herculeam aciem a nobis ſtantem ipſe conſpiciens, eamque aliis armis fundere non valens, iniquis inceſſit conviciis, apertiſque, ut ex parœmia loquar, tibiis inſectatur, ut fama ipſorum proſtrata imprudentum Lectorum ſuffragia extorqueat. Sed ne me quis (d)* ἀβούλως *loqui ſuſpicetur, ipſiuſmet verba accipiat.* Utque in hac controverſia (*inquit*) ipſorum famam, qua potius, quam ſolidis rationibus præliantur, tamquam meam præcipuam hoſtem imminuam: palamque faciam, utut alibi ſapientiſſime ſcripſerint, hic certe tamquam Meduſæo vultu obſtupefactos, tum quid dicerent, tum qua de re ageretur, perſæpe ignoraviſſe. *Ve-*

D. Bernard. de conſiderat. lib. 1. cap 9.

§ *ſtram*

(a) Sophiſmata. (b) Adverſarius (c) Alluditur ad notas parœmias: *Alia res ſceptrum, alia plectrum: aliud noctua ſonat, aliud cornix.* (d) Temere.

tram fidem Lectori; anne unquam audiſtis ſapientiam cum ignoratione conjungi? Anne creditu facile ducitis, ſapientiſſimos viros ita potuiſſe allucinari, ut quæ ſcriberent, tractarentque, ipſi ignorarent? Heic ſane ſycophanta noſter mihi in mentem redigit impiam Lutheri petulantiam, qui contendebat Jeremiam *Prophetam, haud intellexiſſe, quæ ipſe vaticinabatur* (a). *Quis autem Adverſarii impudentiam mirari ſatis poſſit, quum eorumdem, quos objurgat, ſcriptorum auctoritates, tamquam folia Sibyllina, in medium ille proferat, & curvus adoret, ſi forte fortuna ullas invenerit, queis aliquam e ſuis vel parvi momenti aſſertionibus confirmare valeat!*

§. II. Nec ſat ei fuit tot, tantiſque viris ignaviæ notam inuſſiſſe; verumetiam ipſos adulationis vitio affectos eſſe, ac In Procem. §. 3. Cajetan. in Iſagog.c.19. *in obſequium Equitum* Joannitarum *Apoſtoli naufragium Melitæ adſciviſſe dictitat, teſtemque producit Octavium Cajetanum ita loquentem:* Ad Siculam hiſtoriam ſpectare arbitror Pauli Apoſtoli Melitenſe naufragium, quo factum eſt, ut is in Siciliam venerit; ad hoc, ut Melitam Inſulam, Siciliæ amicam, nobis demereamur, & clariſſimum ordinem Hieroſolymitanum, cujus in præſentiarum colonia ſacra eſt. *Sed quid inde? Nonne e pumice, ut ajunt, aquam poſtulat noſter (a) Ανταγωνιςης? Numne quæ in alicujus gratiam ſcribuntur, falſa neceſſario eſſe debent, & aſſentationi obnoxia? Numquid veras, debitaſque laudes proferre ora obſequentia non poſſunt? Ergone Cajetanus ſeſe mendacem, ineptumque ſcriptorem præbere, ac oſtendere voluit, ut Melitenſibus Equitibus morem gereret? Næ tum Melita, tum Jeroſolymitana militia uberrimam verarum, propriarumque laudum materiem cuicumque ſcripturo ſubminiſtrare potis eſt: tantum abeſt, ut alterutram laudare cupiens ad falſa, atque aliena encomia ſeſe debeat convertere. Verumenimvero reſipiſcens Adverſarius, & inconſtantiæ, quam nobis exprobrat, reus palinodiam canit.* Quomodo enim *(ipſe inquit)* non horruiſſent viri graves, ac pii prodere aſſentationi ſacroſanctæ Hiſtoriæ fidem: & a divini Codicis (in quo apices ipſi adorandi ſunt) propria, & pervulgata ſententia, ac germana, facileque intelligibili ſignificatione verborum, animum avertiſſent, ut in Melitenſium gratiam ad fabulas con-

ver-

(a) Conſule Ambroſium Catharinum in Excuſatione Diſputationis contra Martinum in tom. 3. Biblioth. Pontif. (b) Antagoniſta.

Digitized by Google

verterentur? *At quis inſinceræ recidivi Calumniatoris pœnitentię credat? Rurſum ille in eumdem lapidem offendit: quippe conqueritur, poſt An. Ch.* MDXXIX. *(a) quo Jeroſolymitanos Equites in Melitam veniſſe opinatur, univerſos fere* Biographos Pauli, Actuumque Apoſtolicorum Exegetas adverſus Meletam *conſpiraviſſe, eamque ex honorifico Lucæ Annalium loco, in quo antea a plurimis ſapientibus poſita erat, extrudiſſe. Quod quantum a veritate alienum ſit, ſatis ſuperque demonſtrabo in diſſertationum progreſſu, in quibus ſexcentos afferam receptiſſimos Auctores, qui licet multo ante inclaruerint, quam Jeroſolymitana Militia e Rhodo in Melitam commigraverit, ſententiæ noſtræ conſona protulere.*

§. III. Atque hic mihi obverſatur altera noſtri Ariſtarchi oppoſitio, ſeu verius cenſura. Is quum innumeros eſſe Fautores noſtros inficiari non poſſit, ac ſeſe contra torrentem niti ſentiat; eos alterum ex altero tum argumenta, tum verba exſcripſiſſe cornicatur. Verum tantum abeſt, ut hac cenſura opinio noſtra profligetur, ut magis atque magis ex ea robur deſumat. Quis enim ignorat, opinionibus, quæ, ut noſtra, perſpicuæ veritati, ſanæque doctrinæ innituntur, argumenta adeo nitida, ac obvia opitulari, ut Litteratorum fere omnium animis eadem facile protinuſque obverſentur. Sed age ſint, ut Adverſarius blaterat, alter alterius exſcriptores cauſſæ noſtræ Patroni. Quid inde? Nonne prudentior, certiorque cenſenda opinio eſt, quam tot Clariſſimi Viri ſequuntur, ac propugnant? Ita ſane. Proinde de Fautoribus noſtris dicere poſſumus, quod de Chriſtianis aſſerit Octavius apud Minucium Felicem: Quod in dies noſtri numerus augetur, non eſt crimen erroris, ſed teſtimonium laudis. In Dialogo, cui Titulus, Octavius.

§. IV. Putabit fortaſſe qui hæc leget, ſeveriſſimum noſtrum Cenſorem e nullo Scriptore pro ſtatuenda, ſeu verius cohoneſtanda ſua ſententia materias, & argumenta emendicaſſe, ſed ea prorſus nova, atque e mentis ſuæ, ut ita dixerim, penetralibus deprompta protuliſſe. Verum tota aberrabit via qui hoc ſibi ſuadebit: Nedum enim crambem recoctam affert noſter Antagoniſta, verum etiam præ omnibus Auctoribus nobis adver-

§ 2

(a) Qui abſtruſa, ac recondita perſcrutetur Adverſarius, ſi in p[illegible]enda dilucidarum, totoque orbe notiſſimarum rerum ignoratione verſatur? Rodios enim Equites in Melitam veniſſe anno 1530. unanimi conſenſu teſtantur Jeroſolymitani Scriptores cum Abela meritiſſimo ejusdem ordinis Vicecancellario, necnon plures exteri, quos recenſebo in Melitæ Deſcriptione §. 40.

adverſantibus unum ſpeciatim ſequutus eſt a ſacroſancta Orthodoxa Eccleſia reprobatum, qui ſe quoque nova proferre jactat. Matthæus Beroaldus hic eſt, cujus numquam meminit Adverſarius, ne forte videretur eo duce hoc certamen iniviſſe. Utque id Lectori meo liquido conſtet, illius verba heic tranſcribere operę pretium duco. Non eſt prætereundus (*inquit ille*) error qui recentiorum *(a)* Geographorum authoritate confirmatus in pluribus hæſit codicibus, de Melita Inſula vicina Siciliæ, ad quam naufragio ejectum fuiſſe Paulum Apoſtolum exiſtimant: Quum ex ipſo ſcripturæ ſacræ contextu in aliam longe Inſulam ab ea, quæ vulgo creditur, fuiſſe expulſum diſcimus. Et ne in hac re longiores *(b)* ſimus, & quum nova proferamus, aliena videamur a vero dicere, age ſpectemus ipſius Scripturæ Sacræ verba, Act. *c.* 27. Centurio, cui traditus fuerat Paulus Romam deducendus, plus fidei nautis habuiſſe, quam Paulo ſuadenti, ut hybernarent in Creta: Unde naufragium eo capite deſcriptum contigit, quo declarat Apoſtolus omnes in quamdam inſulam ejiciendos, ut habetur v. 26. In ſequenti autem verſu 27. docetur decima quarta nocte, ex quo jactari tempeſtatibus cœperant, eos fuiſſe in mari Adriatico, in quo navi fracta ejecti fuerunt omnes in Inſulam ejus maris Adriatici, quam intelligunt dici poſtea Melitam. Eſt ergo Melita Inſula, in quam cum reliquis, qui vehebantur eadem navi fuit ejectus Paulus, in mari Adriatico; in quo Ptolemæus *(c)* poſt Corcyram, quæ veluti fauces Adriatici ſinus occupat, collocat Melitam, aut Meladam, quæ longe alia eſt ab ejuſdem nominis inſula Melita, quam dicimus hodie Maltham, quæ quidem in Mari Africo verſus Siciliam jacet. Quod autem induxit Geographos hujus temporis, & noſtrorum pleroſque, ut crederent Apoſtolum Paulum naufragio ejectum fuiſſe, in Melitam inſulam, quam Maltham hodie vocant, id opinor in cauſa fuit, quod non intellexerunt quid valeret vox Syrtis, quæ verſu ejuſ-

M. Beroaldus Chron. lib. 4. in fin.

(a) En unde didicit Adverſarius Neotericos Scriptores parvi pendere.

(b) Quæ breviter Beroaldus perſtrinxit, prolixis diſceptationibus expoſuit Adverſarius. (c) Ptolemæum allegit ſibi refragentem Beroaldus, quippe ille Adriam vel in mari Siculo, in quo Inſula noſtra ſita eſt, recognoſcit: necnon Dalmatenſem Inſolam noſtræ æmulam numquam Melitam, ſed Meligenam, aut Melitenem appellat. Hinc eſt, qood Adverſarius Magiſtro ſoo callidior Ptolemæi auctoritatem reſpuit, contemnitque. Uterque tamen contemnendus: ille quod Auctorem ſibi repugnantem advocat; hic quod ſcriptorem magnifaciendum parvipendit.

ejuſdem cap. 17. ponitur, ubi dicitur: Timentes ne inciderent in Syrtim. Exiſtimarunt autem Syrtis vocabulum eo loco pertinere ad eos ſinus Africæ periculoſos, & vadoſos, quibus Syrtium eſt nomen. Atque ita eſſe declarant annotationes in eum locum, quæ dicunt Syrtim eſſe ſinum in Africa: Id vero cum ſibi perſuaſiſſent, putaverunt Apoſtolum feciſſe, naufragium in mari Africo, atque inde fuiſſe delatum in Melitam eam, quæ in illo mari eſt ſita, & tamen inde abiit longiſſime, ut debuerit potius ejici in Africæ litus, quam deferri inde ad Melitam. Sed debuerant ſpectare contextum v. 27. (a) quo diſerte docetur naufragium contigiſſe in mari Adriatico, quod longiſſime abeſt ab Africo. Et quod ad vocem Syrtis attinet, intelligendum eſt Syrtim ſignificare loca vadoſa, in quæ pulſa navigia poſtea abſorbentur: dicitur enim ſyrtis a verbo Græco σύρω, ideſt traho. Nam ejuſmodi loca deſtituta aquæ copia, veluti trahunt, & retinent, ad ſe pulſas naves, quas tandem abſorbent, arena ipſa cedente ponderi more luti, & terræ dilutæ multa aqua, quæ pondera ipſa admittit, & recipit, atque intra ſe recondit. Quia vero in illis finibus prætenſis litori Africæ, talia ſunt pericula, iis Syrtis minoris, & majoris appellatio eſt tributa. Sed in hac hiſtoria Naufragii Melitenſis, vox Syrtis non eſt loci nomen proprium ſed nomen eſt appellativum (b) quo periculum loci vadoſi deſignatur in mari. Quod quidem ex Virgilii verſu poteſt intelligi: ubi voci græcæ latina eſt conjuncta idem ſignificans: *In brevia, & Syrtes urget* &c. Syrtes enim ſunt loca vadoſa, qua voce latina reddenda eſt hoc loco græca, & tollenda de ſinu Africo annotatio, & pro, Timentes ne in Syrtim inciderent, vertendum eſt, Timentes, ne in loca vadoſa inciderent. Præterea Tabulæ Geographicæ; quibus exponi ſolet illa Pauli Apoſtoli navigatio, & deportatio Romam, ſunt emendandæ (c), & a Clauda inſula navis eſt deducenda in ſinum Adriaticum, non autem in Africi litoris ſinus: & in litore Melitæ inſulæ, quæ eſt poſt Corcyram, naufragium depingendum eſt, &c.

§. V.

(a) At ipſe debuerat quoque ſpectare contextum *v. 12. cap.* 28. ubi dicitur Syracuſas appuliſſe Paulus, ſtatim ac e Melita Puteolos verſus diſceſſerit. Nos enim & hæc, & omnia alia, quæ a D Luca narrantur, reſpicimus. (b) Cur & Adriæ nomen in eadem hiſtoria appellativum non eſt?

(c) Beroaldi mandatis pronus obtemperavit Adverſarius: nempe tabulam Paulinæ navigationis talem appinxit, qualem ille ſtatuit.

Melchior. Incofer in in Conjectation. Epiſtol. B. Mariæ V. ad Meſſan. c. 52.

§. V. *Quæ Beroaldi verba tamquam imprudentiæ, ac temeritatis plena non immerito notat carpitque ſapientiſſimus quidam Scriptor; illumque aſſimilat cuidam ſimpliciſſimo, ac pene amenti Hæreſiarchæ, qui quum Eon vocaretur, audiretque interdum in Eccleſiis, vel ipſe legeret in ſacris paginis:* Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum dicens: in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent; *ob ſimilitudinem vocum* Eon, & eum, *de ſe ſermonem haberi dementiſſime opinatus, hæreſim diſſeminavit, & quamplures amentiæ ſuæ ſocios brevi nactus eſt.* Ita (*ſubdit prælaudatus Auctor*) qui Melitam, ſive Meledam Adriatici Maris inſulam cum Melita Mediterranei maris confundat, facillime erret, longeque periculoſiorem, quam metuebat Pauli navis, in Syrtim impellatur. *Addam ergo Beroaldum in Chronicis ſuis ſæpenumero allucinatum eſſe: quippe a Mundi Creatione uſque ad natalem Sacratiſſimi Reparatoris noſtri diem nonniſi annos 3928. interlapſos eſſe, & verbum Divinum in menſe Decembri humanam carnem aſſumpſiſſe opinatur. Porro eum ut parum cautum, ac pluribus erroribus obnoxium habet Scheferus.*

Jo: Scheff. de milit. naval. vet. lib. 2. cap. 6.

Conſt. Porphyr. in lib. de adm. imp. cap. 36.

§. VI. *Non autem me latet, quod multo ante Beroaldum Imperator Conſtantinus Porphirogenitus excepti e naufragio Apoſtoli gloriam* Meletæ *attribuerit. Memini equidem, eum* in libro de adminiſtrando imperio ad Romanum filium cap. 36. hæc habere: alia magna eſt inſula, quæ Meleta, Μελέτα, vocatur, cujus in actis Apoſtolorum meminit S. Lucas, Melitam eam nominans, ubi & vipera S. Pauli digitum mordens, ab eo excuſſa igni concremata eſt. *Sed nec ignoro, quanti facienda ſit hujus ſcriptoris auctoritas. Profecto* neceſſe eſt dicere, *cum Thoma Maſſutio*, fuiſſe ab aliquo falſa referente Imperatorem deceptum: neque id mirum videri debet, cum ipſe longe abeſſet, vixeritque ſemper in oriente, nec ſine aliqua oſcitantia in rebus publicis adminiſtrandis, & vino deditus, ut de illo tradit Curopalates (*a*). *Præterquamquod* ipſemet Imperator, cum ait, Meletam vocari, quæ eſt in Illyrico: illam vero a Luca commemoratam Melitam dici, ſuum ipſum infirmat, vel ſuſpectum reddit teſtimonium, *ut ſcite advertit idem Maſſutius, qui Conſtantini teſtimonio aliud antiquius, ac fide dignius opponit, ſcilicet eminen-*

Thom. Maſſut. in vit. S. Paul. lib. 11. cap. 10.

(a) Attamen hoc vitium in Conſtantino haud recognoſcit Adverſarius, licet ebrietatis inſimulet Favorinum, ſapientiſſimum Philoſophum. Nimirum hic ei refragatur in aſſignandis Ventorum plagis.

nentiſſimi Aratoris; quod heic miſſum facimus, illud in Diſſertatione quarta fuſius, aptiuſque producturi. Verumtamen Porphirogenito temperandum arbitror, quoniam per tranſennam id egit, & ſicco, ut ajunt, pede tranſivit. At venia prorſus indignus eſt Beroaldus, qui intento animo, adbibitoque ſtudio rem expendit, & poſtpoſito ſapientum virorum judicio futilem Conſtantini ſententiam amplexus eſt, licet nullam de ipſo mentionem fecerit.

§. VII. *En auctorem, ingenue Lector, quem potiſſimum ſequitur Zoilus noſter, qui prudentiſſimos Scriptores nobis faventes* oſcitantes, ſtupidos, dementientes *appellare non erubeſcit. A tanto Geographiæ Magiſtro ſpecioſiora ſua argumenta, regulamque ipſe deprompſit emendandi exactiſſimas Pauline navigationis Tabulas a tot peritiſſimis Geographis delineatas, & Apoſtoli navis a Clauda inſula in Adriaticum ſinum deducende, ejuſque naufragii in Melituſeo litore depingendi. Sed tranſeamus ad aliud cenſurarum, ſeu verius conviciorum caput.* Inter ſe (*ille inquit*) & ſecum ipſi pugnant Philomalteníes. *Atque heic mihi redit in memoriam Martinus (a)*, cujus peculiaris eſt mos, teſte Ambroſio Catharino, ut ea quibus expugnatur maxime, vel diſſimulet, ac dimittat, aut ſi quando compellitur ea non præterire, mille tamen coloribus ac mendacibus fucis, & mire confictis calumniis quaſi vetus adultera operiat: verbi gratia, erit Hieronymus contra illum, erit Gregorius, erit Auguſtinus, erunt alii, plerumque etiam omnes ſimul Doctores, non poterit reſpondere, nec gloſſam addere, quamvis falſam. Quid tunc Martinus? Nempe cum aliud in mentem non venit, in illos omnem calumniam rejicit, videlicet, quod alibi decies contrarium ſcripſerunt, itaut ſic inſanos, & ſui ſimiles omnes nobis Doctores reddat, ut qui tam crebro, tamque facile in re præſertim tanti momenti ſibi ipſis adverſentur, & (quod ſtultius eſt) in eodem loco. *At quanam metamorphoſi pugnantes inter ſe facti ſunt, qui nuperrime alter alterius erant* pediſſequi ac exſcriptores? *Linguis favere oportet: ita ex Tripode definivit noſter Antagoniſta: nec immerito. Quidam enim e noſtris Fautoribus in Greco Luce Annalium textu* Euroaquilonem, *non* Euroclydonem *legi affirmant; contra alii ſolo* Euro, *vel* Euroclydone *contenti, e grecis codicibus veſtigia* Aquilonis *exterminant.*

Ambroſ. Cathar. in excuſat. Diſp. contra Martin.

(a) Quamvis piiſſimus noſter Antilegon moribus, ac fide Luthero multum abſimilis ſit, nihilominus illius in diſputando modos, arteſque æmulatur, ut perſpicuum erit conſulenti Ambroſium Catharinum *loc. cit.*

Digitized by Google

Melchior. Incofer in Conjectation. Epiſtol. B. Mariæ V. ad Meſſan. c. 52.

§. V. *Quæ Beroaldi verba tamquam imprudentiæ, ac temeritatis plena non immerito notat carpitque ſapientiſſimus quidam Scriptor; illumque aſſimilat cuidam ſimpliciſſimo, ac pene amenti Hæreſiarchæ, qui quum Eon vocaretur, audiretque interdum in Eccleſiis, vel ipſe legeret in ſacris paginis:* Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum dicens: in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent; *ob ſimilitudinem vocum* Eon, & eum, *de ſe ſermonem haberi dementiſſime opinatus, hæreſim diſſeminavit, & quamplures amentiæ ſuæ ſocios brevi nactus eſt.* Ita (*ſubdit prælaudatus Auctor*) qui Melitam, ſive Meledam Adriatici Maris inſulam cum Melita Mediterranei maris confundat, facillime erret, longeque periculoſiorem, quam metuebat Pauli navis, in Syrtim impellatur. *Addam ergo Beroaldum in Chronicis ſuis ſæpenumero allucinatum eſſe: quippe a Mundi Creatione uſque ad natalem Sacratiſſimi Reparatoris noſtri diem nonniſi annos 3928. interlapſos eſſe, & verbum Divinum in menſe Decembri humanam carnem aſſumpſiſſe opinatur. Porro eum ut parum cautum, ac pluribus erroribus obnoxium habet Schefferus.*

Jo. Scheff. de milit. naval. vet. lib. 2. cap. 6.

Conſt. Porphyr. in lib. de adm. imp. cap. 36.

§. VI. *Non autem me latet, quod multo ante Beroaldum Imperator Conſtantinus Porphirogenitus excepti e naufragio Apoſtoli gloriam* Meletæ *attribuerit. Memini equidem, eum* in libro de adminiſtrando imperio ad Romanum filium cap. 36. hæc habere: alia magna eſt inſula, quæ Melera, Μελέτα, vocatur, cujus in actis Apoſtolorum meminit S. Lucas, Melitam eam nominans, ubi & vipera S. Pauli digitum mordens, ab eo excuſſa igni concremata eſt. *Sed nec ignoro, quanti facienda ſit hujus ſcriptoris auctoritas. Profecto* neceſſe eſt dicere, *cum Thoma Maſſutio*, fuiſſe ab aliquo falſa referente Imperatorem deceptum: neque id mirum videri debet, cum ipſe longe abeſſet, vixeritque ſemper in oriente, nec ſine aliqua oſcitantia in rebus publicis adminiſtrandis, & vino deditus, ut de illo tradit Curopalates (*a*). *Præterquamquod* ipſemet Imperator, cum ait, Meletam vocari, quæ eſt in Illyrico: illam vero a Luca commemoratam Melitam dici, ſuum ipſum infirmat, vel ſuſpectum reddit teſtimonium, *ut ſcite advertit idem Maſſutius, qui Conſtantini teſtimonio aliud antiquius, ac fide dignius opponit, ſcilicet eminen-*

Thom. Maſſut. in vit. S. Paul. lib. 11. cap. 10.

(a) Attamen hoc vitium in Conſtantino haud recognoſcit Adverſarius, licet ebrietatis inſimulet Favorinum, ſapientiſſimum Philoſophum. Nimirum hic ei refragatur in aſſignandis Ventorum plagis.

nentiſſimi Aratoris; quod heic miſſum facimus, illud in Diſſertatione quarta fuſius, aptiuſque producturi. Verumtamen Porphirogenito temperandum arbitror, quoniam per tranſennam id egit, & ſicco, ut ajunt, pede tranſivit. At venia prorſus indignus eſt Beroaldus, qui intento animo, adhibitoque ſtudio rem expendit, & poſtpoſito ſapientum virorum judicio futilem Conſtantini ſententiam amplexus eſt, licet nullam de ipſo mentionem fecerit.

§. VII. *En auctorem, ingenue Lector, quem potiſſimum ſequitur Zoilus noſter, qui prudentiſſimos Scriptores nobis faventes* oſcitantes, ſtupidos, dementientes *appellare non erubeſcit. A tanto Geographiæ Magiſtro ſpecioſiora ſua argumenta, regulamque ipſe deprompſit emendandi exactiſſimas Pauline navigationis Tabulas a tot peritiſſimis Geographis delineatas, & Apoſtoli navis a Clauda inſula in Adriaticum ſinum deducende, ejuſque naufragii in Melituſeo litore depingendi. Sed tranſeamus ad aliud cenſurarum, ſeu verius conviciorum caput.* Inter ſe (*ille inquit*) & ſecum ipſi pugnant Philomaltenſes. *Atque heic mihi redit in memoriam Martinus* (*a*), cujus peculiaris eſt mos, teſte Ambroſio Catharino, ut ea quibus expugnatur maxime, vel diſſimulet, ac dimittat, aut ſi quando compellitur ea non præterire, mille tamen coloribus ac mendacibus fucis, & mire confictis calumniis quaſi vetus adultera operiat: verbi gratia, erit Hieronymus contra illum, erit Gregorius, erit Auguſtinus, erunt alii, plerumque etiam omnes ſimul Doctores, non poterit reſpondere, nec gloſſam addere, quamvis falſam. Quid tunc Martinus? Nempe cum aliud in mentem non venit, in illos omnem calumniam rejicit, videlicet, quod alibi decies contrarium ſcripſerunt, itaut ſic inſanos, & ſui ſimiles omnes nobis Doctores reddat, ut qui tam crebro, tamque facile in re præſertim tanti momenti ſibi ipſis adverſentur, & (quod ſtultius eſt) in eodem loco. *At quanam metamorphoſi pugnantes inter ſe facti ſunt, qui nuperrime alter alterius erant* pediſſequi ac exſcriptores? *Linguis favere oportet: ita ex Tripode definivit noſter Antagoniſta: nec immerito. Quidam enim e noſtris Fautoribus in Greco Luce Annalium textu* Euroaquilonem, *non* Euroclydonem *legi affirmant; contra alii ſolo* Euro, *vel* Euroclydone *contenti, e grecis codicibus veſtigia* Aquilonis *exterminant.*

Ambroſ Cathar. in excuſat. Diſp. contra Martin.

(a) Quamvis piiſſimus noſter Antilegon moribus, ac fide Luthero multum abſimilis ſit, nihilominus illius in diſputando modos, arteſque æmulatur, ut perſpicuum erit conſulenti Ambroſium Catharinum *loc. cit.*

nant. Quidam alexiteriam virtutem totius Inſulę glebis, alii vero ſolis illis tribuunt, quę de Paulina Crypta eruuntur. Sunt qui ſerpentinum *heic* genus *in lapides univerſim mutatum narrent; negant* alii. Nullas *hic* maleficas beſtias naſci quidam autumant, alii non item, viperaſque dentibus nocere ajunt. *Et alia id genus. Sed omnes iſtę cenſurę levi pneumate diſflantur, ut cuicumque tria Steſichori ignota non ſunt, patere poterit. Et ſane Critico noſtro reponere poſſumus, quę Accuſatoribus ſuis Pla-* Luc. Apul. in Apolog. *tonicus Madaurenſis:* Nonne vos puditum eſt, *ait ille*. hæc crimina tali viro audiente tam adſeverate objectare? Frivola, & inter ſe repugnantia ſimul promere? & utraque tamen ſimul reprehendere.

§. VIII. *Quid autem dicendum eſt de ſcriptoribus Adverſario faventibus, qui non, ut Fautores noſtri in levibus quibuſdam, & minime conſiderandis, ſed in magni momenti rebus inter ſe pugnant, ac miſere colliduntur? Quam varios, diverſoſque limites Ionio mari, vel ſinui tribuunt? Quot oſtia, quot fauces Adrię adſignant? Nempe illi Adrię, ſuper cujus inſtabiliſſimos fluctus nutantem opinionis ſuę molem ipſe conſtruit. Alii illius initia ad Corinthum, alii ad Japigium Promontorium. Cerauniosque montes; alii magis liberales, & minus hallucinati ad Italię extremitatem produxere. Sunt qui Adriam Ionio ſinui omnino exęquant; ſunt qui alterum alterius partem eſſe contendant; nec deficiunt, qui in uno, eodemque ſinu duo diverſa maria ponant, ſuperum ſcilicet ad inferum. Alii Ionium mare a Siculo diſcriminant, alii utrumque confundunt. Alii Ionium ſinum, & Ionium mare, duo nomina, unum pelagus, alii contra duo diſtincta maria eſſe decernunt: & alii ad majorem confuſionem Ionium Trajectum intermiſcent, & ab utroque diſtinguunt, ut ut ipſe neceſſario ſit pars alterutrius. Ita plane diſſentiunt, ſi Adverſarii interpretationes attendimus, & inter ſe digladiantur Auctores ab eo pro Adrię, aliorumque marium finibus allegati, ut veros eorum terminos expiſcari Herculeus ſit labor. Mirum tamen eſt, quam facili negotio illos in conſenſionem reducat, quantaque proſperitate per tot, tantaque maria diſcurrat noſter Antilegon, Sarone magis nauticus.*

§. IX. *Mira ędepol, mira eſt noſtri Antilegontis audacia: Ei* Horat. de Art. Poet. *non minus, quam* Pictoribus, atque Poetis quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. *Et quantam licentiam ſibi adrogat in auctoribus interpretandis, tantam ſeveritatem adhibet in notandis Fautorum noſtrorum interpretationibus. Hinc eſt, quod*

ipſos.

Digitized by Google

ipſos falſo allegare ſcriptorum auctoritates, ſacræque ſcripturæ ſenſum diſtorquere adſeverat, quamvis in enucleandis, citandiſque Auctoribus non minus accurati, quam fideles ii ſint. Et maxime illos arguit, quod quum ex ſacris D. Lucæ Annalibus conſtet Apoſtolum in Adria fuiſſe jactatum paullo ante, quam in Melitam naufragus enataverit, & inde colligatur eam inſulam in Adriatico mari ſitam eſſe; illi tum Græcis, tum Latinis ſcriptoribus Divini Hiſtoriographi Synchronis, ipſoque antiquioribus, ſi Deo placet, repugnantes eum ex iſto naufragio ad inſulam noſtram emerſiſſe contendunt. Veruntamen rectius nos hanc Cenſori noſtro notam impingere poſſumus, ut in harum Diſceptationum progreſſu planum faciam, in quibus Auctores producam, quos ipſe, tamquam boves invitos plauſtro inducit, & quorum verba partim immutat, partim reticet, quum tamen tota recitare debeat.

§. X *Porro mirandum non eſt, quod multum ſibi tribuat in auctoritatibus enucleandis: Nempe orientalibus ipſe linguis inſtructus, ſeſe rem acu tangere poſſe arbitratur, conſulendo non rivulos, ſed fontes, archetypos ſcilicet textus. Hanc ſibi gloriam quoque aſſumpſere Lutherani, qui, ut auctor eſt Cochlæus apud Melchiorem Canum,* de peritia linguarum ſuperbientes, mox veteres Theologos contempſere. Quod ſi quis novitatibus eorum contradiceret, prætendebant ſtatim lectionem Græcam, vel Hebraicam, & continuo in Græcarum, & Hebraicarum literarum ignaros plenis conviciorum plauſtris invehebantur. (Melch. Canus lib. 2. de loc. Theol. cap. 13.) *Necnon apud Jacobum Boulduc* Simon Magus, & primus Hæreſiarcha, tamquam Græcizantium ſectator acerrimus, graviter conqueritur, quod apud ſuos Samaritanos Doctores non amplius uſurpentur Græca Biblia, ſed plane contemnatur Græcum idioma, per quod doctores, & Prophetæ a multis ſæculis verbum Dei annunciare, populoſque docere ſolebant. (Jacob. Boulduc, de Eccl. poſt. leg. c. 5.) Hoc enim volebat abſcondere ut facilius ſimplices deciperet, ſub fabula muliherculæ Helenæ (ideſt Græcæ) quam ſecum ducebat, quamquam a Tyro civitate Phonices quæſtuariam redemiſſe dicens, aſſerebat primam eſſe mentis ejus conceptionem, matrem omnium (ideſt Magiſtram) per quam initio mente conceperat Angelos facere, & Archangelos, ut de eo ſcribit Irenæus. Ideſt (cum ſe Deum eſſe diceret) ſe ab initio mundi per hanc linguam inſtituiſſe, inſtruxiſſeque Propheras, qui olim vocabantur Angeli. (Iren. lib. 1. cap. 10.) *Haud tamen ideo Adverſarium prototypis textibus, ſive Hebraicis, Græcanicis, tum ſacris, tum profanis inhæreſcentem atro calculo notandum cenſeo: quinimo*

rum valde laudarem, ſi iis archetypis inhæreret, qui ſapientioribus viris, & maxime Vulgato Interpreti adprobantur: quippe non ſum neſcius quantum conferat erudito ſcriptori variorum idiomatur notitia, atque collatio. At ne ſibi nimium placeat hoc ornamento decoratus noſter Antagoniſta: nempe & Propugnatores noſtri orientales linguas cumulate callebant, præſertim tot inſignes ſacrorum Codicum Interpretes, queis talium peritia idiomatum erat apprime neceſſaria. Quid autem dicam de magno, & non minus doctrina, quam ſanctimonia venerando Hieronymo, qui de Adriæ ſitu nobiſcum ſentit? Eſtne ille Antilegonti noſtro, utut eruditiſſimo, in linguarum ſcientia (a) præponendus?

§. XI. *Haud equidem inficior, Adverſarium in Anticriticis ſuis Inſpectionibus acerrimi ingenii ſpecimen dare, multaque erudite, ac jucunde pertractare, ut ipſe modeſte deprædicat. Tantummodo veridici ſcriptoris laudem calculo meo non aſſequitur: quippe ſimplicem, & apertam veritatem obſcuris, fallacibus, intricatis, & ſpinoſis argutiis præpoſtera quadam diligentia, involvit, obumbratque. Idcirco tam variis, tam eruditis, tam ingenioſis animadverſionibus, quæſtionibuſque, opus ſuum conſerit, ut ſcilicet quam a Regina Veritate corollam obtinere non poteſt, eam Minervæ ſuffragiis adipiſcatur. Necnon & in minimis, parvique momenti rebus accuratiſſimum ſeſe præſtat, ſcriptores quoſdam æmulans, de quibus ita ſcripſit Polybius:* Solent Hiſtoriographi quidam mendaces auctoritate minuta quædam, ac levia ſectari, quo facilius ſcriptis eorum adhibeatur fides (*b*). *Hinc eſt, quod perſæpe ejus oratio ſit ampullis (c) & ſeſquipedalibus verbis plena, rebus flaccens, ſtrepitu vigens, fucis oblinita, proinque veritati parum accommoda.*

Polyb. lib 3.

Euripid. in Phænis.

(*d*) Απλῶς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ,
Κ' ὐ ποικίλων δεῖτ' ἄνδιχ' ἑρμηνευμάτων,
Εχει γὰρ αὐτὴ καιρὸν· ὁ δ' ἄδικος λόγος
Νοσῶν ἐν αὑτῷ, φαρμάκων δεῖται σοφῶν.

§. XII.

(a) *Vas plenum peritia linguarum, & ſacrarum literarum ſcientia* eum appellat Judocus Clichtuveus *in ſerm. 1 de B. Hieron.* Quis autem ſatis hunc ſacrum Doctorem commendare potis eſt. (b) Ita hunc locum interpretatus eſt Niculaus Perottus Sipontinus, qui Nicolai V. P. M. juſſu Polybium latine vertit; licet interpretatio Iſaaci Caſauboni, quam Jacobus Gronovius recenſuit, aliquantulum ab ea diſcrepet. (c) Horat. *Projicit ampullas & ſeſquipedalia verba.*

(d) *Nam veritatis ſuevit eſſe oratio*
Simplex vafris, nec eſt egens ambagibus
Interpretum: ſiquidem ipſa per ſe congruit;
At ſermo iniquus, quia per ſe ſit morbidus,
Medicamenta exquiſita depoſcit ſibi.

Digitized by Google

§. XII. *Quæ quum ita ſe habeant, arduam hanc provinciam refellendarum ſcilicet* Anticriticarum inſpectionum, *quibus Adverſarius excepti e naufragio Pauli gloriam, Inſulæ noſtræ debitam, Meletæ ſuæ adſciſcere perperam conatus eſt, ſuſcipere non recuſo: præſertim quod animos mihi addiderint quamplures eruditi viri, qui me humanitate, ac benevolentia proſequuntur, inter quos principem locum obtinet Eques omnibus nobilitatis, virtutumque ornamentis cumulatiſſimus Fr. Ferdinandus Baro de Stadl. Hic enim non ſolum plurimos libros, tum amicorum, tum ſuos mihi utendos præbuit, ſed etiam, ut aliqua ex parte ſuſceptum onus mihi levius, quæ ſua eſt humanitas, redderet; nonnullas auctoritates ad rem facientes ex variis ſcriptoribus decerpere curavit, eaſque mihi contulit, ut quæ mihi magis quadrarent, hiſce diſſertationibus, ubi uſus poſceret, insererem. Accedit quoque ipſius cauſæ qualitas; bonum enim civem non minus Patriç gloriam quam arces tueri decet: imo, ut ait Ariſto-* Ariſtot. l.1.
teles, ſi eſt turpe non poſſe defendere ſe corpore, turpius eſt Rhetor.
non poſſe defendere ſe ſermone. *Nec enim hęc noſtra eſt (a)* Ἑτερομολιος δίκη. *Neque me abſterret audaciſſimus noſter Antilegon novos conflictus minitans; quinimo quemdam audire videor mihi inſuſurrantem, quæ apud Homerum Æneç dixit Apollo.* Hom. Iliad. 3.

Α'λλ' ἰθὺς φέρε χαλκὸν ἀτειρέα μηδέ σε πάμπαν
Λευγαλέοις ἐπέεσσιν ἀποτρεπέτω καὶ ἀρειῇ (b).

Enimvero ejus ictus eamdem ſubire fortunam video, quam olim Mauritanorum tela, quç in Pelagii Hiſpaniarum Regis, ac Theodoſii Magni Imperatoris milites ab iis vibrata retro converſa ſunt, ac retorta, tantamque Barbaris cladem intulere, ut mira, inſigniſque victoria Chriſticolis obtigerit: haud ſecus ſententię noſtrę veritas de Adverſarii oppoſitionibus, fallaciiſque ſolemnem aget triumphum: & ſicut Horatii Coclitis (c) ſimulacrum fulmineo ictu percuſſum in ſublimiori loco fuit repoſitum; ita ipſa Antilegontis noſtri calumniis impetita celſiorem penes eruditos, cordatoſque viros locum obtinebit. Et quamvis ille ſit ex eorum numero, qui, ut ait Plato, verbis quaſi quibuſdam præſtigiis Plato in Sophiſt. ſeu de
mirum in modum decipiunt auditores: *nil minus ſperare me jubet cauſç, quam tuendam ſuſcepi, dignitas, çquitaſque fore,* Ente lib. 15.

(a) Heteromolia cauſa: ſic Græci vocant cauſam, quæ ab altera tantum parte agitur nullo contradicente.

(b) *Quin rigido ferro magis obvius ito, nec unquam*
Te ſævis dictis deterreat ille miniſque.

(c) Coclitem pro Cyclope, quod eſſet unoculus, corrupta ſenſim voce illum appellavere.

ut ipſe Lectoribus nequaquam imponat, aut debitam ſententię noſtrę veritati fidem imminuat: *ſiquidem, ut affirmat Tullius*, tantam ſemper potentiam veritatis habuit, ut nullis machinis, cujuſquam hominis ingenio, aut arte ſubverti potuerit.

Cicer. orat. in Vatin.

§. XIII. *Haud tamen eo inficias nonnullos literatos mihi conſuluiſſe, ut Adverſarii oppoſitiones potius deſpicatui haberem, quam refutatione dignarer: dignitas enim cauſæ, ajebant, patrocinio læditur, veritas probationibus*: *& Quintiliano monente*, in rebus apertis argumentari tam ſit ſtultum, quam in clariſſimum ſolem lumen inferre. *Aſt eorum conſilium mihi viſum eſt aptius ad fovendam, augendamque Adverſarii procacitatem, vanamque, qua ſe, ſuaque ſuſcipit, arrogantiam, quam ad illam reprimendam, tundendamque. Etenim pol, ſi taceremus, protinus ille ovans, ſibique plaudens diceret*: *Oviles Nugatores! En qui eorum os retudi, ut ne quidem muſſire audent: qui vero audeant, ſi tot tantiſque argumentis ipſorum allucinationes detexi, & tanquam pulverem rationis flatu inſufflavi? Alii autem mihi ſuadebant, ut ni omnes, ſaltem pleraſque illius oppoſitiones, quæſtioneſque miſſas facerem. Cui quidem ſententiæ calculum meum adjeciſſem, niſi animadvertiſſem verum eſſe Perſianum illud, quod ſcilicet.*

Perſius ſat. 5.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.

Nam licet ego noverim tum quæ refutari, tum quę ſilentio prætermitti mereantur; nihilo tamen ſecius adverti, quibuſdam, & maxime ſemidoctis quędam videri refutatione digna, quę meo judicio prętereunda ſint, necnon quędam ſilentio involvenda, quę adprime refelli debeant. Quamobrem ea dumtaxat prętermittam, quę a noſtra controverſia penitius aliena ſunt; ut mihi eſſe videntur diſceptationes de Diva Agatha velum in Melita texente; de Caſtellis Melitæis; *& alia ejuſdem farinę. Hoc pacto bene compoſitę diſputationis regulam ab Ambroſio Catharino traditam ſervabimus: nempe ille* loco ſupracitato *requirit*, ut pariter uterque diſputans modum teneat, atque ſervet legittimæ diſputationis: dum quæ extranea ſunt, non admiſceat, & quæ recipi oporteat, non recuſet: *Quorum neutrum exequitur noſter Antagoniſta.*

§. XIV. *Crocitet ipſe igitur, quantumque ſibi libet, garriat: & ante victoriam Pęana canens ſeſe nos argumentis ſuis* potius obruere, quam profligare jactet: *non ideo me a ſuſcepto conſilio abducet; jamjam progredior ad certamen, paratus ad reſiſten-*

ſtendum, ſi tamen paratus dici poſſum, qui biſce Diſſertationibus brevi quadriennii curriculo elucubratis opus (a) *triginta annorum evertere aggredior. Præterea me per id tempus tot, tantiſque domeſticis curis, litibuſque fuiſſe diſtentum, ut eas ſæpenumero intermittere coactus fuerim: & maxime quod contendere debuerim cum quibuſdam non minus in judicio calumniantibus, quam noſter Antilegon in præſenti controverſia: itaut pene Fato contineri videatur, quod ubique mihi cum tergiverſatoribus certandum ſit. Sed quemdam audire videor mihi reponentem: Cur non & tu triginta annos aut congruum temporis ſpatium operi tuo tribuiſti? Quis tantam tibi feſtinationem indixit? Rite is quidem me argueret; niſi vere eſſent, qui me ad id perficiendum concitaſſent, preſſiſſentque: nec pauci ii fuere: quotquot enim aliqua mecum neceſſitudine conjuncti mihi obviam fiebant, ſtatim a me de hoc ſciſcitabantur: & modo hic, modo ille me rogabat: In qua operis tui parte verſaris? Anne mediam attigiſti? Quando id abſolves? Numne toto hoc anno perficies? Quando id publici juris facies? Quodque magis mihi videbatur intolerabile, quidam me numquam ei colophonem eſſe poſiturum dubitabant; quoniam me tempus utut breve ducentem videbant. Quis autem eos ſic inſtantes, urgenteſque ferre diutius poſſet? Quapropter me excuſatum iri non dubito, ſi quid in biſce Diſſertationibus inconcinnum, atque impolitum inveniatur.*

§. XV. *Reliquum eſt, ut pauca, de quibus Lectorem meum monitum velim, breviter exponam. Quum quorumdam Græcorum ſcriptorum Archetypa præ manibus habere non potuiſſem (heic enim facilius arma, quam libros invenies); eorum auctoritates ex illuſtrium Interpretum verſionibus adſcripſi: nec ſane, niſi me fallit animus, infelici ſucceſſu: nempe hoc pacto ad Græcorum ſcriptorum auctoritatem Latinorum Interpretum accedet auctoritas; Unde perſpicuum fiet, tum illos nobiſcum ſenſiſſe, tum hos nobiſcum intellexiſſe; quantumvis illos aliter interpretari ſtuduerit Adverſarius. Hoc autem nomine eruditiſſimum virum D. Ignatium Georgium Benedictinum inſignitum volumus: nam quamvis plures ſunt noſtri Antilegontes; hi tamen obiter, aut carptim nobis repugnavere, ille autem ex profeſſo, omni conatu, animoque, ut ita dicam, gladiatorio nobis bellum indixit. Quamobrem & nos illum in* præ-

(a) Tot annos inſumpſiſſe ferunt Adverſarium in elaborandas *Antieriticas ſuas inſpectiones.*

preſenti controverſia hoſtiliter, quantum literarium certamen patitur, accipimus; extra quod omnibus humanitatis, benevolentię, ac venerationis officiis eum proſequi non recuſamus. Itaque non eſt, quod quiſpiam miretur, ſi illum mordacioribus dictis perſtringam, vellicemque: quis enim patiatur, quis ferat illum cauſę noſtrę Patronos; inter quos numerantur viri doctrina, dignitate, & virtute venerabiles, conviciis modum excedentibus indiſtincte afficientem, & paſſim eorum lapſus (ſic ipſe appellat aſſertiones ſibi refragantes) notantem, quum is non in lapſus ſed in lapſuum abyſſum ſępe ſępius incidat?

Anton. Itiner. Conſtant. Porphir. de adminiſtr. Imper. Stephan. verb. *Meliſſa*. Raph. Volater. in Geogr. vet.

§. XVI. Meltæ *vero*, *ſeu* Meletæ, *& nonnumquam* Melituſſæ *nomine Dalmatenſem Inſulam, pro qua tamquam pro aris, & focis dimicat Adverſarius, indigitamus, ſequuti Antoninum, Porphyrogennetam, Stephanum, Volaterranum, & alios, ad noſtrę diſcrimen, cui peculiarius eſt Melitę nomen. Hanc ſequenti Deſcriptione proponere Lecturis operę pretium duxi. Nam licet multi eam deſcripſerint, tamen aliqui haud omnia relatu digna expoſuere. Præterquam quod multa heic nuper facta, & reperta ſunt, quæ ipſos latebant. Ejus quoque ſinum D. Pauli appulſu, & immortali nomine inſignitum, rudi quidem typo delineatum hiſce diſceptationibus præfigam una cum excerpto ex* capp. 27. & 28. Act. Apoſt. *in quo Melitenſe Apoſtoli naufragium D. Lucas enarrat; ut Lector meus judicet, quanto æquius noſtræ Inſulæ, quam ejus Æmulæ conveniant, aptenturque a ſacro Hiſtoriographo narrata. Adjecimus ventorum plagas, cardines, ac nomina probatiſſimis Græcis æque, ac latinis cujuſvis ævi ſcriptoribus, & quod magis in pretio habendum eſt, ipſi Sacræ Scripturæ receptiſſima.*

§. XVII. *In omnibus conſentaneam brevitatem adhibere curavi; & quamvis alicubi prolixius diſſerere videamur, tamen id haud ita eſſe comperies ſi nihil ibi a nobis dici perpendas, quod præſenti controverſiæ appoſitum non ſit. Quum enim tam multa Adverſarii argumenta mihi fuerint diluenda, me paucioribus expedire non potui; necnon ſatius duxi Adverſarium rationibus obruere, quam ei tantum ſatisfacere. Quippe memini, Salvianum docere, quod* melius eſt plus probare aliquod, quam neceſſe eſt, quam minus forſitan, quam negotio debeatur. *Quid quod noſter Criticus, vel eo capite cauſæ noſtræ defenſores redarguit, quod eam paucis egerint? Nihilominus ne multus eſſem, haud omnia protuli, quæ ad hunc conflictum paraveram: multa quidem arma mihi ſuperſunt.*

Salvian. lib. 1. de Provid.

Sunt

Sunt mihi adhuc haſtæ teretes, clypeique rotundi,
Tum galeæ, tum thoraces procul igne micantes.

Ea efferam, ſi forte Adverſarius iterum conferre manum audebit: ſed qui rurſus manum conferat, ſi ei tum manus (ſit joco venia) tum pedes jamjam abſcindimus.

§. XVIII. *Denique difficilis, ac faſtidioſi palati Lectores rogo, ut me benigne excuſatum habeant, ſi quandoque in præſenti certamine armis utar nimium acuminatis, ideſt, ſubtilioribus animadverſionibus, argutioribuſque acuminibus, necnon adagiis (quæ tamquam condimenta, non veluti cibos, eſſe adbibenda non ignoro) liberius ludam: nam, quum ea Antilegonti noſtro in deliciis eſſe cognoverim, ei ſaltem in hac parte morem gerere volui; cum Cretenſibus enim, ut ajunt, creticandum eſt. Præterquam quod hoc pacto Lectorum commodo conſultum iri putamus; quandoquidem eos haud parvo tædio afficerem; ſi tot intricatas, ſpinoſaſque quæſtiones ab Adverſario propoſitas, nobiſque dirimendas, ſemper ſevera, & tetrica oratione evolverem. Quis enim ferret Criticum diu contracta fronte differentem? Proinde exopto, ut haſce Diſſertationes lecturi animo repetant verba Minucii Felicis in judicem conſtituti inter Octavium Chriſtianum, & Cæcilium Ethnicum.* Diligenter (*inquit ille*) quantum poteſt, ſingula ponderemus, ut argutias quidem laudare, ea vero quæ recta ſunt, eligere, probare, ſuſcipere poſſimus. *Si vero in quidpiam aliud, quod ſibi non quadret, ipſi offenderint, benigna interpretatione ſuccurrant.* Minuc. Felix in octav.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS

Eorum quæ in præſenti opere continentur:

Epiſtola Nuncupatoria.
Præfatio.
Deſcriptio Melitæ, & Gaulos.
Series Epiſcoporum Melitenſium.
Singularum Diſſertationum argumenta.
Verba *D.* Lucæ, queis ipſe deſcribit Melitenſe Pauli Naufragium.
Typus Sinus Melitenſis, qui vulgo *la Cala di S Paolo* dicitur.
Diſſertationes numero viginti.
Epiſtola D. Marii Lamæ, egregii Mathematici, continens quaſdam obſervationes practicas in D. Pauli Navigationem, Melitenſi Naufragio terminatam.
Hanc epiſtolam invenies poſt Diſſertationem ſeptimam, una cum ejuſdem Tabula quorumdam marium ac locorum, quorum in hac controverſia ſæpius fit mentio.
Catalogus Auctorum in hoc opere citatorum.
Index Rerum & Verborum locupletiſſimus.

NOI REFORMATORI

Dello ſtudio di Padova.

AVendo veduto per la ſede di reviſione e approvazione del P. Fra Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore, nel Libro intitolato: *De Beato Paulo Apoſtolo in Melitam Siculo-Adriatici Maris Inſulam Naufraggio ejecto* non eſſer coſa alcuna contro la ſanta Fede Cattolica; e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contra Principi e boni coſtumi, concediamo licenza a *Criſtoforo Zane Stampatore*, che poſſa eſſere ſtampato: oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle pubbliche Librerie di Venezia e di Padova.

Dat. 18. Agoſto, 1737.

(*Gio: Franceſco Moroſini Kav. Rif.*
(
(*Pietro Grimani Kav. Proc. Rif.*

Agoſtino adaldini Segretario.

M E-

MELITÆ DESCRIPTIO.

§. I. IN Siculo-Adriatico Mari, hoc eſt in Sicilienſi, quæ Adriæ pars eſt, pelago *(a)* Lilybæum inter & *(b)* Cercinnam, tamquam Africæ, & Siciliæ clavis ſurgit, imo *(c)* jacet fortunatiſſima inſularum Melita. Nimirum ea, quæ a Clariſſimis cujuſvis ævi Scriptoribus celebratur, ut divitiis ſplendida, negotiationibus accommoda, portubus tuta, ædificiis magnifica, Delubris inſignis, veſtibus pretioſa, armis ſtrenua, civibus generoſa, advenis hoſpitalis, Romanorum Socia, Regibus chara, Pelagiarum Regina *(d)*, floribus ſpecioſa, arvis fœcunda, fontibus (prope dixeram mellibus) irrigua, aeris temperie ſalubris, ac ſitu inexpugnabilis: necnon audit Sparta Chriſtianorum, Italiæ Clauſtrum, Fidei propugnaculum. Antiquiori ætate vocabatur Hyperia, & Ogygia-Calypſus ſedes, ut evincit Cluverius. Poſtea dicta fuit *Melita*, *Melitina*, ſeu *Miletina*, necnon *Miletus*, ſive *Mileta*,

Diod Sicul. lib 5. Lucr. l. 4 Cicero Verr. 3. 4. e 5. Ovid. Faſt. 3. Livius l. 21. Val Max. l. 1. c. 1. Ptolem. l. 4. c. 3. Silius Ital. l 14. Heſichius, & Favorin. ap Abelam lib. 1. nu. 12. Paul. Oroſ. l. 4. c. 8. Dominicus Niger Buterius, Braun,

A ut

(a) Siciliæ Promontorium Lybiam ſpectans, in cujus ruinis ſita eſt celebris urbs vulgo *Marſala* (b) Africæ inſula ſinui magnarum Syrtium adjacens, vulgo *Cherchena* (c) *Giace Malta fra l'onde occulta, e baſſa*: cecinit Taſſus (d) Inſularum in alto pelago ſitarum quarum meminit Ptolomæus *l. 4. c. 3.*

& innumeri Recent. Cluver. Sicil. Antiq. lib. 2. c. 16.

Apud Collectores Rer. Ital. Script. To. 1. Part. 2.

ut oſtendam in *Diſſert.* XVII. §. II. Poſtremo audivit *Malta* : quam nomenclationem proculdubio accepit, quum a Saracenis una cum Sicilia occuparetur : quippe in Chronico Saraceuico Siculo edito a Caruſio, ſic legitur : Anno (*a*) 6378. *capta eſt Matbat die vigeſimo menſis Auſab* (ideſt Auguſti). Ab Africa CC. fere M. P. a viciniori autem Siciliæ ora ad Auſtrum vergente LX. diſtat; licet a Pachino Promontorio LXXX. M. P. ſeparetur. Ejus ambitus (*b*) eſt LX. M. P. longitudo, quàm maxima eſt, nempe ab Ortu in Occaſum XX. latitudo XII. M. P. Sita eſt in principio quinti Climatis, & octavi paralleli, diem habens longiſſimum horarum ferme XV. poli autem elevationem in gradu fere XXXVI.

§. II. Sunt in ea quamplures tuti portus, ſinuſque : ſed duo ſunt præcipui, multarumque navium capaceis, quorum oſtia Solſtitialem Ortum ſpectant : inſignior Arabico vocabulo, quod anchoram denotat, *Maſſa* ſeu Portus major nuncupatur, & flectitur in varios (*c*) ſinus tutandis magnis navibus idoneos, inter quos ex prominentibus quibuſdam terræ linguis, longe in mare excurrentibus peninſulæ quædam formantur, de quibus infra differemus. Ejus longitudo, ut teſtatur Franciſcus Corregius apud Abelam, eſt ulnarum Romanarum MDCCC.

Jo: Frau. Abel. in Mel Illuſtr. lib. 1. n. 1.

§. III. Hunc portum ingredientibus haud inamœni objiciuntur proſpectus : quippe ad ejus lævam cernuntur, prælaudatæ peninſulæ, variis ædificationibus, tum ad militares, tum ad civiles uſus inſtructæ, ornatæque ; ad dexteram vero proſpiciuntur geminæ Pilæ (*d*) promptuariis ad conderidas merces concinna ſymmetria diſpoſitis condecora-

(a) Hoc eſt, anno a Partu Virginis 870 ſecundum computum Siculorum, qui Chriſtum Dominum eredebant natum anno Mundi 5508. Quonam autem anno Saraceni Siciliam, ac Melitam fuerint ingreſſi ; & quonam iidem a præclariſſimis Ducibus Roberto Guiſcardo, & Rogerio ejus fratre fuerint ſubacti, fuſius exponemus infra (b) Mirari ſatis non poſſum, qui Laurentius BeyerlinK in *Theat. vit. hum. lit.* E, aſſerat ejus circuitum eſſe XXX. M. P. minus plane allucinati ſunt Joannes Blæu, & Laurentius Surius, qui ejus longitudinem XXII. M.P. ſtatuerunt. (c) Portum hunc talem natura formavit, qualem commendat Vitruvius. *Portus* (inquit ipſe) *naturaliter ſi ſint poſiti, habeanturque acroteria, ſive promonteria procurrentia, ex quibus introrſus curvatura, ſive verſura ex loci natura fuerint conformata, maximas utilitates videntur habere* ; (d) vulgo *Moli*. Virgilius *Æn.* 9. *Qualis in Euboico Bajarum litore quondam ſaxea pila cadit.*

coratæ. Prima ab ipſo portus introitu incipit ac terminatur amne implano paululum eminentiori ſito, in quo ſuper baſim æneis conveſtitam laminis, illuſtria quædam Jeroſolymitanæ Militiæ facinora dimidiato anaglyptico toreumate exprimentibus, ſtat æneus Neptunus affabre elaboratus, tridentem dextra geſtans, læva autem gentilitium ſtemma M. Magiſtri Alophii de Wignacourt, ejus conditoris. Altera introrſum protenditur, & a prima ſeparatur præalta caute, per cujus cuniculum ad utramque tranſitus patet. Hanc pilam ad exonerandarum navium commodum ampliavit, & ad intimos (*a*) ferme receſſus produxit Magnus, & numquam periturae memoriæ Princeps Jo: Marcus Antonius Zondadarius, Senarum, ac Melitæ Ornamentum; cujus immortali nomini hac de re ſequens, inter alia, Epigramma, utut, Appolline parum dextro, me inſcripſiſſe memini.

Plurima non deerat ſtatio bene fida carinis,
Nec deerat roſtris litora tuta tuis.
At tu, qui ſemper moliris maxima Princeps,
Quæ credebantur plurima, pauca putas.
Portibus hinc portus, regali munere curas
Augeri, ac addis littora littoribus.
Littora dum creſcunt, decreſcunt Tethyos arva,
Atque ubi ſaxa rigent, æquoris unda fuit.
Commoda ſic auges, minuis dum navibus æquor,
Cum poſſint litus tangere Roſtra novum;
Sentiat iſta redux ingentia munera Nauta;
Laudibus ac reſonent litora cuncta tuis.

§. IV. Noſter Marcus Antonius Haxak, vir eruditus, ac medica facultate præſtans in relatione manuſcripta Sacræ D. Pauli Cryptæ, quam ipſe Anno MDCXXIII. nuncupavit Fabritio Cardinali Verallo, opinatus eſt ad eumdem portum referendos eſſe hos Maronis verſiculos. M.Ant.HaxaK in relat. S. Paul. Crypt.

Eſt in receſſu longo locus: inſula portum Virg. Æn. lib. 1.
Efficit objectu laterum; quibus omnis ab alto
Frangitur inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos.
Hinc atque hinc vaſtæ rupes, geminique minantur
In cœlum ſcopuli: quorum ſub vertice late
Æquora tuta ſilent, tum ſylvis ſcena coruſcis

 De-

(a) Mortalitatem enim explevit nondum opere abſoluto, quod poſtea fici curavit Emiuentiſſimus ejus ſucceſſor.

Deſuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fronte ſub adverſa ſcopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, vivoque ſedilia ſaxo,
Nimpharum domus hic feſſas non vincula naves.
Illa tenent, ullo non alligat anchora morſu

Attamen ego arbitror, Latinorum Poetarum Principem deſcriptionem hanc adumbraviſſe ad illam Homeri 13. *od.* cui geminam appinxit Livius, Hiſpanienſis Carthaginis, ut animadvertit Cl. V. Thomas Farnabius & ante ipſum Joannes Spondanus. Sane non tam ovum ovo ſimile eſt, quam portus a Virgilio deſcriptus portui quem Græcorum Vatum Corypheus hiſce depinxit carminibus.

Hom. 13. od.
Livius lib. 26.
Th. Farnab. in not. in Æn. lib. 1.
Jo: Spondanus in Comment. in odiſſ. l. 13.

Φόρκυνος δέ τις ἐστ' λιμὴν ἁλίοιο γέροντος
Ἐν δήμῳ Ἰθάκης· δύο δὲ προβλῆτες ἐν αὐτῷ
Ἀκταὶ ἀποῤῥῶγες, λιμένος ποτιπεπτηῦαι,
Αἵτ' ἀνέμων σκεπόωσι δυσαήων μέγα κῦμα
Ἔκτοθεν· ἔντοθεν δὲ ἄνευ δεσμοῖο μένουσι
Νῆες ἐΰσσελμοι, ὅταν ὅρμου μέτρον ἵκωνται.
Αὐτὰρ ἐπὶ κρατὸς λιμένος τανύφυλλος ἐλαίη·
Ἀγχόθι δ' αὐτῆς, ἄντρον ἐπήρατον, ἠεροειδὲς,
Ἱρὸν Νυμφάων αἳ Νηϊάδες καλέονται.
Ἐν δὲ κρητῆρές τε καὶ ἀμφιφορῆες ἔασιν
Λάϊνοι· ἔνθα δ' ἔπειτα τιθαιβώσσουσι μέλισσαι
Ἐν δ' ἱστοὶ λίθεοι περιμήκεες ἔνθα τε Νύμφαι
Φάρε' ὑφαίνουσιν ἁλιπόρφυρα, θαῦμα ἰδέσθαι.
Ἐν δ' ὕδατ' ἀενάοντα. (a)

Verum licet omnia in eo portu a Poeta conficta eſſent, ut, Euſtachio teſte, adnotabant veteres, tamen ſingula tum a Ma-

(a) Phorcynis autem quidam eſt portus marini ſenis
In Agro Ithacæ, duo autem projecta in ipſo
Latera abrupta in portum vergentia.
Hæc autem ventorum defendunt ſtridentium magnum fluctum
Extra, intus autem ſine vinculo manent
Naves bene tabulatæ cum portus ſpatium intraverint.
At in vertice portus paſſis ramis oliva.
Prope autem ipſam antrum amœnum obſcurum
Sacrarum Nympharum, quæ Najades vocantur.
Intus autem, crateresque, & amphoræ erant
Lapideæ, ibi vero præterea ſuſurrant apes.
Intus Liciatoria lapidea prælonga, illicque Nimphæ
Lintea texunt cærulea, mirabile viſu.
Intus autem aquæ perpetuæ &c.

a Marone, tum ab Homero Inſulæ noſtræ vere aptari potuiſſent. Quippe & ipſa longe a continente, aliiſque inſulis ſecedit, & portum habet duorum laterum objectione, ac verſura informatum, vaſtiſque rupibus, ſcopuliſque hinc inde cinctum, & in varios ſinus deflexum, in quibus ſilent undæ, ventique, ac proinde navigia tutiſſima fruuntur ſtatione. Et quamvis in præſentiarum deſiderentur ſylvæ, olivæque a vate memoratæ, tamen olim heu magna erat arborum, & maxime olivarum copia ut infra exponam. Quod vero de apibus mellificantibus, ac de Nymphis telas texentibus aſſerit Mæonides, nulli alii inſulæ magis convenit, quam noſtræ: quandoquidem heu, ut affirmant veteres ſcriptores exquiſitiſſima proveniebant mella, telæque adeo tenues texebantur, ut Nympharum manibus contextæ fingi a vatibus poſſent. Præ cæteris hac de re ſcriptoribus audiendi ſunt Silius Italicus, Lucretius, ac M. Tullius. Quorum primus cecinit: *Hadranum, Ergentumque ſimul, telaque ſuperba lanigera Melite.* Alter: *Interdum in pallam, & Melitenſia, Cæaque vertunt eximia veſte.* Tertius hæc habet: *Inſula eſt Melita, in qua eſt eodem nomine Oppidum, quo iſte* (C. Verres) *numquam acceſſit, quod tamen iſti textrinum per triennium ad muliebrem veſtem conficiendam fuit.* Mel autem noſtrum adeo ſuave eidem Verri contigit, ut hinc CCCC. amphoras hujuſce nectarei liquoris plenas ſuſtulerit, ut adnotavit Maurolycus. Præterea heic quoque præter alia antra fuiſſe celebre illud, in quo Calypſo commorabatur, ut ſcite evincit eruditiſſimus noſter Hieronymus Manduca *in ſua Hiſtoria manuſcripta de D. Publio cap. 3.* ubi etiam ejus ſitum ac veſtigia deſignat. Sed redeamus in orbitam.

Sil Ital.l.14. Lucret.lib.4 Cic.Verr. 4.

Sican. Hiſt. l. 2.

Hier. Manduca in hiſt. D. Publ.M. S. cap. 3. V. diſſert. 7. §. 34.

§. V. Alter appellatur *Marſamuſettus*, ideſt portus hyemando aptus, in quo detinentur naves de contracta peſte ſuſpectæ. In interiori ejus receſſu ſurgit parva inſula, promptuariis, ac ædibus inſtructa, in queis nautæ, atque comitatus earum navium, per ſtatos dies, ut plurimum, quadraginta, commorantur, ſuaſque merces commode reponunt. In ipſius litore Vallettæ urbi obverſo, nuperrime maximis Eminentiſſimi Principis feliciter regnantis ſumptibus condita fuit perampla, & ad recentiorem militaris artis rationem munita Arx, quæ ab ejus glorioſo avito nomine Manoel nuncupatur, & argumentum mihi præbuit

ſequen-

Digitized by Google

ſequentis rudis Poematii, quod cum aliis haud paucis Italicis Rithmis forſan aliquando, ſi graviores occupationes tantillum otii mihi non denegabunt, publici juris faciam:

Ma quale s'erge al Ciel bellica Mole
In queſto ſuol impria di ſpighe adorno?
Dunque Bellona far vorrà ſoggiorno,
Ove d'Opi regnò la bionda prole?
Sì! le ſue vaſte idee moſtrar ci vuole
Il Grand' Antonio de la Luna a ſcorno:
Venga la Fama, e ammiri, e poi d'intorno
Canti l'opre di lui al mondo ſole.
Venga il Fato pur al nobil grido,
E ſulla Rocca dell' eccelſo Autore
Il nome avito incida (e tremi il lido;)
Poi ſcriva ſotto: Di guerrier valore
Vopo queſta non ha: che al Trace infido
Col nome ſol apporterà terrore.

§. VI. Ceteros minores portus, ſeu verius ſinus ſingillatim recenſere operæ pretium non duco: prætereundus vero ille non eſt, qui a D. Pauli iſtuc naufragio ejecti appulſu, ab ævo immemorabili, dicitur, *la Cala di S. Paolo* (a), nec equidem temere: nam in eo viſuntur loca ſituſque, nec latum unguem ab iis, quæ a D. Luca deſcribuntur, diſcrepantia, ut in typo hiſce Diſſertationibus præfixo, necnon in *Diſſert.* 20. demonſtrabo. Sinus iſte, imo totus terræ tractus, qui eum circumdat a naufragi Apoſtoli tempeſtate, Arabico vocabulo *tabules* (hodie corrupte *tal Puales*) ideſt Pauli vocatur. Profecto in eo præter *locum ditbalaſſum, ac prædia Principis inſulæ nomine Publii* a Divino Hiſtoriographo memorata, viſuntur plura monumenta naufragi Gentium Doctoris adventum teſtantia; quippe in dextro ejuſdem ſinus cornu cernitur Fanum D. Pauli Indigenis *tal babar*, ideſt *maris*, dictum, juxta quod ad maris libellam exilit fons aquæ dulcis a D. Paulo virga litus percutiente productus; proindeque uſque ab illa ætate Syriaco vocabulo tunc temporis Indigenis haud ignoto, *Aayn Razzun*, ideſt Fons Apoſtoli fuit nuncupatus. Unde in eo legitur hæc epigraphe:

Hac

(a) *Cala* dicitur; non ab Itala voce *calare*, ideſt deſcendere, ut quidam cum Adverſario perperam cenſuerunt, ſed ab Arabica *ChelK*, quæ ſinum denotat.

Hac ſub rupe cava, quam cernis ad æquoris undas;
Eſt hic exiguus fons ſalientis aquæ.
Relligione ſacra fontem hunc venerare Viator,
Naufragus has dederit cum tibi Paulus aquas.

Interius M. fere P. ab eo litore conſpicitur Fanum S. Johannis *tal Kereb*, ideſt *ruinarum*, vel *a ruinis;* quarum reliquiæ adhuc exiſtunt. In hoc loco, ut inconcuſſa traditione accepimus, naufragos comites, nautaſque omnes ſanctiſſimus noſter Protoparens ſacris aquis luſtravit; ſed de his, aliiſque monumentis fuſius *in Diſſert.* 20. agemus.

§. VII. Dignus etiam, qui a nobis memoretur, eſt alius ſinus in extrema Inſulæ ora Favonium ſpectante ſitus, juxta cujus litus antrum eſt orbiculari forma in rupe effoſſum, & a Melitenſibus Neophitis Pauli monito, Naſcenti Deiparæ ſacratum, Incoliſque *tal Melleba*, ideſt *a ſalinis* (quod in iis locis ſalis copia conficiatur) nuncupatum. In ipſo colitur B. Virginis effigies a D. Luca, ut conſtanter a majoribus traditum eſt, depicta, Græce *Matri Dei* inſcripta, miraculis clara, adorantium frequentia, doniſque cultiſſima. Hanc ſacram Cryptam poſtea Incolæ in ampliorem Oratorii formam reduxere; in cujus parietibus cælatæ ſeptem cruces ſolemnem ipſius conſecrationem indicant; eamque fuiſſe factam ab Epiſcopis in hanc inſulam congregatis ad celebrandum, ſub Innocentio I. Milevitanum Concilium autumarunt nonnulli, ceteroqui eruditi viri. Nimirum Laurentius Surius, Thomas Porcacchius, Abbas Maurolycus, Johannes Maginus, Judocus Hondius, Petrus Bercorius, Paulus Rubeus, & alii, eam Synodum in Melita celebratam fuiſſe opinati ſunt. Verumtamen ingenui noſtri ſcriptores hanc Melitæ gloriam adſciſcere dedignantur; nempe ſat ipſis eſt debitis eam honoribus proſequi. Reverendus Hieronymus Manduca, Jacobus Boſius, Johannes Franciſcus Abela, Dominicus Macer, & alii, Concilium illud in *Milevio* Numidiæ urbe actum fuiſſe contendunt. Præ cunctis audiatur Manduca ceteris antiquior, qui *in hiſt. D. Publ.cap.* 3. ſic ait: *Propter hujus Sacrarii* (S. Mariæ a Salinis) *religionem Laurentius Surius pius vir, & eruditus Præfatione in Concilium Milevitanum credidit ibi Milevitanum Concilium collectum fuiſſe: ſed Milevetum inter Africanas urbes numeratur* (a).

Surius in Præfat. ad Concil. Milevit. Maurolyc. in Topograp. SS. MM. f. 107. Paulus *Roſſo* in ſtat. relig. Jeroſol. Henric. Pantaleon. de reb. geſt. Equit. Rhod. l. 7. Janſon. in collect. urb. tit. *Malta*. Boſius part. 3. l. 5. Macer in itiner. ad Mon. Liban. c. 2.

Vi-

(a) Idem ſentiunt Baronius in *Not. ad Mr. Rom.* Pamelius in Adnot. *ad Cyprian.* Melchior Incofer *in Mantiſſ. n.* 75. Aubertus Miræus *in Geograph.*

Vides quam inique Sycophanta noſter pronunciet, Melitenſes dejerare Fanum S. Mariæ a Salinis conſecratum fuiſſe ab Epiſcopis, qui Milevitanæ Synodo interfuere? De iſtius autem Sanctuarii conſecratione fuſius in *Diſſert. ult.* agemus.

§. VIII. Sed neque ſilentio involvendus eſt alius ſinus, qui a Vulturni adverſus ipſum flantis, nomine dicitur vulgo *Marſaſcirocco*. Etenim in eo ſitum erat celeberrimum Herculis Delubrum, de quo ſic ſcripſit Quintinus: *Herculani templi immenſæ adhuc reliquiæ patent, circuitu in paſſus ter mille, & ultra; in eo Inſulæ angulo, quem ab argumento loci, patria lingua, Euriportum nominant. Ima pars extat in pleriſque lapidum longitudinis, craſſitudiniſque ſtupendæ.* Attamen ſcriptor iſte alluciuatur tum in portus nomenclatione, tum in templi magnitudine: quippe ipſe Eurum pro Vulturno accipit contra noſtram ſententiam, necnon ampliorem æquo ſitum Delubro tribuit: itaut anſam Cluverio præbuerit ejuſmodi aſſertionis carpendæ. *En quis* (inquit ille,) *temere crediderit unum templum tria amplius millia paſſuum occupaſſe?* Hanc in Herculem Religionem una cum genere a Phœnicibus antiqui Melitenſes duxere.

Jo: Quintinus in deſcript. Melit.

Ibi (a) Phœnicum hominum genus inhabitant
Venerantes magni Jovis filium Herculem.

Dion. Afer de ſit. orb.

Cecinit Dionyſius Afer *in Poem. de orbis ſitu*. De Melitenſi autem Hercule ſic ſcribit Gregorius Giraldus lib. *de Diis Gent. Syntag.* 10. *ſed & Herculis Alexiaci Heſichius meminit, qui in Melita coleretur, unde etiam Melitis vocabatur.*

§. IX. Inſula noſtra quinis urbibus decorata eſt, quibus, ſicuti quinque ſuis lapidibus Philiſtæum Gigantem invictiſſimus David proſtravit, haud ſecus ipſa immanes Turcas debellare potis eſt. Harum antiquiſſima a Carthaginenſibus condita, *Melita* nuncupabatur, ut author eſt Tullius, ac Ptolomæus; nunc vero *Notabilis* audit, & Indigenis (*b*) *Medina*, ideſt Urbs per Antonomaſiam dicitur.

Cic. Verr. 5. Ptolom. l. 4. c. 3

Sac. Phil. Ferrarius *in lex. v. Milevum*. Phil. Cluverius *in Sicil. Antiq. l. 2. c. 16.* Franciſcus Balduinus *in Animad. ad Optat.* & alii. Sed id liquido liquet ex D. Auguſtini, unius ex ejuſdem Synodi Præſulibus, epiſtolis *ad Innocentium, ad Donatum, ad Hilarium*, ubi Milevitanum Concilium in Numidia, Africæ continenti collectum fuiſſe nitide declarat.

(a) In Inſula olim dicta *Cotinuſa*, hodie *Gadibus* (b) Eadem nomenclatione dicitur Hiſpanis *Medina Sidonia*, *Medina Cœli*, *Medina Campi* &c. necnon Africanis *Medina du Kola*; Mauritanis Tingitanis *al Medina Eſcura* &c. *Notabilis* autem cognomentum adepta eſt, propterea quod Rex Alphonſus Aragonius Melitam nuncupavit *Jocale notabile*, & *inſigne Regia Corona*,

tur. In Inſulæ meditullio ſuper eminenti colle ſita eſt, aggeribus, vallisque munita, prædiis, atque pomariis circumſepta, fontanis laticibus redundans, cœlo ſuaviter temperato amœna, ac ædibus hodie non minus, quam olim, teſte Diodoro, perpulchris, & magnificenter lautis exornata. Antiquitus MCCXIV. ulnas circuitu complectebatur; in præſentiarum autem DLXIV. In ea colitur pervetuſtum, ampliſſimumque Templum Cathedrale, ubi ſita erat antiqua Publii Domus, a D. Paulo erectum, inſtitutum, ac in Deiparæ Virginis honorem Deo dicatum; poſtea a Melitenſibus in ejuſdem Apoſtoli honorem conſecratum; & ann. MCCXIX. & MDXX. ampliatum: demum ann. MDCCII. a vigilantiſſimo, quum viveret, Antiſtite Fr. David Cocco Palmerio inſtauratum fuit, ſolemnique inauguratum ritu, hac ejus fronti appoſita epigraphe. Diod.Sicul. l.5.

D. O. M.
Divo Paulo Melitenſium Protoparenti
Hic
Naufrago humaniſſime recepto
Ubi
S.Publii Inſulæ Principis, primi Præſulis, ac martyris olim Ædes
Templum Hoc
Poſt XVI. Secula terremotu An. MDCXCIII. funditus collapſum
Propriis Eccleſiæ ſumptibus
Excitavit, concinnavit, inauguravit
Fr. David Cocco Palmerius Epiſcopus Melitenſis
Rituque conſecravit ſollemni
Die VIII. Octobris Anno a Partu Virginis MDCCII.

§. X. Hæc Βασιλικὴ magno argenti, aurique pondere, ſuperbis aulæis, ſacris veſtibus auro diſtinctis, pretioſa ſupellectile, multiſque prædiis, ac redditibus ditata eſt. Sunt in ea plura ſacella, atque Aræ variis Cœlicolis dicatæ; quorum imagines a Celebri Fr. Matthia Preti penicillo delineatæ ſunt: præ ceteris autem emicat Ara major Apoſtolo Sacra, in cujus interiori fornice Melitenſe ipſius Naufragium egregiis ejuſdem Pictoris coloribus exprimitur. Teſtudo (*a*) perampla, in modum coni ad ſummum faſtigiata, in exiguo pe-

B taſo

(a) Vulgo *Capola*. Virg. 1. Aeneid. *Tum foribus Diva media teſtudine templi ſepta armis, ſolioque alte ſubnixa reſedit.*

taſo deſinens, pellucidis in gyro ſpecularibus exornata eſt. Nec minus magnificum Odeum, e ſumptuoſis lignis affabre conſtructum, & hinc inde ſedilibus inſignitum, in quo ſtatis vicibus divina celebrant officia 20. *Canonici* venerandum Melitenſe *Capitulum* conflantes. Horum primi quinque Dignitates audiunt, ſcilicet *Archidiaconus*, *Decanus*, *Cantor*, *Theſaurarius*, & *Archipresbyter*. Quum ipſi ſolemnioribus diebus inſtructo ordine progrediuntur, *dicantium*, (*a*) more S. R. E. *Cardinalium* præmittunt.

§. XI. Huic Templo proximæ ſunt Epiſcopi ædes, nuperrime reſtauratæ, ac ampliatæ: juxta quas conſtrui cœpit novum Aſceterium, *Seminarium* vocant, antiquo amplius, ut in eo bonis moribus informentur, ac liberalibus diſciplinis imbuantur ingenui adoleſcentes, qui jam multi ſunt, ac in dies eorum numerus augetur. Cathedralem Melitæ ſedem, ante Rhodienſium Equitum in hanc Inſulam adventum, tres condecoravere Epiſcopi ſacra purpura illuſtrati, nempe Conradus Caracciolus Neapolitanus, Petrus de Foix Gallus, & Andreas de Valle Romanus, Archimandrita Meſſanenſis: quibus addi poſſet Curſetus Epiſcopus, e Melita Romam ad roſeum pileum accitus ab Alexandro VI. quo cum Pontifice veneno confectus eſt, ut in ſequenti Epiſcoporum Melitenſium ſerie prolixius expromam.

§. XII. In ſpatioſo ejuſdem urbis ſuburbio celebratiſſima viſitur Crypta, quam Beatiſſimus Apoſtolus ſuæ in hac Inſula manſionis tempore frequentans, atque incolens illuſtravit. Hinc eruitur mirificus ille contra venenatos angues, morboſque lapis, vulgo dictus *Grazia di S. Paolo*, cujus virtus toto terrarum orbe pernota eſt. Hanc ei non a natura, ſed a Naturæ Authore Pauli meritis inditam eſſe altero miraculo perſpicuum fit. Nam licet inde tantum lapillorum evulſum fuerit, quantum conflare potuerit aggerem ipſo antro majorem, tamen ſacra iſta, ut ita dicam, fodina ſemper intacta, ac ineffoſſa videatur, perindeacſi nullus ab ea lapillus fuerit ſublatus. *Circa Cryptam* (ut Pirri verbis utar) *eſt Cæmeterium ingens, in*

Rocc. Pirr. lib. 3. Eccl. Melit. Not.

quo

(a) Ita appellari ait Macer argenteam Clavam, quæ antiquitus ferebatur ante quoſdam Imperialis aulæ miniſtros, ut in præſentiarum ante S. R. E. *Cardinales* alioſque magiſtratus.

Digitized by Google

quo non ſoli Melitenſes, ſed & permulti exteri nobiles devotionis cauſa ſepeliri, eoque deportari teſtamento demandarunt: præſertim quia ibi ſe ſepeliri curantibus olim data fuit Indulgentia plenaria, qualis eſt Romæ in ſepulchro in Campo Sancto: quocirca in eodem perplura viſuntur Sacella. In hoc Cæmeterio locus eſt diſtans a Crypta jactu ſagittæ, in quo fama eſt prædicaſſe Sanctum Paulum, ad cujus rei memoriam in eodem erexerunt crucem lapideam. Super hanc ſacram ſpecum a quodam nobili, pioque Viro Cordubenſi, appellato Fr. Johanne a S. Panlo, qui circa An. MDCVII. conſulto in hanc ſeſe contulit Inſulam, ut in eadem Crypta degeret; conſtructum fuit Sacellum, ac in D. Publii humaniſſimi Pauli Hoſpitis, de quo Lucas *Act.* 28. honorem Deo dicatum: cui deinde M. Magiſter de Wignancourt, annuente Optimatum Concilio, adjunxit *Collegium* Presbyterorum S. Johannis, a ſe immodicis ſumptibus conditum, fundatumque. Huic M. Magiſtro, ejuſque ſucceſſoribus Sacram Pauli Cryptam regendam conceſſit Paulus V. P. M. motu, quem vocant, proprio *ſub datum Romæ* XI. Kalen. Jan. An. MDCXI. Idem Sacellum pluribus ab hinc annis in ampliorem formam redactum fuit a Nobili ditiſſimaque Melitenſi Matrona Coſimana Navarra, Cagliares, Vella.

§. XIII. Eidem Sacræ ſpeluncæ contigua eſt altera Eccleſia in B. Pauli honorem Deo ſacra, quæ Παροικια eſt, primaſque poſt Cathedralem tenet. A præmemorati autem *Collegii* Viridariolo patet deſcenſus ad ſubterraneas quaſdam cavernas, viis, ac vicis rectis, transverſiſque, inſtar urbis, ſeu verius labyrinti diſtinctas, in quarum parietibus excavata cernuntur plurima monumenta antiquiſſimorum Incolarum cadaveribus condendis aptata. Sunt & aliæ in aliis Inſulæ locis ſimiles cavernæ, ſeu *Cæmeteria*, quæ prætcrimus, ne brevis Deſcriptionis modum a nobis inſtitutum excedamus. Curioſus vero Lector de iis conſulere poterit Johannem Franciſcum Abela, qui multus eſt in ipſis exponendis. Abel. in Melit. illuſtr. lib. 1. not. 4.

§. XIV. In iſta Civitate, ejuſque ſuburbio viſuntur plura Religioſorum ordinum cœnobia, magnificis ſuis Templis conjuncta, ſatis ampla, rebuſque neceſſariis luculenter inſtructa. Prope majorem urbis januam ſitum eſt Venerabile Monaſterium ſub titulo Sancti Benedicti erectum, in quo

multæ ſanctimoniales virgines vitam cum virtute traducunt. In hujus urbis, ac omnium Inſulæ Pagorum Gubernatorem ab Eminentiſſimo Principe ac M. Magiſtro unus e Nobilibus Indigenis, antiquo Nationis privilegio, quotannis eligitur, qui vulgo *Capitaneus Virgæ* (quod virga in ſummitate auro exornata, ab Ephœbo geſtata, more quorumdam Siculorum Magiſtratuum, incedat.) Incolis autem Arabico vocabulo *Hakem* ideſt *Poteſtas* dicitur. Ipſe Militiæ Præfectus eſt, cauſaſque capitis cum Juriſconſulti *Aſſeſſoris* ſui voto decernit. In eadem reſidet alter Nobilis Magiſtratus, e quatuor Indigenis conflatus, qui annonæ præeſt, cauſaſque *Civiles*, ut Juriſtarum verbis utar, in *gradu primæ appellationis*, cognoſcit, ex privilegio eidem facto a Rege Alphonſo An. MCCCCLVIII. & ſtatis ſolemnioribus diebus toga ſenatoria ornatus, prælataque argentea clava progreditur, ac in Cathedrali Templo, una cum præſato Gubernatore, diſtinctis ſubſelliis decenter aſſidet.

§. XV. E regione ejuſdem urbis Occidentem verſus, parva interjecta valle, ſurgit colliculus Indigenis *Mitarſa* dictus: in quo creditur fuiſſe pervetuſtum, ac pulcherrimum Proſerpinæ Fanum, a quodam Chreſtione Auguſti Liberto, ac Procuratore reſtauratum, ut colligitur ex veteri marmore, ibi reperto, & penes Abelam olim ſervato, in quo hæc legebantur.

CHRESTION AUG. L³ PROC.
INSULARUM MELIT. ET GAUL.
COLUMNAS CUM * FASTIDIIS.
ET PARJETIBUS TEMPLI DEÆ
PROSERPINÆ VETUSTE.
RUINAM INMINENTIBUS.
RESTITUIT
SIMUL ET PILAM INAURAVIT

* *Faſtigiis.*

Hanc Deam colebant olim Melitenſes, utpote ii, quibus religio, ritus, mores, ac idiomata cum Siculis erant communia. Sicilienſes autem Proſerpinam habebant ut Dominam, quod huic Trinacriam a Jove dotis vice donatam fuiſſe ce-

ſe cecinerint quidam Poetæ, ut author eſt Diodorus. *Nonnulli vero Poetarum* (inquit ipſe) *fabulantur in Plutonis, & Proſerpinæ nuptiis, hanc pro anacalypteris (ſic exhibita ſponſæ munera vocant, cum retecta primum facie in virorum conſpectum prodit) novæ nuptæ a Jove donatam eſſe.*

Diod. Sicul. lib. 5.

§. XVI. Duo fere paſſuum millia diſtat ab eadem urbe amœniſſimus collis a M. Magiſtri Verdalæ nomine dictus. Quippe in eo ædificari ipſe curavit pulcherrimas ædes, forma quadrata, quarum anguli quatuor Cardinalibus Ventis obverſi ſunt; & ad quas per verſatilem pontem patet ingreſſus. Eas egregiis picturis, clariora ſua geſta, & præſertim qui fuerit ipſe ad Sacram Purpuram accitus, rubroque inſignitus pileo, mire exprimentibus ornavit. Necnon ipſis delicioſiſſimum conjunxit viridarium; quod poſtea M. Magiſter Laſcaris ampliavit auxitque fontanis laticibus, piſcium vivariis, ſpatioſis tramitibus, innumeriſque arbuſtis. Id quoque parvum ſaltum complectitur frondoſis quercubus virentem, quarum glandes cervis, damiſque ibi errantibus victum miniſtrant. Super antiquas ædes alteram contignationem conſtrui fecit M. Magiſter feliciter regnans. Huc ſeſe conferre ſolent M. Magiſtri, relaxandi animi cauſa, gravioribus curis ſoluti: quamvis hodie Rus *Sancti Antonii*, nomine inſignitum ii libentius frequentent; Quod eſt Vallettæ urbi propinquius, atque aeris temperie ſalubrius,

§. XVII. Secunda Melitæ urbs (ut ejus antiquitati debitus reddatur honos) Victorioſa nuncupatur: glorioſum hoc nomen adepta anno MDLXV. quum truculentam illam, ac formidabilem Turcarum obſidionem adeo ſtrenue ſuſtinuiſſet. Equidem tunc mirum erat cernere non ſolum viros generoſe dimicantes, ſed etiam mulieres virili animo ad obſeſſa mœnia accedentes, ut illis ſuccurrerent, neceſſaria miniſtrando, animoſque addendo, imo & ſtrenue pugnando. Condita fuit a M. Magiſtro Villertio ab Inſula Adami cognominato, ut primum ſacra ejus militia hanc Inſulam tenuit. Sita eſt in interiore parte illius Terræ linguæ, ſuper cujus extremitatem ſurgit Arx pervetuſta a S. Angeli nomine dicta, a Saracenis ann. DCCCXXVIII. conſtructa, ut author eſt Ludovicus de Marmol, quum ab eis tota Inſula occuparetur. Caſtellum hoc olim jure hæreditario poſſidebatur a Nobili Familia Nava Melitenſi, eidem

Vide Laurent. de Anania in deſcr. Mund. & P. Cartag. Hom. Tom. 4.

Ludov. de Marmol. in deſcrip. Afric. lib. 2. cap. 12.

ab

ab Hiſpaniarum Rege conceſſum ob inſignem ejus fidelitatem, & poſtea ab ipſa venditum Jeroſolymitano Ordini, quum in hanc Inſulam commigraſſet, ut tradit Dominicus Macer *in libro cui titulus Viaggio al monte Libano cap.* 2. Ab hac arce ſeparatur ea urbs foſſa æquoreis limphis repleta, ſuper quam verſatilis pons ad tranſeuntium commodum poſitus eſt. Heic ſitum erat ſuperbum Junonis Delubrum, de quo ita ſcripſit Tullius. *Ab oppido non longe in Promontorio, Fanum eſt Junonis antiquum, quod tanta religione ſemper fuit; ut non modo illis Punicis bellis, quæ in his fere locis navali copia geſta, atque verſata ſunt, ſed etiam in hac prædonum multitudine ſemper inviolatum ſanctumque fuerit*. Ejus reliquiæ perdurabant Quintini ævo: quippe ipſe *in Deſcriptione Melitæ* ſic ait: *Junonis Templum non ſolum inter magna, ſed etiam inter magnifica numerari potuiſſe arbitror, ex his, quæ pauca durant; medio fere loco, inter oppidum, & Caſtellum, ruina ſparſa apparet in multa jugera fundamentis, & ſubſtructionibus Templi, bonam portus ejus partem occupantibus, longe etiam in mari, in quo inædificatum erat infra Clivum Promontorii, in planitie, undique a ventis, & prææltis rupibus defenſa*.

Cic. 4. Verr.

§. XVIII. Quamquam vero iſta urbs virtute ſit magna, tamen ſitu parvula eſt: nempe ambitu ſuo duo milliaria, vel paulo plus complectitur: & partim muris cincta eſt, partim vallis munita. In ea olim commorabatur M. Magiſter cum ſuis equitibus, quum nondum eſſet conſtructa Valletta urbs, quam in præſentiarum incolunt. In illa nunc reſidet Præſul (*a*) qui a Romano Pontifice in hanc Inſulam mittitur ad inquirendos criminum in Fidem reos, & Apoſtolicæ Sedis negotia gerunda. Viſuntur in eadem urbe plures Eccleſiæ, inter quas ea primas tenet, quæ in D. Laurentii Martyris honorem Deo conſecrata eſt, *ac Parochialis audit*. Oſtentatur ibi ejuſdem Divi Martyrium adeo mire coloribus expreſſum, ut omnium inſignis Pictoris Fr. Matthiæ Preti operum pulcherrimum dici mereatur. Templum id magnificum ac pervenuſtum eſt: ſed major illius venuſtas, quod *ſub titulo SS. Annunciationis B. Virginis Mariæ* erectum, & *PP. Prædicatorum* Cœnobio contiguum eſt.

(a) Quum hæc ſcriberem, eo munere fungebatur D. Jo: Franc. Stuppanus, Præſul omnibus animi dotibus ornatiſſimus. Cujus locum implet Carol. Franciſcus Durinus virtute, ac pietate nulli ſecundus.

Digitized by Google

eſt. Nec invenuſtum, utut haud valde magnum, eſt aliud Fanum conjunctum Monaſterio S. Scholaſticæ nuncupato, in quo plures virgines ex virtutis diſciplina vivunt. In ejuſdem oppidi litore cernitur peramplum navale conſtruendis triremibus aliiſque navigiis accommodum; juxta quod ſunt ædes ſupremorum triremium, & bellicarum navium Moderatorum, aliorumque minorum ducum haud inconcinno ordine diſpoſitæ.

§. XIX. Tertium locum, ſi temporis rationem habeas; primum vero, ſi magnificentiam, aliaque ornamenta perpendas obtinet urbs Valletta, in Peninſula ſitum ſortita, hoc eſt, in Promontorio Indigenis *Sceb eras* dicto, præmemoratos duos inſigniores portus ſejungente, in cujus angulo imminet caſtellum perantiquum S. Elmi (*a*) nomine inſignitum, Pachyno obverſum, ab ipſa urbe, ampla foſſa ſeparatum: quod anno MDLXV. innumeris Turcarum irruptionibus, ſæviſque conflictibus fatigatum, ac 78000. ictibus bellicorum tormentorum quaſſatum fuit. Ab Inſulæ continenti eam profunda, ac lata foſſa ſejungit. Anno MDLXVI. ipſam condidit Clariſſimus M. Magiſter Fr. Joannes de Valletta, atque mœniis, arcibus, ac propugnaculis munivit ſecundum ichonographicum typum a peritiſſimo machinarum inventore Franciſco Laparello deformatum. Mirandum vero fuit, quam aſſiduam, ac ſolicitam operam huic urbi ædificandæ impendit prælaudatus Princeps: dignus plane is fuit, quem Eques Bartholomæus de Puteo, toto, & quidem prolixo poemate, *Valletta* inſcripto, commendaret. Id carmen autographum, & ut reor, ipſius Authoris manu exaratum inter paucos meos libros adſervatur, variis lituris, atque correctionibus notatum: in cujus *cantu* 1. *Stroph*. XI. hæc de iſto Heroe leguntur:

Egli, a cui più benigno infuſe il Cielo
Nel militar travaglio ingegno, ed arte,
Ora col filo, or col lanciar d'un telo
Miſura i ſiti; e li compenſa, e parte;
E con paterno indipendente zelo
I poſti di battaglia a ſuoi comparte:

Altri

(a) Mira varietas in eo nomine. Quibuſdam Elmus, aliis Ermus, ſive Eraſmus, aliis Telmus dicitur. Sub S. Telmi nomine D. Petrum Conſalvum a Nautis cultum, ait P. Ribadeneira. Id autem Caſtello nomen fecit Ædicula in S. Eraſmi honorem olim ibi conſtructa.

§. XXII. Necnon viſuntur ſeptem Diverſoria, Gallis *Auberges* dicta, ſeptenis Equitum nationibus, quas *linguas* vocant, propria: in quæ unaquæque natio coit, cibi capiendi, & linguis (hinc nomenclationis origo) conferendi, hoc eſt de propriis negotiis conſultandi cauſſa. Singula Diverſoria ſinguli Præfecti incolunt, nationalium Equitum victui proſpiciendo conſtituti: quorum unuſquiſque peculiari nationi ſuæ dignitate inſignitur: nempe Præfectus Provincialis *Magnus Commendator* audit; Arvernus *Mareſchallus*; Francus *Magnus Noſocomus* (quo titulo olim ipſe M. Magiſter decorabatur), & *Theſaurarius* generalis; Italus *Architalaſſus*, qui triremibus, rebuſque maritimis proſpicit: ex Tarracone, Catalaunia, & Navarra *M. Conſervator*, olim *Panarius* dictus; ex Caſtella, Legione, & Luſitania *M. Cancellarius*. Germanus, quum Sacer Ordo Rhodum teneret, *M. Diecetes* audiebat; hodie vero *M. Alemanniæ* Bajulivus, multiſque præeminentiis diſtinguitur. In Præfectorum quoque numero olim erat *Turcopola*, hoc eſt equitum levis armaturæ Dux, quo munere Anglicana natio fungebatur.

§. XXIII. Neque reticendæ ſunt publicæ Civitatis ædes, nuper ampliatæ ornatæque. In has convenit conſpicuus Magiſtratus quatuor Civibus conſtans, qui Annonæ proſpicit, pretiumque cibariorum indicit. Sed admiratione non minus, quam commemoratione dignum eſt celebre Noſocomium, ſacri Hoſpitalariorum Equitum Inſtituti ornamentum. Nempe id magnificum eſt, pluraque cœnacula continet; in quæ innumeri cujuſvis generis, ac conditionis ægroti recipiuntur, & religioſa liberalitate curantur, cuique ſuo aſſignato tabernaculo. Cœnaculum majus longitudine XXX. latitudine vero X. paſſus complectitur. Reliqua minora XXV. tabernaculorum capacia ſingula ſunt. Heic morbo correptos nedum excellentiores Medici, Pharmacopolæ atque Chirurgi curant; ſed etiam eis ex argenteis lancibus miniſtrant equites, præſertim ii, qui in religioſi inſtituti paleſtra exercentur, & nonnumquam ipſemet M. Magiſter. Iſti Noſocomio proximum eſt alterum ægrotantibus fœminis curandis deſtinatum, quod nuper refectum, atque ampliatum fuit. Necnon extra urbis portam, quæ *Regalis* dicitur, nuperrime conditum eſt quoddam ædificium, *Invalidorum Receptaculum* appellatum, in quod coguntur utriuſ-

Digitized by Google

que ſexus Pauperes per publicas ſemitas mendicandi cauſſa vagantes; ibique aluntur, rebuſque neceſſariis inſtruuntur, & quotannis nonnullæ ex eis, quæ ibi degunt, puellæ dotantur; hodie vero hujuſmodi fœminæ novas ædes ſeparatim incolunt. Hunc pium locum gubernant quatuor Equites Jeroſolymitani totidemque Melitenſes Patritii, quibus præeſt unus e Dominis Magnæ Crucis ejuſdem Ordinis una cum Vicario Generali Epiſcopi Melitenſis.

§. XXIV. Religioſorum Ordinum Aſceteria, ſeu Cœnobia, Sacrarum Virginum Monaſteria, Divinoque nomini dicata Templa, aliaque, ut vocant, Loca-pia, quæ in hac urbe viſuntur, ſingillatim recenſere, integri opus voluminis foret. Quamobrem perpauca ex iis deſcribemus, reliqua ſilentio involventes. Et primo brevibus adumbranda eſt auguſtiſſima Βασιλικὴ in Sanctiſſimi Servatoris noſtri Præcurſoris honorem Deo conſecrata, in qua inſignis Jeroſolymitani Ordinis Clerus ſumma religione Divina celebrat officia ſacraſque cærēmonias rite decenterque peragit. Sacerdotio initiati linea tunica induuntur, ſuper quam imponunt violaceum palliolum, candida cruce linea octogona in læva ejus parte aſſuta ſpecioſe decoratum. Hujus Cleri Antiſtes, *Generalis* majoris Eccleſiæ S. Joannis, aliarumque totius Ordinis *Prioris* nomine inſignitur (*a*), Romanorumque Præſulum more induitur: &, quum ſolemniter ſacris operatur, infula redimitur, lituum geſtat, &, uno verbo, Epiſcopum refert: interque multos ſibi ſacrificanti miniſtrantes habet duos Clericos, qui flabellis ex Pavonum pennis conflatis, muſcas deſcendentes ſuper ſacrificium abigunt, ſimulque eleganti quadam dexteritate Seraphim coram Deo tremorem repræſentant. Enimvero Græci in ipſis flabris Seraphim de pingunt. *Flabella vero* (inquit S. Germanus) *& Diaconi indicant Seraphim ſex alis prædita, & multi oculorum Cherubim effigiem*. In Conſtitutionibus autem Apoſtolicis hæc leguntur: *Duo Diaconi ex utraque parte altaris teneant flabellum ex tenuibus membranis vel ex pavonum pennis, vel ex velo, quibus*

S. German. in Theor. rer. Eccleſ. verbo *Cherubim*. Conſtit. Apoſt. lib. 8. cap. 19.

(a) Quum hæc ſcriberem, ea dignitate fungebatur Fr. Melchior Alpheran Aquiſextienſis, qui ſumma benevolentia me proſequebatur: pluresque duplicis ſuæ bibliothecæ libros mihi accommodavit. Vir animi candore, pietate, in pauperes munificentia, Eccleſiarumque ſibi commiſſarum zelo commendabilis.

bus leniter abigant prætervolantes beſtiolas, ne in pocula incidant. Sed hæc de iſto Præſule ſatis: nunc de ipſius Eccleſia reliquum eſt ut pauca dicamus. Sacra quidem hæc Ædes perampla & magnifica eſt. In ipſa viſuntur plures abſides, ſeu Sacella ſplendide ornata: quippe ſingulis ſunt ſua candelabra cum magna tum parva, lampades, aliaque ſacra inſtrumenta, omnia argentea. Aulæis mire contextis ſacris veſtibus ſumptuoſiſſimis, pretioſa ſupellectile, argento, auro, gemmiſque adeo luculenter inſtructa ea eſt, ut ditioribus magnarum urbium Templis, niſi præponenda, certe ſit comparanda. Ejus tectum interius, forniceſque elegantiſſimis figuris a nobili Fr. Matthiæ Preti penicillo expreſſis illuſtrantur. Pictor iſte toto orbe celeberrimus, in Equitum Jeroſolymitani Ordinis numerum ex gratia adſcitis, opus adeo inſigne gratis perfecit; tametſi præmii vice fuit abſolutus onere nauticæ expeditionis, quam probationis ergo ſacræ ejus militiæ Tirones inire ſolent. In eadem cernuntur plura mauſolæa, ſingulari cum materiei, tum operis magnificentia conſtructa, in quibus magnorum inclyti iſtius Ordinis Magiſtrorum oſſa, cinereſque requieſcunt. Nec minorem habet dignitatem ipſius pavimentum, fere totum elegantibus lapidibus ejuſdem Ordinis Optimatum ſepulcra tegentibus, exornatum.

§. XXV. Inter Eccleſias autem Melitenſi Epiſcopo ſubjectas principem locum ea obtinet, quæ a S. Paulo denominatur, & Παροικία eſt. Hæc pluribus abſidibus, atque aris, necnon eleganti Sacrario nuperrime reſtaurato, ampliatoque decoratur. In majori ejus ara viſitur pictum Apoſtoli naufragium, cui veram ſuam felicitatem acceptam refert hæc Inſula. Hinc eſt quod die X. menſis Februarii, Naufrago gentium Doctori ſacro, Melitenus Eccleſiarcha in iſto Templo ſolemniter ſacris operatur, interveniente pleno *Canonicorum* conſeſſu, ſive corona, quem *Circulum* vocant. Necnon ipſa urbs noctu feſtis luminibus ignibuſque publicam lætitiam, & filialem pietatem erga optime meritum ſuum Protoparentem oſtentat.

§. XXVI. Peculiari etiam mentione dignum eſt inſigne *Collegium* Soc. Jeſu. Hoc prope M. Magiſtri ædes ſitum eſt; fundatumque fuit Anno MDXCII. opera vigilantiſſimi, cultuſque Divini ſtudioſiſſimi Fr. Thomæ Gargalli

C 2 Me-

Melitenſis Epiſcopi. Huc fere tota confluit Melitena Juventa ad liberales artes perdiſcendas, bonoſque mores hauriendos. Ejus gymnaſia, μεσαυλοι, meſauli, ſive androues, atque atria nuper excitata ſunt, inque meliorem formam redacta. Huic Aſceterio conjunctum eſt Templum, cui nihil deeſt ex iis, quæ pulcherrimam Baſilicam conſtituunt. Id magno Fidelium concurſu, ſummaque pietatis cultura frequentatur: quod incenſo Divinæ gloriæ ſtudio quo flagrant Religioſi ejus Directores, tribuendum eſt. In uno ex ipſius Sacellis, in Sanctiſſimæ Virginis, quæ in Monteſerrato colitur, honorem Deo dicato, cernitur prælaudati Antiſtitis ſepulcralis lapis parieti inſertus.

§. XXVII. Ex omnibus Sacrarum Virginum monaſteriis, quæ in hac urbe ſunt, unum exponam ob inſignem habitum, quo Sanctimoniales amiciuntur. Hoc a S. Urſula denominatur: & M. Jeroſolymitani Ordinis Magiſtro, atque Eccleſiaſtico Cœnobiarchæ ſubeſt. Situm eſt prope SS. Petri & Pauli propugnaculum; unde amœniſſimus in majorem portum proſpectus: multaque prædia, redditusque poſſidet. Ei adjacet pulcherrima Ædicula, egregiis picturis ornata, & Eccleſiaſtica ſupellectile affatim inſtructa. Ejus ſanctimoniales eadem magna candida cruce, qua Jeroſolymitani Ordinis Magnates, inſignitæ ſunt: necnon in quibuſdam ſacris functionibus eodem longo Pallio, quo iſti, utuntur. E læva hujuſce Pallii parte bombycinum pendet vinculum, in quo aſſutæ cernuntur figuræ quædam Phrygio opere laboratæ, ſacratiſſima Dominicæ Paſsionis myſteria graphice exprimentes.

Lipſ. de Magnitud. Rom. c. 12.

§. XXVIII. Stupenda vero, ut ait Lipſius, res eſt a longinquo derivatis aquarum *per tubos, ac canales in fornicibus, per valles, per montes, per tot inæqualia, ſupra, infra terram*; ſicut in urbem Vallettam a remotiſsimis fontibus aqua derivatur. Equidem hæc nedum per ſubterraneos coniculos, verum etiam opere arcuato per iter ulnarum 7478. immodicis ſumptibus in hanc urbem ducta fuit Anno Ær. Vulg. 1615. ſub auſpiciis ſæpe laudati M. Magiſtri de Wignancourt. Prope hujuſce urbis mœnia cernitur munimentum Florianæ appellatione nuncupatum: intra quod nuperrime conſtructum eſt novum ſuburbium, ab Eminentiſſimi Principis feliciter regnantis cognomine *Vilbena* dictum: elegantibus ædificiis, ſpatioſis ſemitis, pla-

plateaque ſatis ampla ornatum ; in cujus meditullio Fons e Melitenſi marmore affabre elaboratus criſtallinas dulceſque lymphas in amplum cratera fiſtulis effundit. In eo ædificatur Templum in Deiparæ, ac S. Publii Martyris, Melitæ Principis, primique Præſulis honorem Deo conſecrandum : eritque Parochiæ vice ipſius Suburbii accolis. Sed tranſeamus ad reliquas duas Melitæ civitates.

§. XXIX. Contra terræ linguam, in qua diximus ſitum eſſe vetuſtum S. Angeli Caſtellum, eique adjacentem Victorioſam urbem, in mare protenditur Cherroneſus, ſuper quem conſtructa eſt S. Michaelis arx, interiuſque urbs *Senglea* a ſui conditoris Fr. Claudii *de Sengle* cognomine nuncupata, quæ antea ob loci ſitum *Inſula* audiebat. Cherroneſum hunc eſſe illum, cujus meminit Ptolemæus, quidam credidere; ſed allucinati ſunt: nam peninſula a Ptolemæo memorata, ut animadvertit Cluverius, ab eodem ponitur in Occidentali Melitæ parte, ac eſt *ea extima Inſulæ pars in Occaſum Solis æſtivi proſpectans* : *quam amniculus ſeptentriones verſus efficit peninſulam*. Hæc urbs ambitu ſuo milliare cum dimidio præter propter complectitur: pulchris ædibus, ac Templis decoratur; multiſque frequentatur accolis, qui fere omnes vel nautas agunt, vel mercaturam exercent: qua Libonotum ſpectat, altis, validiſque mœnibus munita eſt; qua vero Occaſum Solſtitialem, prædicta Arce tutatur. Seſe adeo ſtrenue ipſa geſſit in Turcas ſub Solimano Melitam obſidentes, ut *Invicta* audierit: ejuſque incolæ ab indictionis onere, quam quotannis M. Magiſtro pendere ſolebant, Sacri, quod vocant, Concilii ſtatus decreto fuerint abſoluti. Iſta civitas, ac Victorioſa, ſeſe invicem ſpectantes, ſatis amplo maris canali, ipſarum litora variis ædificiis exornata interlabente, gratiſſimam duplicis theatri ſpeciem exhibent. Hujuſce canalis, ſeu ſinus oſtium magna ferrea catena, eaque expanſa, & ab capitibus firmata obſeratur, (a) ſi quis hoſtium adproperantium rumor increbeſcat.

Cluver. lib. 2. Sic. antiq. cap. 16.

§. XXX. In intimo ejuſdem ſinus litore, juxta quod ſta-

(a) Mos iſte claudendi catenis portus eſt perantiquus: quippe ait Frontinus *lib. 1. Strat. Cn. Duellius CS. in portu Syracuſano, quem temere intraverat, objecta ad ingreſſum catena clauſus, univerſos in puppim retulit milites*. Nec tantum catenis, ſed & ligneis ſeptis portus obſerare veteres conſueverunt; unde portus Latinis *clauſtra* dicta ſunt, ut animadvertit Joh. Scheſferus *lib. 3. de milit. nav. vet. cap. 4.*

ſtationem faciunt bellicæ naves, ab Orientali latere ſeſe objicit conſpicua urbs, a vocibus *Bir-Mula*, quæ *puteum Domini* ſonant, denominata. Johannis Franciſci Abelæ ævo lares 642. & incolas 2778. complectebatur: in præſentiarum autem multo majori tum domorum, cum incolarum numero ſcatet. Equidem in ea forum eſt, in quo veneunt ferme quæcumque eſui apta ſunt, itaut cum ipſo Vallettæ urbis foro eſculentorum affluentia certet. Hinc eſt quod in ejus confiniis plura ruſticana ædificia cernuntur, in queis non pauci aliarum urbium accolæ villicantur. Atque inter hanc urbem, & Victorioſam tot ædes nuper conſtructæ ſunt, ut formaverint vicum, cui a S. Margarita nomen: hujus enim glorioſæ Virginis Fanum ibi viſitur, contiguum monaſterio, Petri Saliba, Melitenſis Presbyteri, Sanctis moribus, Chriſtianiſque virtutibus ornatiſſimi, opera nuper condito: in quo plures caſtæ Puellæ non minus auſteram, quam innocentem vitam tranſigunt. Huic proximum eſt amœnum Carmelitarum, ut vocant, Diſcalceatorum Cœnobium, nobili conjunctum Templo, quod in Seraphicæ D. Tereſiæ honorem Deo dicatum eſt. Urbs iſta peramplo cingitur munimento, a M. Magiſtri Fr. Nicolai Cotoner, ejus conditoris nomine, *Cotonera* dicto: quod vero abſolutum haud eſt, multique militis ad ſui propugnationem indiget: nempe adeo vaſtum id eſt, ut omnes Inſulæ pecudes, agricolaſque capere poſſet, ſi quando ipſam hoſtes obſiderent. Quocirca quidam noſter Poeta hoc luſit epigrammate:

Jo: Francif. Bonamicus in Laur. Cotoner.

Concita Boſphorei ſi quando littore Tracis,
Preſſiſſet noſtrum dira procella ſolum;
Paſtores, pecudeſque ſimul, duroſque colonos
Uno merſiſſet gurgite Parca ferox.
At poſtquam, Princeps, Cotoneræ mœnia pandis,
Perfugium Paſtor, Grex, & Arator habet.
O! quem Te dicam! vel quo jam nomine ſignem!
Tu Patriæ eſto Pater: Tu novus eſto Noe.

In præſentiarum autem in eodem S. Margaritæ colle, ad majus ſubjacentium portuum tutamen, ædificare pergunt Arcem, a Cardinalis Florentiolæ, qui ejus graphidem inſtituerat, nomiue dictam. Cujus quidem ædificatio fuit deinde intermiſſa; quum nempe M.M. Cotoner jam deſcriptum munimentum conſtruere occepiſſet. Nunc vero ipſa per-

perficitur juxta deformationem Equitis de Tigny, Machinatoris Regis Chriſtianiſſimi, a Domino de Montaigut, Hiſpaniarum Monarchæ machinarum inventore, adprobatam.

§. XXXI. Deſcriptis Melitæ urbibus, ad ejuſdem oppida, pagoſque noſtra converti debet oratio. Hieronymus Alexandrinus apud Johannem Blaeu XLV. pagos in hac Inſula recognoſcit. Quintinus XL. numerat, Jacobus Boſius præter propter XL. Abela XXXVII. aliique LX. recenſent. Neque autem miretur meus Lector, quod adeo inter ſe diſcrepent prælaudati Scriptores: nam eorum alter oppida dumtaxat ævo ſuo exiſtentia connumerat; alter quoque ſemidiruta, alter & prorſus diruta adnectit; alter nedum ea omnia, ſed etiam quoſdam verius vicos quam pagos complectitur. Verumenimvero noſtro ævo digniora, incoliſque frequentatiora oppida & pagi, quorum ſingula a proprio Parocho diriguntur, XXII. ſunt: reliqua vero vel inhabitata, vel temporum injuria deſtructa, vel ſunt eorum vici, & ſua proximi oppidi ſeu pagi Parochia comprehenduntur. Singulorum ferme pagorum accolæ peculiari loquuntur dialecto, ſeu verius pronunciationis accentu, quo facile inter ſe diſtinguuntur. Quædam oppida quingentis circiter laribus, & quatuor millibus accolis ſcatent: ut ſunt, id quod ab oleis, quarum erat feraciſſimum, nomen (*a*) ducit; & aliud quod Johanni Blaeu, ſecundum indigenarum vocabulum, *Cormium* dicitur, hodieque *Caſal-Fornajo*, eo quod inibi ſit magna piſtorum copia. In ſingulis noſtris pagis viſuntur plura Templa, quorum nonnulla adeo magnifica atque ampla ſunt, ut Advenas, habito loci reſpectu, admiratione compleant. Præ ceteris oppidis duo ſpeciatim mentione digna ſunt: unum quod a puteo frigido *Bir-carcara* denominatur, & Eccleſia, quam vocant, *Collegiata*, ſub antiquo S. Helena titulo erecta, inſignitur. In ea XII. *Canonici* una cum *Præpoſito*, quæ dignitas eſt, Divina celebrant officia. In præſentiarum autem ab Oppidanis conſtruitur ſub eodem titulo nova Baſilica, quæ magnitudine omnibus hujuſce Inſulæ Eccleſiis antecellet. Hoc oppidum nimis luculento commendat encomio S. Rota Romana coram Carrillo. Alterum *Naſſar* Indigenis dicitur, quod in eminenti, amœnoque loco ſitum eſt. Heic in In Recent. part. 7. decif. 257.

(*a*) Indigenis *Zebbug*.

in quadam turri, e qua Occaſum & Septemtriones verſus gratiſſimus eſt proſpectus, reſidet Eques ducem agens DCCC. circiter militum, qui hujus oppidi militiam conſtituunt. Ipſius Incolæ gloriantur, ſeſe eſſe antiquiores Melitæ Chriſticolas, a S. Paulo ſacris expiatos laticibus: nec futilem rationem ſubjiciunt, cur ita ſentiant, affirmentque; nempe oſtendunt ſeſe eſſe viciniores ſinui, in quem naufragus enatavit Apoſtolus, vocemque *Naſſar*, qua oppidum indigitant, vernacula lingua Chriſtianos indicantem (*Naſſara* enim idem atque Chriſticolas ſonat) ſibi per antonomaſiam tribui aſſerunt, propterea quod ipſi fuerint primi ad Chriſti fidem amplectendam. Et ſane ejuſdem Oppidi incolas fuiſſe *Barbaros* illos, quorum meminit D. Lucas, cum auctoritatibus, tum rationibus *in diſſert. ultima* demonſtrabo.

§. XXXII. Circum hæc oppida pagoſque agri, & pomaria fertiliſſima cernuntur; ſiquidem in ipſis *biferæ*, ut fatetur Quintinus, *arbores, binæ ſæpe meſſes: demeſſo enim bordeo, mox cotonum ſuccedit, vel bordeum cotono; adeo terra non ceſſat parere: idque ſi ſit aptum ſolum, magna fœcunditate. Ex modio ſiquidem ſexdecim, & plures nonnumquam modii redduntur: ordinarium autem ut cum decimo, aut duodecimo fœnore totius Inſulæ campi fundant*. Mihi vero ex modio vigintiquatuor circiter modios reddi nonnumquam contigit: ſed ſæpius evenit quod aſſerit Quintinus, ſecundum minorem aut majorem agrorum fertilitatem. Melitenſe autem goſſypium, aut Xilynum, ſeu *cotonum* eſt optimum, & quidem excellentius, quam Afiricum, vel Hiſpanienſe: ſiquidem eſt exile, molle, & candidiſſimum. Proveniunt quoque in noſtris campis duo cumini genera: quorum unum *acre* dicitur, & medicinis, tincturiſque aptum eſt; alterum per omnia refert anethum, aniſumque, condimentis uſitatum: ſativum eſt utrumque, gracilique ſolo gaudet, ab exteris mercatoribus valde expetitum; unde Indigenis immodicum provenit emolumentum. Naſcuntur heic etiam ſerpyllum, cythiſus, thymus, variæ olentes herbæ, ſalubreſque, plurima leguminum genera, fructuſque ferme omnes, quos fert Italum Solum, ſed præſtantiores, magiſque exquiſiti ſaporis: præſertim mala medica, perſica, citrea, pyra, ficus, atque uvæ præduræ tunicæ, & acinorum magnitudine pruna æquantes; ex quibus generoſus exprimitur liquor; tametſi parum vini conficitur:

quum

quum enim ipſæ ſiut ſapidiſſimæ, ad eſum divenduntur.

§. XXXIII. Et quod mirum eſt, brumali tempore virent omnia, florent arbores, herbæque mediis e ſaxis viridantes erumpunt, & licet per totam æſtatem ſolaribus ardoribus pene exurantur, tamen roſcidis noctibus, quæ illis pluviarum vice ſunt, refrigeſcunt ac humectantur. Quædam vero pomaria, hortique perennium aquarum rivis irrigantur. Fontium enim tantus heic habetur numerus, ut omiſſis minoribus, LXXX. inſigniores recenſeat Abela. Abel. lib. 1. not. 12. Quod ſane admiratione dignum putabis, ſi hujus Inſulæ humilem ſitum, parvumque ambitum perpendas. Tametſi æſtate ferveſcente tenues ſontani latices fere omnes deficiunt: haud vero deſunt capaces ciſternæ, in quibus aquæ dulces adſervantur. Melitenſes quoque flores præſtantiſſimi ſunt, pergratique odoris, & maxime roſæ, quibus fartos pulvinos in deliciis habebat antiquitas, ut ex Tullii actione V. in Verr. perſpicitur. Quamobrem in hac Inſula fiunt ſuaviſſima mella: & olim tanta erat apum copia, quæ in ipſius antris, caveiſque mellificabant, ut ex lapidum ſciſſuris mellei quaſi rivuli exilire viderentur. Revera vallem habemus, ab immemorabili ætate Indigenis dictam *Viedelbaſel*, ideſt *mellis torrentem*, ſeu *vallem per quam mellis torrens* dilabitur; propterea quod in eam ex imminentibus colliculis, ſeu rupibus copioſum mel defluebat. In quo loco viſitur ædicula in D. Pauli primi Solitarii honorem Deo dicata: ex cujus caute guttatim deſluit aqua ſaluberrima, ægrotiſque ſummopere expetita.

§. XXXIV. Alit etiam hæc Inſula generoſos equos bello utiles, corpore elegantes: curſuque velociſſimos, adeout ab exteris nationibus nimis expetantur. Necnon heic olim gignebantur pulcherrimi Catelli ad hominum delicias, ut auctor eſt Strabo; quamquam Adverſarius noſter eos Meltæ ſuæ vendicare conetur, Callimachum advocans, quem Plinius, & quidam Neoterici ſequuntur. Nimirum is ejus eſt mos, ut Auctores ſibi aſtipulantes facile lubenterque anteferat iis qui Strab. lib. 6. ſibi refragentur, quamvis magis veridici graveſque hi ſint. At ipſe majori in pretio habere deberet Strabonis, quem & multi cordati Scriptores amplectuntur, quam Callimachi auctoritatem. Quandoquidem hic falſa ſcribere conſuevit: nimirum præter alias reprehenſiones, quibus apud ipſum Strabonem ob-

Apollodor. ap.Strab lib. 7.

noxius is eſt, venia eum minime dignatur Apollodorus; propterea quod Grammaticum ſe profeſſus, Gaudnm tamen Calypſus inſulam faciat, & de Corcyra Scheriam. Si ergo res adeo celebres, uti erat Nymphæ illius ſedes, ipſe ignoravit; quid mirum ſi idem neſciverit, utra Melita puſillos illos catulos produceret? Hujuſmodi autem errores uumquam admiſit Strabo, qui emunctæ naris viris, Petro Victorio, Delrio, Rhodigino, Caſaubono dicitur *gravis*, *diligentiſſimus Scriptor*, *magnus Auctor:* necnon teſte Lipſio, *pleraque refert oculata fide*. Ceterum nos hanc Meletæ gloriolam ultro gratiſque concedimus: ſuis ipſa ſibi placeat beſtiolis; dummodo *Naufragum Paulum*, quo nos inſignimur ac jure merito gloriamur, ſibi adſciſcere non audeat.

Victor. var. lect.l.13.c.3. Delrius ad Solin. Polyhiſt. cap.41. Rhodig.lib. 21.c.25. Caſaub. ad Matth. c.11. Lipſ.ad Tacit.Ann. 11. cap.60.

§. XXXV. Naſcuntur heic quoque plurima altilia, quorum nonnulla hinc in Italiam deferuntur, ut ſunt Gallinæ quas vocant Pharaonis, aliæque ab Italis diverſæ: necnon cuniculi, lepores, oves, capræ, boves, aliaque jumenta magnis ſarcinis ferendis utilia. Neque deſiderantur varia volatilium genera, quibus inſidias moliantur aucupio ac venationi dediti: ſtatis enim temporibus captantur ficedulæ, turdi, alaudæ, coturnices, turtures, perdices, attagines, ſcolopaces majores, minoreſque, ac innumeræ aliæ volucres eſui jucundiſſimæ.

§. XXXVI. Mare autem hanc Inſulam circumfluens omni piſcium ac teſtaceorum genere ſcatet: heic ſiquidem capiuntur immodici Synodontes, pingues orphi, eximii phagri, ingentes lauciſci, præſtantes labraces, ſoleæ, barbi, & regalia munera ſcari; necnon Xiphiæ, cordylæ, rubentes locuſtæ, cognatique elephantes, &, ne multus ſim, ferme quotquot piſcium genera, ſive hamo, ſive retibus, ſeu tridente capi aſſolent, Quin etiam petræ ipſæ marinis aquis fœcundatæ cochleas, donaces, lepades, conchas echinatas, oſtrea, tellinas, aulos, pholades, melænides, phereæcides, & alia id genus producunt. Corallum quoque in hoc mari provenit: neque minor ſalis copia fit in ipſius litoribus, quas vulgo *Salinas* appellant.

§. XXXVII. Noſtra Inſula C. mille accolis ſcatere creditur, comprehenſis multis exteris, magnoque mancipiorum & infantium numero: quamvis Jacobi Boſii ævo haud adeo incolis erat frequens. Urbi rerum Dominæ antiquitate præcellit:

cellit:

cellit: nempe ipſa, ut ſcite animadvertit Quintinus, *florebat Regum, Tyrannorumque amicitiis, ſæculis aliquot ante exædificata*, quam illa condita eſſet. In hac Inſula numerantur CCLI. Templa, comprehenſis XXXIII. *Parochiis*; quorum X. in D. Pauli Protoparentis noſtri honorem, præter ſacram ejuſdem Cryptam, Deo dicata a Majoribus ſunt. Quinimo cuncta Inſulæ Templa, Quintini ætate, eidem S. Apoſtolo erant nuncupata: en illius verba: *Divo Paulo conſecrata eſt Melita, quem quondam natio illa Deum credidit, cujus mira quædam tota Inſula privatim ac publice religio eſt. Anguſtius in ea Templum, ubi nunc Epiſcopi ſedes, Paulo dicatum eſt, & tota in ea Inſula ſacella*. Religioſorum autem Ordinum Cœnobia XII. ſunt, præter *Collegium Soc. Jeſu*; atque alteram Capuccinorum, ut vocant, ædem, quæ brevi conſtruetur, propter arcem Cotoneriam juxta portum quem vocant Anglorum. Sacrarum Virginum monaſteria VI. Publica Noſocomia IV. queis nuperrime additum eſt aliud in quod recipiuntur mendici, atque inopes, qui viribus impotentiores quum ſint, victum ſibi comparare non valent, unde *Invalidorum Receptaculum* dicitur. Sunt & alia V. Loca Pia, quæ *conſervatoria* vocant, in quibus honeſte pauperesque Puellæ educantur, variaque muliebria perdiſcunt, donec nubant, impertita ſibi dote a quorumdam piorum legatorum Adminiſtratoribus. Horum tria, ut ſupra ajebam, nuperrime coacta ſunt in ampliſſimum novum ædificium, extra Vallettam urbem ſitum. Necnon in hac urbe viſuntur ædes in quas mulieres ex turpi ad honeſtam piamque vitam converſæ recipiuntur. Prætereo plurimas ſacras ædiculas, quæ *Oratoria* vulgo dicuntur, ſingulis ferme Cœnobiis, atque *Parochialibus* Eccleſiis conjuncta, in queis pietatem ac religionem excolunt varii proborum hominum cœtus (*ſodalitates* appellantur) Divinorum myſteriorum, aut Cœlicolarum, quibus addicti ſunt, nominibus inſigniti.

§. XXXVIII. Poſtquam ultrices magni Cataclyſmi aquæ terram inundare abſtitiſſent, priores Melitam habitarunt Gygantes, ſive Cyclopes, ut rite conjicit Abela. Deinde ipſam incoluere Phæaces; quos paulo ante Iliacam expeditionem expulere Phœnices, hanc Inſulam una cum maritima Trinacriæ ora occupantes, ut affirmat Cluverius Thucydidem, Diodorum, ac Scylacem allegans. Populi iſti erant literis apprime inſtructi, remque Grammaticam a Judæis edocti, qui

Mel Illuſtr. lib. 2. not. 1.

Cluver. Sic. antiq. lib. 2. cap. 16.

eam a ſapientiſſimo Legiſlatore Moyſe hauſerunt, ut auctor eſt antiquiſſimus Eupolemus apud Poſſevinum, & Genebrardum. Illi poſtea Græcos erudivere grammaticis inſtitutionibus: quamobrem cecinit Lucanus:

. . . . *Phœnices primi (ſi credimus) auſi*
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Neque minus in re nautica ipſi præſtabant: nempe magno navigiorum numero, teſte Diodoro, pollebant, ac mira navigandi peritia a majoribus ſuis accepta, aſſiduoque uſu exculta, celebrabantur: atque, ut ait Callimachus, ſuum curſum tenebant Urſæ minoris ſtellis a Thalete Mileſio, qui eam invenit, notatis. Quid ergo mirum, ſi Melitenſes ab iis oriundi adeo in rebus nauticis excellunt? Quod autem Phœnices hanc Inſulam incoluerint, nedum præcitatis auctoritatibus, ſed etiam pluribus antiquis monumentis heic repertis comprobatur. Nos prætermiſſis iis quæ recenſet Abela, de uno dumtaxat, huic Scriptori minime noto, pauca dicemus. Nempe Anno MDCCXXIX. in intimo portus majoris litore, quum hoc effoderetur, ut arbuſta quædam ibi circumſererentur, detectum fuit quoddam balneolum, quod ſub terram deliteſcebat. In hujus pavimento, ac parietibus emblemate vermiculato diſtinctis cernebantur quinque figuræ, nonnullos piſces, angues, draconeſque exprimentes. Iſtud pueri, quorum effræni licentiæ patens erat, omnibus minutis teſſerulis ſpoliavere. Hujuſmodi vero opus Phœnicibus, antiquiſſimis Melitæ incolis tribuendum eſſe nemo eruditorum ambiget: ſiquidem ii ſimilibus hieroglyphicis notis utebantur, earum peritia ab Ægyptiis majoribus ſuis educta, qui, ut ait Tacitus, *primi per figuras animalium ſenſus mentis effingebant.*

Poſſevin. Bibl. ſelect. Tom. 1. lib. 1. c. 13. Genebrard. Chron. l. 1. ad ann. M. 2727. Lucan. 3. Pharſ. Djodor. l. 12.

§. XXXIX. Poſt Phœnices Græci Melitam occupavere, ac exinde in ipſa regnavit Battus, cui Carthaginenſes ſucceſſere, ante Hannibalis tempora, ut innuere videtur Appianus. Battus iſte, Euſebio teſte, condidit Cirenen Libycam urbem Anno ante Chriſtum natum DCXXX. ut refert Petavius. Ab iſtius Principis regno primos Melitæ incolas recenſere incipit Fazellus. *Melita* (is inquit) *principio rerum Batto regi, opibus, & hoſpitii fœdere cum Didone celebri, atque exinde Carthaginenſibus paruit, cujus teſtes ſunt lapideæ columnæ plures paſſim in ea obviæ, vetuſtis Carthaginenſium chara-*

Appian. Alexand. de Bell. Pun. P. Petav. de doctr. Temp. lib. 12. Th. Fazel. de Reb. Sic. Dec. 1. lib. 1. c. 1. P. Onuphr.

cteri-

Digitized by Google

ſteribus, Hebræis non diſſimilibus inſculptæ. Deinde ipſam prædati ſunt Ætruſci, ideſt Vulterrani, quibus trucidatis Melitenſes ſeſe iterum Afris dedidere, ut autor eſt Curtius Inghiramius apud Abelam. Poſtea ipſa æque ac Sicilia potiti ſunt Romani, ut videre eſt apud Livium, & Jacobum Salianum; unde Melitenſes Romanorum ſocii audiebant: deinde Imperatores Orientis, mox Gothi, denuo Græci, & tractu temporis Saraceni. Hi Siciliam occuparunt ab Anno reparatæ Salutis DCCCXX. vel DCCCXXVII. ut colligitur ex Chronicis Siculis primum a Caruſio, deinde a clariſſimis *Rerum Italicarum Scriptorum* Collectoribus in lucem editis. Melitam vero tenuere Anno DCCCLXX. XIII. Kal. Septemb. ut legitur in Chronico Saracenico-Siculo Cantabrigienſi ſupra citato. In ſtatuendo autem tempore, quo Trinacriam a Saracenica Tyrannide vindicaverint inclyti Duces Robertus Guiſcardus, & Rogerius ejus Frater, digladiantur inter ſe Rerum Sicularum Scriptores a prælaudatis Collectoribus divulgati. Quippe Fr. Conradus Dominicanus ait quod Anno MLVIII. ii Duces *tranſierunt in Siciliam, & debellaverunt Saracenos uſque Syraguſiam, & Traynam*. Chronicon Siciliæ Auctoris Anonymi *cap.* 6. habet, quod ipſi ad eamdem Inſulam migraverint Anno MLX. a quo cœperunt ſubigere modo hanc, modo illam urbem, aut arcem; donec poſt XI. annos multo labore confectos Panormo potiti fuerint, Anno videlicet MLXXI. Cui Scriptori conſentit Gaufredus Malaterra *Hiſt. Sic. lib.* 2. *cap.* 45. Idem legitur *in Nota XI. ad lib. 3. Poemat. hiſt.* Guilielmi Appuli *de Reb. Normann. geſtis in Sicilia* &c. Tametſi Chronicon Northmannicum iſtius urbis recuperationem conſignat in An. MLXXII. Alter Hieronymus in *brevi Hiſtoria Liberationis Meſſanæ a Saracenorum jugo*, antea vulgata a Cl. V. Stephano Baluzio, tradit eam urbem a Saracenica ſervitute exemtam fuiſſe Anno MLX. Fazellus autem aſſerit Saracenos a Rogerio Siciliæ Comite expulſos Anno MXC. habita forte ratione temporis, quo Neetini recuperatorum Siciliæ Populorum ultimi ſeſe Comiti dediderunt. Nempe præcitatus Gaufredus *lb.* 4. *cap.* 15. ita loquitur: *Notenſes videntes omnem Siciliam ſub comite curvatam, ſeſeque ulterius incaſſum reſiſtere, conſilio inter ſe habito, Comiti reconciliari utile ducunt. Denique de ſe ipſis legatos eligentes ad Comitem dirigunt, qui apud Melitum*, *ubi*

Mel. Illuſtr. lib. 2. not. 6.

Livius lib. 1. ſecund. bell. Pun. Jac. Salian. Ann. Eccl. Tom. 5.

Jo: Bapt. Caruſ. in Bibl. Hiſt. Regn. Sicil. Collect. Rer. Ital. Scrip. Tom. 1. part. 2. & Tom. 10.

Tom. 1. part. 2. & Tom. 5. 6. & 10.

ubi tunc Comes morabatur, accedentes, pacem faciunt Anno Dominicæ Incarnationis 1090. *Februario menſe*. Propterea Cl. V. Ludovicus Antonius Muratorius *in ſua Præfatione* præmemoratis Siculis Chronicis præfixa, inter tot diſcrepantes ſententias prudenter aſſerit, Siciliam fuiſſe *recuperatam Roberti Guiſcardi, & Rogerii ejus fratris virtute poſt Annum* MLXXII. Neque minus controverſum eſt tempus quo Melita fuerit a Saracenorum jugo liberata: id ſiquidem in Anno MLXXXVIII. conſignat Conradus Panormitanus *in præallegata epiſtola*. Ad Annum MLXXXIX. trahunt Pirrus, & alii. Quibus tamen repugnant prælaudatus Malaterra, & Abbas Celeſinus. Videlicet ille tradit, hanc Inſulam Anno MXC. quo tempore cuidam Gayto erat mancipata, ſeſe Comiti Rogerio dediddiſſe pacta annui tributi ſolutione. Alter autem affirmat, Regem Rogerium ejuſdem Comitis filium, quum adoleviſſet, nempe circiter Annum MCCXII. præter alias Inſulas hanc noſtram invaſiſſe. Relatu autem dignum eſt quod enarrat idem Malaterra, nempe tum temporis Chriſtifideles captivos, geſtantes cruces ex ligno vel arundine compoſitas, & proclamantes *Kyrie eleiſon* Comiti obviam iviſſe, eique ut libertatis ſuæ vindici gratias ſubmiſſis genibus retuliſſe. Qua de re heic viget Traditio, imo & monumentum: quippe locus ubi ii Chriſticolæ congregati fuere, uſque in præſens ævum dicitur *Viedirrbum*, ideſt, *vallis Chriſtianorum*. Saracenus vero qui tunc Inſulæ dominabatur, valde ſenex fuiſſe dicendus, ſi erat ille Gaytus Maymonus Hiſpano-Saracenus, qui Anno MXXVII. XVI. Kal. Auguſti *Pactas, & terram Syracuſanam infra dies ſeptem vaſtavit, prædavit, & incendit, utriuſque ſexus de hominibus partim occidit, & partim captivavit*, ut legitur *in Appendice ex Codice Marchionis Jarratanæ ad ultimum cap. lib.* 4. *Hiſtor. Gaufredi Malaterræ penes eoſdem Collectores Tom.* 5.

Tom. 1. part. 2.

Pirr. lib. 3. Sic ſac. not. 7. Alex. Celeſin. de Reb. geſt. Roger. Reg. lib. 1.

§. XL. Poſt Normannorum dominium Inſula noſtra iiſdem, atque Trinacria, Regibus paruit, nempe Svevis, Gallis Tarraconenſibus. Tandem Anno MDXXX. (*a*) a glorioſo Im-

(a) Antagoniſta vero noſter in meridie cæcutiens, *in ſuo Proœmio* §. 3. *not. a.* dictitat, Rhodios Equites in Melitam commigraſſe Anno 1529. Quandoquidem non ante Annum 1530. hanc Inſulam a Carolo V. fuiſſe ipſis donatam, unanimi conſenſu adſeverant Rerum Jeroſolymitani Ordinis Scri-

Imperatore Carolo V. fuit in ſeudum liberum perpetuum conceſſa inclytæ ac invictæ Jeroſolymitanæ Militiæ e Rhodo amotæ: itaque merito in Hoſpitalis Ordinis Sedem evaſit quæ tanta erga Paulum, ſocioſque naufragos hoſpitalitatis virtute enituit. Quum primum ſacra iſta Militia Melitæ urbem ingreſſa eſſet ejus M. Magiſtro cordi fuit referente Boſio, cognoſcere omnes Indigenas nobiles, ac Pri- Jac. Boſius
mates, atque a venerandis Senioribus, quibus erat ſtipa- Part.3.lib.5.
tus, varias accipere notitias de Inſulæ rebus & antiquitate. Quod ei ſecundum animi ſententiam contigit: nempe ipſe inter illos nactus eſt quoſdam apprime doctos, ac humanioribus literis excultos, qui eum de omnibus quæ ſcire optaverat, certiorem fecerunt: tantamque is cepit voluptatem, ut, licet illi prolixius diſſeruerint, nullo tamen tædio fuerit affectus. Plane Melitenſes ſemper ſuos ſibi Principes, ac Dominantes demeriti ſunt: quininro & exteros Regnantes ſibi devinctos reddidere. Teſtis eſt Phala- In Mel. il-
ris ille Agrigenti Tyrannus, qui humaniſſimas epiſtolas, luſtr. lib. 2.
a noſtro Abela productas, ad ipſos conſcripſit. Hujuſmo- Not. 4.
di benevolentiæ cauſſam ille ipſe exprimit in Epiſtola ad Egeſtanos (*a*) exarata; in qua Melitenſibus libertatem ſeſe attuliſſe ait, propterea quod hi triremem ipſius, a Leontinis ſubverſam, recuperare curaverint. Inſulares vero noſtri in hujus Principis honorem, gratique animi monumentum, Agrigenti nomine inſignivere caſtellum quoddam in ea regione ſitum, quæ ab ipſa denominatione corrupta *el Gorgbenti* Indigenis dicitur. Hujuſce Caſtelli ruderum an- Joſeph.Bon-
te Abelam meminit Bonifacius. fil. Hiſt.

§. XLI. Melitenſium idioma parum diſcrepat ab Afri- Par.1. lib.2.
cano, quod a vera lingua Arabica, cujus circum *Mecham* eſt uſus, immodico diſcrimine diſtinguitur. Punicorum vete-

Scriptores, Abela ejuſdem Ordinis Vice-Cancellarius, Jacobus Boſius, Bartholomæus de Puteo, Joh. Caravita, Andreas Minutulus, Baudoinus, Carolus Michallef, Hieronymus Marullus, Chriſtianus ab Oſterauſen, Ferdinandus Beltramus, Eques de Naberat: necnon idem affirmant exteri Scriptores, Rocchus Pirrus, Eminentiſſimus Petra, Bernardus Juſtinianus, Hermandus, Creſcentius, Joh. Hubner, Morerius, N. de Fer, Auguſtinus Paradiſi, Fridericus de FronKemberg .... Sed anne omnes id aſſerentes heic allegem? Adverſarius tamen allucinatus eſt forte legens Henricum Pantaleonem, qui ubi loquitur *de Poſſeſſione* hujus Inſulæ a Rhodiis Equitibus impetrata, notatum habet in margine Annum 1529.

(*a*) Egeſta Siciliæ urbs ab Ænea condita, & ab Aceſtis matre ſic nominata; poſteaque dicta Segeſta: non longe a Drepano diſtans.

terum id eſſe creditur, a Phœnicibus acceptum; poſteaque corruptum: nam etſi ipſos Avicennæ dictionem ea lingua expreſſam, & Hannonis illius Pœni, quem Plautus in Pœnulo ſuo loquentem introducit, intelligere, ac interpretari affirment Fazellus, & Joannes Blaeu; non omnia tamen eorum dicta ipſi percipiunt. Nimirum a variis populis, qui Melitam incoluere, varia acceperunt vocabula Melitenſes, eorumque pronunciationem, & quandoque ſignificatum variarunt. Exempli gratia *Gadira* (inquit Plinius) *Punica lingua ſeptem ſignificat*. Et Plinium, Solinum, Heſychium allegans Joh. ReisKius ait: *Gadira, Syriace* גדירא, *ſeptum, vel ſeptem denotat*. Melitenſibus vero *Gbadira* cum aſpiratione pronunciata parvam paludem ſonat. In ſacris literis legitur *Epbeta*, ideſt *aperitor*; ipſi autem pronunciant *Ephtab, aperi, 'nphetab, aperitor*. Ibi etiam ſcribitur *Thecel*; Melitenſes vero dicunt *Tecbèl, Titcbel*, quibus vocibus rei pondus ſignificant. Neque aliam præter hanc linguam tenent Pagorum accolæ; Cives autem varia idiomata callent, & frequentius Italice loquuntur, dialecto tamen Siculæ non nimis abſimili.

§. XLII. Si quid autem de Melitenſium moribus animique dotibus; paucis accipe: ipſi ſunt. Religionem Chriſtianam in primis colunt, ac Fidem a Naufrago Apoſtolo acceptam conſtantiſſime retinent, frugaliter vivunt, labores exantlant, ingenio pollent, bellica virtute præſtant, in re Nautica excellunt, ſingulari induſtria florent, cum liberales, tum mechanicas artes laudabiliter excolunt, Advenas humanitate ac benevolentia proſequuntur, tumultus ſeditioneſque abhorrent, firma corporis conſtitutione vigent, adeo ut macrobii audiant: nempe plerique centeſimum ætatis annum attingunt, nonnulli excedunt: nec defuere qui CXX. aut CXXX. annos vixerint; faxitque Deus, ut omnes in æternum vivant.

§. XLIII. Expoſita Melita inſula Gaulos ipſi adjacens paucis adumbranda nobis videtur: ſiquidem Auctores pene omnes qui unius meminere, alterius quoque mentionem fecerunt; & quidem rite ſapienterque: utraque enim iiſdem moribus ac legibus vivit, uni eidem Principi mancipatur, unumque Paſtorem cognoſcit. Id nominis ſortita ipſa eſt propterea quod in pateræ modum formata ſit: Gaulos enim poculum ſonat. Apud Strabonem Γαῦδος: ubi Ca-

ſau-

ſaubonus hæc adnotavit: *Mira varietas in hoc nomine apud Scriptores. Lucas in Actis* XXVII. 16. *videtur* Κλαύδην *appellare: & Athenæus* Κλαύδιον. *Diodorus* Γαῦλον. *Ptolem. Claudon, & in Cretico mari collocat, non Siculo, quod ex Actis, diſcimus melius eſſe: quamquam, ut lib. 2. p. 114. dictum eſt Siculo mari* συνάπτει τὸ Κρητικόν. Hæc Caſaubonus, qui ex duabus Inſulis unam facere videtur; quandoquidem alia eſt Cretica, & alia Sicula Gaulos; licet Creticum pelagus cum Sicilienſi confundatur. Gaufredus vero Malaterra eam *Golfani* nomine indigitat: tametſi in Codice MS. a Caruſio reperto in Collegio Panormitano pro *Golfani* habeatur *Golſa*. Vulgari vocabulo *Gozo* (unde hujuſmodi feudum *Marcheſato Goziano* appellavit Cæſar Campana) Indigenis autem *Ghaudeſc* dicitur: quæ quidem nomenclatio Arabibus, qui eam una cum Melita occuparunt, referri debet accepta. Et ſane, teſtante Cluverio, in eorum libris legitur *Gaudoſch*, & apud Geographum Nubienſem, vulgo Arabem Chriſtianum *Gaudeſc* habetur. Necnon ipſa, ſi Abrahamo Bzovio credimus, olim Junonis Sacrum audivit: verum ego autumo hujuſmodi appellatione inſigniri potius Melitam debuiſſe, in qua, ut ajebam, erat celeberrimum Junonis Templum. Eamdem quoque fuiſſe Calypſus Inſulam ab Homero celebratam putavit Callimachus, quem ſupra notavimus.

Strab. lib. 6.

Gaufr. Malater. Hiſt. Sicul. l. 4. c. 16.

Cæſ. Campan. in vit. Philip. II. Part. 4.

Phil. Cluver. loc. ſupr. cit.

Abr. Bzov. in An. Eccl. Tom. ult. ad An. 1570. §. 10. n. 54.

§. XLIV. Inſula iſta ab occidua Melitæ ora, anguſtiore canali, quem *Freo* vocant, interfluente, V. M. P. diſtat. Ejus ambitus XXX. longitudo XII. latitudo VI. aut paullo plus, milliaria complectitur. Montuoſa eſt, ſeniſque collibus eminet, unde gratiſſimus in mare proſpectus: quapropter Silius Italicus cecinit: *Strato Gaulum ſpectabile ponto*. Variis propugnaculis munita eſt; quorum præcipuum præmemorato freto imminet, obverſum alteri propugnaculo in inſula Hephæſtia ſito. Hæc parva inſula vulgo dicitur *Comino*, Græce Ἡφαιςία, ideſt, ſi Latine reddatur, *Vulcania*, ut ait Cluverius: ipſa eſt ſegetum ferax, olimque ut prudenter conjicit Abela, incolis frequentabatur. In ea viſitur Ædicula in Deiparæ Virginis honorem Deo dicata: & fama eſt, olim fuiſſe ibi aliam in D. Nicolai honorem erectam. Sed revertamur ad Gaulum. Qua Meridiem, & qua Occidentem ſpectat, inacceſſis, horridiſque cautibus ea ſepta eſt, nonniſi duos ſinus habens, unum *Scilendi*, alterum *Duejra* nuncupatos: in reliquo ſuo circuitu ſinubus ſcatet, exſcenſionibus facilis.

§. XLV. In ea opidum eſt, ſive caſtellum, in quo reſidet Eques Jeroſolymitanus, Inſulæ Gubernatorem agens, una cum ſua Curia; necnon Magiſtratus ex Opidanis compoſitus, Annonæ proſpiciens. Id parvum quidem, ac vetuſtate pene confectum eſt; quippe ipſum eodem tempore, quo Melitæ antiquæ opidum, conditum fuiſſe tradunt: ſed non multo fortaſſe tempore interveniente ampliabitur, atque ita munietur, ut diuturnam hoſtium obſidionem ſtrenue ſuſtinere valeat. In ipſo viſitur Templum *Parochiale* magnifice conſtructum, in Deigenitricis in Cœlos aſſumptæ honorem Deo conſecratum: in quo alternis vicibus Divina celebrant officia quindecim Canonici, aliique Eccleſiaſtici. Templi Rector Archipresbyteri titulo decoratur, ac plerumque Pro-Vicarii, & Pro-Inquiſitoris muneribus fungitur. Intra hujus opidi portam vetuſtum marmor fuit repertum, cui inciſæ erant hæ notæ:

M. GALLIO (*) C. F. QUIR. RUFO. EQUO. PUBLICO. EXORNATO. A. DIVO. ANTONINO. AUG. PIO. PLEBS. GAULITANA. EX ÆRE. CONLATO. OB. MERITA. ET. IN. SOLACIUM. GALLII. POSTUMI. PATRONI. MUNICIPII. PATRIS. EJUS. POSUIT . . . . . .
. . . . MATER.

Alia quoque monumenta latine inſcripta exhibent Abela & Gualterius, ex quibus liquet, iſtam Inſulam fuiſſe Municipium Romanum, & ſuffragiis, muneribus, honoribuſque iiſdem, queis Rom. Reſp. fungebatur, uſam fuiſſe: Duo autem a nemine adhuc relata proferam in Diſſert. XV.

§. XLVI. In amplo ejus ſuburbio ſunt duo Cœnobia laute conſtructa, ſuiſque Templis conjuncta; unum *Eremitarum* S. Auguſtini, alterum *Conventualium*, quos vocant, *Reformatorum*. Brevi autem conſtruetur tertium PP. quos vocant, Capuccinorum. Cernuntur quoque duo Noſocomia nuperrime condita, unum mulieribus, alterum viris

(*) *Vallio* legitur apud Abelam, & Gualterium. *Gallico* apud Fazellum. *Gallio* apud Quintinum & alios.

viris ægrotantibus curandis deſtinata. Sunt & in ea ſex Pagi, totidem *Parochialibus* Eccleſiis inſtructi. Ejus agri non modo, ut ait Quintinus, Melitæis fertilitate non cedunt, ſed etiam præcellunt, & Sicilienſes æquant. Revera ex ipſa in Melitam aſſidue deducitur magna fructuum, herbarum, hordei, frumenti, goſſypii, ac leguminum copia: unde non parvum emolumentum eſt Melitenſibus, qui majori ex parte Gaulitana prædia poſſident. Neque minor ibi altilium, lactariorum, ovium, caprarum, vitulorum; atque avium affluentia. Inter alias volucres ex ea deferuntur Falcones, qui una cum aliis in Melita captis, quotannis a Jeroſolymitano Ordine quibuſdam Chriſtianis Principibus tributi vice, vel honoris cauſſa mittuntur. Neque Melitenſibus equis cedunt Gaulitani: nempe iſti ſunt elegantes, pedumque pernicitate præſtant. Occiduæ iſtius Inſulæ oræ adjacet exiguus ſcopulus, in quo provenit herba quædam fœniculo marino ſimilis (vulgo fungus Melitenſis, ſed verius Gaulitanus) adeo celebrata, & Medicis commendata: quippe ea ſiccata & in pulverem redacta mira virtute pollet, ac optima eſt dyſenteriæ, atque ſanguineorum fluxuum medicina: ideoque omnibus ferme exteris nationibus ſummopere expetita.

§. XLVII. In tota Inſula lares circiter 1800. numerantur; Accolæ vero 7000. aut paullo plus, minuſve. Priſca tempeſtate Incolis erat frequentior, ſed Anno 1551. ab immani Turcarum claſſe devaſtata fuit, ſeniſque millibus accolis viduata; inter quos in ſervitutem redactæ fuerunt multæ nobiles familiæ, quæ tum temporis in ea florebant. Priores ejus Incolæ fuerunt Gygantes, ut rite conjicit Abela. Et ipſa Phœnicum colonia audivit, ut auctor eſt Diodorus, qui ejus ſinus plus æquo commendat. Poſtea Carthaginenſes, Græcos, atque, ut paucis me expediam, eoſdem, atque Melita, Dominantes cognovit. Iſtius Inſulæ plures veteres Scriptores mentionem fecerunt, interque alios Callimachus, Strabo, Pomponius Mela, Plinius, Solinus, Ptolemæus, Silius Italicus, Procopius &c. Gaulitani, ſeu, ut Stephani verbo utar, Γαυλίτης, *Gaulites*, iiſdem ferme dotibus ac moribus, queis Melitenſes, ornati ſunt; & in eo dumtaxat, calculo meo, interſtinguuntur, quod his robuſtiores rudioreſque ſunt: quippe cœlo amœniore, ac ſalubriore fruuntur. Hinc eſt, quod Meli-

In Mel. illuſtr. lib. 1. not. 10. Diodor. lib. 5.

Strab. l. 6. Mela l. 2. c. 5. Plin l. 3. c. 8. Solin. c. 32. Procop. Vandal Rer. lib. 1. & alii.

Digitized by Google

tenſes, capitis ſeu ſtomachi morbo phthiſive affecti hanc Inſulam deportari ſolent, cujus benigna, jucundaque aeris temperatione plerumque convaleſcunt. Necnon ipſi Melitæos pietate ac religione in Deum, ejuſque Sanctiſſimam Genitricem, ac Sanctos, & maxime in D. Paulum, æmulantur: nempe in Inſula adeo parva non minus quam XXIII. Templa viſuntur; quorum unum in Gentium Doctoris honorem Deo conſecratum eſt, præter quatuor altaria, ſeu ſacella in aliis Eccleſiis eidem Apoſtolo nuncupata, Scilicet & iſti eum ut Protoparentem ſuum venerantur: ipſum enim in Melita concionantem, ut *in Diſſert. ult.* exponam, eorum Majores audierunt, ac proinde Chriſtianæ militiæ nomen ſuum dedere.

Digitized by Google

S E R I E S EPISCOPORUM MELITENSIUM.

§. I. NON abs re facturum me arbitror, ſi Epiſcoporum, qui ab Orthodoxæ Religionis incunabulis, Melitenſi Eccleſiæ præfuere, illuſtrem ſeriem hiſce diſſertationibus præfigam. Quum enim fauſtiſſimo Pauli naufragio debeat Melita quod glorioſo D. Publii Epiſcopatu fuerit decorata, & quod ſucceſſu temporum uſque in præſens ævum ſacris Paſtoribus nequaquam *(a)* caruerit; æquum omnino eſt, ut a nobis, de Paulo in hanc Inſulam naufragio ejecto, Publioque humaniſſimo ejus hoſpite, primoque noſtro Epiſcopo, diſſertaturis, omnes alii Antiſtites iſtius ſucceſſores, quorum memoria vivit, ordinatim recenſeantur. Profecto hac ratione efficiemus, ut collati huic Inſulæ Paulini beneficii magnitudo, ac perpetuitas magis magiſque omnibus innoteſcat; ſimulque grati noſtri animi teſtimonium quoddam exhibeatur. At o temporis injuriam! O bellorum exitia! Quot enim præclara Præſulum, qui Publio per quinque circiter ſecula ſucceſſere, nomina, reſque geſtæ oblivione obruuntur, quæ adhuc viverent, niſi toties huic Inſulæ feroces nationes vaſtitatem ac depopulationem intuliſſent! Quis enim compertum non habet, in hujuſmodi eventibus, nedum Templa, domoſque, ſed etiam publica tabularia diripi, expilarique? Quamobrem D. Publii Succeſſores uſque ad Annum Ær. Vulg. DXC. præterire cogimur. Ab iſta vero ætate uſque ad Annum MCCCXX. eos proferemus, quibus oblivioni tenebras, quorumdam Scriptorum dili-

(a) Ita plane colligitur ex D. Gregorii M. epiſtola 62. *lib. 7. Reg.* ad Johannem Epiſcopum Syracuſanum ſcripta de creando Melitenſi Præſule; ubi ille ait, Melitam ſine proprio Paſtore eſſe non poſſe. Quod etiam experientia, ratioque nos docent: ſiquidem Melitenſis Eccleſia longius ab aliis Eccleſiis diſtat, quam ut ab earum Præſulibus regi queat.

Digitized by Google

diligentia, effugere contigerit. Ab Anno autem MCCCXX. uſque ad hæc noſtra tempora hujuſmodi ſeriem numquam interruptam exhibebimus. Sed ne laudem aliis debitam nobis mancipare velle videamur, libenter ingenueque fatemur, nos pleraque excerpſiſſe ab eruditiſſimis noſtris concivibus, Hieronymo Manduca, & Joh. Franciſco Abela, & a clariſſimis Scriptoribus Thoma Fazello, Jacobo Boſio, Roccho Pirro, & Sebaſtiano Salelles. Et id tamen ſubjungere conſentaneum eſt, nos eorum dictis, & animadverſionibus nonnihil addere, præſertim Chronotaxin noviſſimorum Antiſtitum, qui poſt illorum ætatem floruerunt; nonnihil etiam in gratiam brevitatis detrahere: necnon ubi quis eorum allucinatus fuerit, ſedulo animadvertere; & ubi inter ſe ipſi digladiantur, veriorem ſententiam ſtatuere. Quod quidem mihi majoris operæ laboriſque fuit, quam ſi omnia e penu meo depromere debuiſſem: nihil enim eſt arduum magis, quam inter diſcrepantium opinionum commenta veritatem exſpiſcari.

D. Publius. §. II. Anno igitur Ær. Vulg. LIX. D. Publius, Princeps vir Melitenſis, *(a)* Cydone Corinthio hoſpitalior, poſtquam humaniſſime Gentium Doctorem, ejuſque comitatum naufragum hoſpitio ſuſceperit; ab eodem Apoſtolo fuit rudimenta Fidei edoctus, ſacris laticibus expiatus, poſteaque conſecratus Melitenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Deinde ſub diſciplina S. Trophimi, in hac Inſula ægrotantis a Paulo relicti, adeo in Evangelica doctrina profecit, ut in Virum ſane Apoſtolicum evaſerit, poſtque aliquot annos, nempe circa An. LXVII. Magno Areopagita, Athenarum Epiſcopo, novarum Eccleſiarum curæ demandato, fuit ab eodem Apoſtolo ad florentiſſimum Athenienſe Pontificium evectus. Quam Eccleſiam quum laudabiliter rexiſſet, glorioſo vitam martyrio coronavit, imperante Trajano, ſi credimus Petro Halloix & Jacobo Syrmondo, vel ad ſummum, imperii Adrianæi initio, ut habent MS. Florarium, Baronius *ad An.* 125. & Jacobus Gualterius *in Tab. Chronogr. ad initium II. Sæculi*. Cunctis hiſce aſſertionibus reclamat Adverſator noſter, ſed minus recte, ut planum faciam *in Diſſertationibus* XV & XVI.

Halloix in Vit. S. Quadr. c. 3. Syrmond. in diſſert. de duob. Dionyſ. c. 8.

Sylvanus. §. III. In Anno CCCCVIII. Sylvanum quemdam Melitæ

(a) Cydon Corinthius adeo erat hoſpitalitate inſignis, ut proverbio locum fecerit: Α᾽ εἰ τὶς ὠ Κύδωνος Suidas apud Eraſm. Roter. *in Adag. Epit.*

litæ Epiſcopum ſtatuit Carolus Michallef, eruditus noſter concivis *in Summa MS. Jurium Equitum Jeroſolymitanorum Tom.* 1. *Lit. E.* qui ſcribebat circa Annum MDCLXXV. ſed undenam id collegerit, miſſum facit. Circa Annum vero CCCCL. (*a*) Melitenſem Eccleſiam moderabatur quidam Acacius, qui magno Chalcedonenſi Concilio ſub Leone I. contra Eutychen, & Dioſcorum, celebrato, interfuit; ſi credimus Roccho Pirro *lib.* 3. *Sic. Sacr. Not.* 7. Hieronymo Manducæ *in ſua Hiſt. MS. cap.* 4. Joh. Franciſco Abelæ *lib.* 3. *not* 1. & Sebaſtiano Salelles *Tom.* 1. *Prolegom.* 10. Antagoniſta noſter haud inficiatur hunc Acacium præmemoratæ Synodo interveniſſe, aſt ipſum Armeniacæ Melitenæ Antiſtitem, & quidem Metropolitem fuiſſe contendit. Verumtamen is toto cœlo aberrat: nimirum non advertit, quod eidem Concilio intervenerit verus *Melitenæ Civitatis Metropolis Armeniæ* Epiſcopus, nomine Conſtantinus, Κωνςαντῖνος Μελιτηνῆς, ut videre eſt apud Petrum Crabbe, Philippum Labbeum, alioſque Conciliorum Deſcriptores. Verumenimvero *unica Regnantes non capit aula duos*, nec una Cathedra duos Doctores. Neque minus ipſe allucinatur, quum adſeveret, quod niſi conſtaret aſſertionis ſuæ veritas, *Meletæ* potius quam Inſulæ noſtræ idem Epiſcopus eſſet adſcribendus: nempe ipſe cauſatur, quod in illa Inſula fuerit *urbs Epiſcopatui idonea*, & Illyricum adſideat regioni, in qua Chalcedonenſe Concilium celebrabatur. Porro hæc ratio diobolaris eſt: ſiquidem eidem Synodo haud ſoli Illyrici, imo nec ſoli Europæi, ſed & Aſiatici, & Afri Præſules interfuere: etenim qui aliter confectus eſſet ingens DCXXX. Patrum numerus, quot illam Præſules celebraſſe affirmant Marcellinus, Liberatus, Photius, omneſque pene Scriptores, ut refert Odoricus Rinaldus? Inter tot longinquarum regionum Antiſtites cur intervenire non poterat Melitenſis Eccleſiarcha? Præſertim quod eidem Concilio interfuerint Præſules quarumdam Libycarum urbium Melitæ proximarum, quæ longius, quam noſtra Inſula, a Calcedone ſejuunguntur. Ex eo autem, quod

Acacius.

Inſpect. 1. Diatr. 1. §. 12. not. a.

Crabbe to. 1. Act. 1. Concil. Chalced. Labbeus t. 4. ubi de eod. Concil.

Odor. Rinald. in Annal. Eccl. ad An. 451.

(a) Concilium Chalcedonenſe ad Annum 450. refert Sebaſtianus Salelles; Abela autem ad Annum 451. utriſque tamen aſſertio vera eſt: primus enim reſpexit initium, alter vero finem iſtius Concilii, quod Anno 450. inchoatum, Anno ſequenti fuit terminatum, ut videre eſt apud Franciſcum Longum, alioſque Conciliorum Scriptores.

quod *Meleta* urbem habuerit Epiſcopatui idoneam, minus recte infertur, quod revera fuerit Epiſcopatu decorata. Quinimo ratio ſuadet, ipſam proprium Paſtorem neutiquam habuiſſe: nempe eo numquam indiguit, quum ab Epidauri Epiſcopo regi facile potuerit, ut in præſentiarum regitur: nimirum illa, teſte Antonino, non amplius ab Epidauro diſtat quam ſtadia CC. ideſt milliaria XXV. vel XX. dumtaxat, ut aſſerit Cluverius: quamquam noſter Adverſarius, ubique veritatem impugnans, adſeveret, *eam Inſulam ſexagenis amplius milliaribus a portu, & Colonia Epidauritana recedere*. Miſſam modo facio aliam fortiorem rationem, quam aptius proferam *in Diſſertationibus VIII.* & XV. Nunc mihi ſat eſt ſubjungere quod Scriptorum nemo unquam tradiderit, illam proprium habuiſſe Paſtorem: quinimo Aubertus Miræus, qui ſingulos univerſi terrarum orbis Epiſcopatus recenſet; nec verbum quidem facit de Melituſæo Epiſcopatu. Noſtra vero Inſula propriis ſemper Præſulibus obtemperavit; nec enim *tam lato*, ut Tullii verbis utar, *ab Sicilia mari, periculoſoque disjuncta* propria Antiſtite carere potuit, ut Magni Gregorii auctoritate ſupra ſtatuebam.

Anton. Itiner.

Cluver. Sicil. antiq. l. 2. c. 16. Inſp. 1. Diatr. 1. §. 7.

§. IV. Si propoſitum eſſet mihi tantummodo Adverſarii errores refellere, noſtræque Inſulæ laudes quomodolibet conciliare; hucuſque dicta de Acacio ſufficerent: verumtamen quum nihil mihi ſit antiquius, quam Veritatis ſtudium, ingenue fateor, nedum Antilegontem noſtrum, ſed etiam Pirrum una cum Abela, Manduca, Salelles, aliiſque noſtris Scriptoribus fuiſſe in hac re allucinatos. Etenim multo ante Chalcedonenſe Concilium Acacius iſte obiit, ut ex Epheſinæ Synodi actis inſertis *monumentis Calcedon. Concil. Act.* 1. colligitur: ſiquidem ibi hæc leguntur: *Omne autem ſuum tempus hoc pio labore conſumpſit* (Cyrillus Archiepiſcopus Alexandrinus) *ut ſeipſum interpretaretur, ſuamque intentionem oſtenderet, & palam omnibus faceret per ea quæ ſcripſit ad beatæ & ſanctæ memoriæ quondam Epiſcopos Acacium Melitenæ, & Valerianum Iconii, & Succenſum Diocæſareæ Iſauriæ provinciæ, quomodo oportet intelligi & nuper lectas epiſtolas, & cultum Adventus Salvatoris noſtri.* Quum igitur celebraretur iſta Synodus, jamdudum e vivis exceſſerat Acacius, qui ibi memoratur, non vero ſubſcribitur, ut illi perperam credidere; quum illius Præſulis locum

cum impleret prælaudatus Conſtantinus, in iis actis, ut ſupra exponebam, ſubſcriptus.

§. V. Neque heic finis errorum: nempe iidem Scriptores conſignant in Anno DI. Melitenſem Conſtantini Epiſcopatum, qui VI. Synodo Romanæ, de invaſoribus rerum Eccleſiaſticarum ſub Symmacho PP. habitæ, intervenit. Præ cæteris Pirrus intrepide inquit: *hunc eſſe noſtrum certum eſt*. Mihi autem incertum, imo incertiſſimum videtur: quippe dubito hunc Conſtantinum fuiſſe Melitenæ Armeniacæ Metropolitam, & quidem eumdem atque illum in §. antecedenti memoratum. Dubitationem vero mihi afferunt hæ tres animadverſiones. I. Quod ipſe in ea Synodo non *Melitenſem*, ſed *Melitenenſem Epiſcopum* ſeſe ſubſignaverit, ut videre eſt apud Petrum Crabbe, alioſque Conciliorum Collectores; licet apud Labbeum & Coſſartium mendoſe legatur *Melitanenſis*. II. In eadem Rom. Synodo inveniuntur ſubſcripti complures Orientales Epiſcopi *(a)* qui, quum ea celebraretur, procul dubio vita receſſerant: ſiquidem ante annos LIII. Chalcedonenſi Concilio interfuerant: ideoque non minus iſtius Conſtantini, qui una cum ipſis eidem magno Concilio intervenerat, quam ipſorum Præſulum nomina illuc temere irrepſiſſe cenſenda ſunt. III. Inter alia Patrum nomina in illa Romana Synodo ſubſignata legitur hoc: *Cerentius Siculus:* quod vitiatum eſſe vel ex eo evincitur, quod tum temporis in Sicilia non unus totius Inſulæ, ſed plureis plurium ejus urbium erant Epiſcopi, quorum nuſquiſque propria Sedis ſuæ nomenclatione indigitabatur: ut in ipſa Rom. Synodo ſubſignati ſunt *Severinus Tyndaritanus*, *Rogatus Taurominitanus*, *Probus Camarinenſis*, *Eucarpus Meſſanenſis &c.* In Concilio autem Chalcedonenſi ſubſcriptus legitur *Gerontius Seleuciæ;* atque iſtius nomen in ea Rom. Synodo mendoſe converſum eſt in illud *Cerentii Siciliæ*, ut Græca & Latina exemplaria conferenti conſtare poterit. Ita & Ariſtomachus illic ſubſignatur, *Coloniæ*, heic vero *Colacienſis*, ſeu *Cbologenſis* Epiſcopus. Haud aliter Conſtantinus illic *Melitenæ*, heic *Melitanenſis* Antiſtes dicitur, interque hujus Romanæ Synodi Patres perperam intruditur.

(a) Apud Petrum Crabbe, Labbeum & Coſſartium XXV. Patres numeravi', qui cum in Chalcedonenſi Concilio, tum in ſexta Rom. Synodo reperiuntur ſubſcripti.

§. VI. Circa Annum DXC. vere Melitenſis Epiſcopus
Lucillus. audiebat Lucillus ille, cui Magnus Gregorius ob quoſdam ejus exceſſus hujuſmodi dignitatem abrogavit. De iſtius autem Præſulis criminibus nonnulla attingam in *Diſſert.*20. Si quis vero plura deſideret, conſulat D. Gregorii epiſtolas 62. *lib.* 1. & 1. *lib.* 8. ubi Sanctus iſte Pontifex enucleate illum appellat *Epiſcopum Inſulæ Melitenſis*.

§. VII. Anno DXCIX. In Lucilli locum ſuffectus eſt
Trajanus. Trajanus, vir nobiliſſimus ex Pannonia Interamnia, & Riparenſi, ſeu Valeria, Monachus Benedictinus, qui a Clero Populoque Melitenſi fuit in Epiſcopum delectus, quum Syracuſani Monaſterii, S. Luciæ nomine inſigniti, Abbatem ageret. Hunc Præſulem *bonæ mentis virum* appellat
D. Gregor. epiſt.63. lib. 4. D. Gregorius, qui eidem permiſit, ut ex præmemorato Monaſterio quatuor, aut quinque monachos ſecum in hanc Inſulam deduceret, ne ſuorum converſatione privatus, interque alienigenas degens, mœrore afficeretur. Ipſum Si-
Epiſt.22 lib. 11. ciliæ Epiſcopis adnumerat idem S. Pontifex ſcilicet, ut hinc colligit Pirrus, *Melita inſula Sicilia dicitur*.

§. VIII. Anno DCCCLXIX. in Melitenſi Cathedra ſe-
Manas. debat quidam Manas, qui Synodo Conſtantinopolitanæ IV. inter Oecumenica Concilia VIII. & noviſſime Synodorum in Oriente celebratarum, interfuit; in qua pertractatum fuit de Ignatii abdicatione, & Photii ſubſtitutione, ac de SS. Imaginum cultu. Hujuſce Epiſcopi quoque meminit celebris illa Theodoſii Monachi ad Leonem Archidiaconum epiſtola, de Syracuſarum expugnatione, græce conſcripta, quæ, ut ante annos circiter CX. aſſeruit (*a*)
Hier. Manduc.hiſt.MS. D. Publii c. 4. Melit. illuſtr.lib. 3.not. 1. noſter Manduca, ſervabatur in Græca Bibliotheca Monachorum S. Baſilii, Cœnobii Meſſanenſis S. Salvatoris nomine inſigniti: poſteaque fuit latine reddita a quodam Joſaphat ejuſdem Ordinis Monacho, quem Abela Azzalum Spartanum appellat. Neque aliter ſentiet qui temporum rationem habeat, in queis fuerit celebratum illud Concilium, in cujus *Act.* 1. & 4. ſubſcriptus eſt noſter Manas, & in queis Melitæ, & Syracuſarum expugnatio Saracenica obtige-

(a) Ejus epiſtolæ fragmentum edidit Albertus Piccolus *de antiq. Jur. Eccl. Sicul. Part.* 2. *c.*20. integram eam divulgavit Rocch. Pirrus *in not.* 2. *Eccl. Syracuſ.* & Octavius Cajetanus *tom.* 2 *SS. Siculor.* ut refert Joh. Bapt. Caruſius *in brevi notitia* eidem Epiſtolæ præfixa, quæ legitur quoque apud multos Collectores *Script. Rer. Ital.* *Tom.* 1. *part.* 2.

tigerit: quidpe hanc paullo poſt Annum DCCCLXIX. eveniſſe comperiet; ſiquidem, ut in *Melitæ Deſcript.* §. 1. exponebam, Melita a Saracenis capta fuit Anno DCCCLXX. Syracuſæ vero fuerunt ab ipſis expugnatæ Anno Chriſti DCCCLXXVIII. quippe in Chronico Siculo extracto ex codice Arabico Cantabrigienſi, edito a Joh. Bapt. Caruſio, leguntur hæc: *Anno* (*a*) 6386. *captæ ſunt Syracuſæ vigeſimo primo Menſis Maji, feria quarta*; licet eas haud ante Annum DCCCLXXX. excîſas fuiſſe contendit Octavius Cajetanus. Hac ratione evaneſcit difficultas Abelæ, qui ſequens Marmolium, alioſque Scriptores aſſerentes Melitam fuiſſe a Saracenis captam ab Anno DCCCXX. vel DCCCXXII. Syracuſas vero Anno DCCCLXXVIII. miratur quod Pirrus affirmarit, hunc Manam fuiſſe ultimum Melitæ Epiſcopum ante Saracenicum Dominium: unde ille infert, eidem Antiſtiti tribuendos eſſe ferme LX. Præſulatus annos, niſi ei, ut ille opinatur, poſt Saracenorum occupationem aliquis alter Epiſcopus præceſſerit. Sed recte Pirrus: namque expugnata Melita Anno DCCCLXX. potuit Manas eſſe noviſſimus hujus Inſulæ Epiſcopus ante Agarenorum Dominium; & Anno DCCCLXXVIII. una cum Syracuſano Antiſtite in carcerem trudi Panormitanum. Sed & nos aliquot Teodoſianæ epiſtolæ verba producamus. *Erant autem nobiſcum incluſi* (in Panormitano carcere, ſeu verius lacu) *& colloquentes Æthiopes, Tarſenſes, Arabes, Hebræi, Longobardi, & noſtri Chriſtiani vi adducti e diverſis Provinciis & regionibus, in quibus erat etiam Sanctiſſimus Epiſcopus Melitæ, utriſque pedibus catenis ligatus. Duo Pontifices* (Melitenſis ſcilicet, ac Syracuſius nomine Sophronius) *invicem Sancto oſculo oſculati, cum aliquantulum flerent hujuſmodi infortunium, Dominoque gratias agerent propter ea, quæ ſibi acciderant, philoſophico ſermone calamitatem ſuperarunt.*

Joh. Bapt. Caruſ. Tom. 1. Bibl. Hiſt. Sic. Oct. Cajetan. Tom. 2. SS. Siculor. Ludov. Marmol. ap. Abel. l. 3. not. 1.

Supra expoſitam Abelæ difficultatem fortaſſis attendens Sebaſtianus Salelles, poſt prælaudatum Manam, conſignat in Anno DCCCLXXVIII. quemdam Melitenſem Epiſcopum ignoti nominis, ſed præclaræ Sanctimoniæ, quem captis Syracuſis a Saracenis fuiſſe vinculis adſtrictum, & in Panormitanum carcerem adductum adſeverat, allegatque

(a) In quem incidit Annus Chriſtianus 878. ſecundum computum Siculorum a nobis alias expoſitum.

ſupra memoratum MS. Monachorum S. Baſilii. Verumtamen fieri, ut vidimus, potuit, ut Præſul iſte a Saracenis vinctus idem fuerit atque ſupralaudatus Manas, qui circiter VIII. annos ante Syracuſanum excidium Conſtantinopolitano Concilio intervenerat. Si quis autem contendere velit, quod Antiſtes Melitenſis, in Theodoſiana epiſtola memoratus, fuerit ab iſto Mana diverſus, nempe iſtius Succeſſor; haud ei reluctatum ibo; dummodo mihi planum faciat, quod peracta ea Synodo Manas obierit, ſtatimque ipſius locum impleverit aliquis alter: quod ſane vero ſimile non eſt; quum inter illius Concilii celebrationem, ac Melitæ oppugnationem, in qua hujus Paſtor in ſervitutem fuit redactus, haud totus annus intercеſſerit. Necnon Sebaſtianus noſter adjungit, Manæ Succeſſorem martyrio fuiſſe affectum; quod tamen in præallegato MS. minime legitur, utut a vero abhorrens haud videatur: quid enim vero ſimilius eſt, quam ut Chriſtianus Præſul a Chriſti hoſtibus fuerit immolatus? Eidem Scriptori conſentiens Carolus Michallef *in Summ. Jur. Equit. Jeroſol. Tom.* 2. *Lit. E.* ſic ait: *De quodam Melitæ Epiſcopo ſit mentio abſque nominis expreſſione in Hiſtoria Martyrum Monachorum S. Baſilii, quem quidem tradunt a Saracenis Panormi interfectum Anno* 870. quem forte pro Anno 878. mendoſe ſignavit incautus Amanuenſis.

§. IX. A præveneratі igitur Manæ Epiſcopatu uſque ad Annum MLXXXIX. quo Saracenos a Comite Rogerio fuiſſe e Melita pulſos tradunt nonnulli, quos *in Melit. Deſcript.* allegavi, Scriptores; noſtrorum Antiſtitum Series fuit interrupta. Quum autem Melitam in ditionem ſuam redegiſſet Auguſtus ille Normannus, in hujus Inſulæ Epi-
Gualterius. ſcopum delegit quemdam Gualterium: eique, ejuſque ſucceſſoribus annuos redditus large conſtituit, collatis tum in Melita, cum in Sicilia fundis. Aattamen Sebaſtianus Salelles aſſerit primum Melitæ Antiſtitem a Rogerio electum fuiſſe quemdam Goffridum; ſed iſte, ut animadvertit Pirrus, jam multo ante Annum 1089. Melitenſis Epiſcopus audiebat: ſiquidem in Siculis Tabulis Anno 1081. necnon poſt Annum 1090. *in Epiſt.* 24. *lib.* 9. Gregorii Papæ VII. ſit mentio Goffridi Epiſcopi Melitenſis, quem etiam Anno 1094. Eccleſiæ Pactenſis erectioni, Templique S. Stephani de Boſco Calabriæ conſecrationi intervenіſſe affirmat idem Scri-

Scriptor, ac proinde hunc Epiſcopum Melito, ſeu Mileto Calabræ præfuiſſe concludit. Hinc eſt, ut ego reor, quod noſter Gualterius in quodam diplomate Sichelgaitæ, ſeu Sigelgutæ, Roberti Guiſcardi uxoris, ſeſe ſubſcripſerit *Melivetanum* (*a*) Epiſcopum : nempe ut ſe ab illo diſtingueret, qui barbara illa ætate Melitenſis Epiſcopus audiebat. Ceterum Calabra Miletus, & noſtra Melita nomen invicem mutuari olim conſueverunt : quippe nedum illius Eccleſiarcha dictus fuit Melitenſis, ut iſte Goffridus; ſed etiam hæc Inſula Miletus, ac Miletina audivit, ut oſtendam in Differt. XVII. §. 2.

§. X. Anno MXCV. ſi Pirro, & aliis credimus, Melitenſem regebat Eccleſiam quidam Biraldus, ſive Eberardus : ſcilicet reperitur eodem Anno ſubſcriptus in quodam diplomate, quo præcelebratus Comes Rogerius Panormitanæ Eccleſiæ nonnulla prædia impertitus eſt. Verumtamen eum Mileti Epiſcopis accenſet Ferdinandus Ughellus *Ital. Sac. Tom.* 1. *Not. Eccl. Militen.* *Eberardus.*

§. XI. Anno MCXIII. florebat Johannes Melitenſis Epiſcopus, cujus nomen legitur ſubſcriptum in *Bulla*, qua Paſchalis Papa II. Jeroſolymitanum Ordinem adprobavit ſub datis Beneventi XV. Kal. Martii VI. Indict. An. MCXIII. Pirrus autem opinatus eſt hunc Antiſtitem ſeſe ſubſcripſiſſe, Anno MCXXIII. in alia *Bulla*, qua Callixtus II. præveneratam Paſchalis *Bullam* confirmavit : ſed ille, ut ſcite animadvertit noſter Abela, a janua aberravit : quidpe S. R. E. Cardinalium ac Epiſcoporum nomina, quæ leguntur in Bulla Callixti, in hac recenſentur utpote jampridem ſubſignata in Bulla Paſchalis. Reapſe Richardus Albanenſis Epiſcopus, qui primo poſt hunc ſummum Pontificem loco *Bullam* iſtam ſubſignavit, ſub ejuſdem Paſchalis Pontificatum obiit, ut refert Helmoldus in *Hiſt. Dan.* Præterquam quod circa Annum MCXXII. noſtram regebat Eccleſiam Rainaldus, illius Succeſſor, ut mox videbimus. Attamen Johannem iſtum, atque prælaudatos Gualterium, ac Eberardum noſtræ Eccleſiæ neutiquam præfuiſſe contendit eruditiſſimus Sebaſtianus Pauli : *Queſto Giovanni* (is inquit) *è ſtato creduto da molti, ma ſpecialmente dal* *Johannes.* Sebaſt. Paul. in Obſervat. in Cod. Diplom. &c. p. 549.

Com-

(*a*) Hinc ortus error, qui Milevitanum Concilium in Inſula noſtra celebratum autumarunt, ut animadvertit Niderſtedius *lib.* 1. *c.* 1.

Digitized by Google

Commendator Abela nella ſua deſcrizione di Malta, Veſcovo di quella Città. Ma le voci Militenſis, Milevitenſis, e Melitenſis, ſono equivoche, e poſſono intenderſi sì di Malta, che di Mileto. E veramente Eberaldo detto correttamente Berraldo, e tal altro nominati da Rocco Pirro, furono Veſcovi di Mileto, e non di Malta; ciocchè dee dirſi ancora del noſtro Giovanni. Poichè quell'Iſola, non fu ricuperata da Ruggiero Rè di Sicilia, ſe non intorno al 1122. *come aſſeriſce l'Abate Celeſtino, che vivea nel* 1154. *deſcrivendo le azioni di queſto Rè :* Et cum adoleviſſet, invaſerat alias Inſulas, quarum una Malta vocabatur *: E'l Conte Ruggiero nel* 1090. *rendette bensì tributaria quell'Iſola, ma non ſe ne fece Padrone, come ſcrive il Malaterra. Ond'è che s'abbagliano e'l Pirro e'l Fazello nel lib.* 7. *della dec.* 2. *che ſtimarono l'Iſola di Malta ſede Veſcovile nel* 1091. *Il Pagi nella Critica a queſto ſteſſo anno, num.* 12. *dice non aver trovato Veſcovo di Malta più antico di Giovanni, rammentato in un Privilegio di Calliſto II. l'anno* 1123. *riportato dal Pirro.* Magni quidem facienda eſt Celeſini autoritas, quem una cum Malaterra & nos *in Melit. Deſcript.* §. 39. allegavimus. Sed audiendus eſt quoque Conradus Dominicanus, Scriptor Panormitanus, qui Anno MCCXC. hæc ſcribebat : *Item* 1088. *Maltam capit* (Comes Rogerius) *licet quod antea Notum, & Butherum acceperat.* Præterquam quod Gualterius, quem Pirrus Melitenſem Epiſcopum conſignat in Anno MLXXXIX. haud ſeſe ſubſcribebat *Melitenſem*, vel *Militenſem*, ſed *Melivitanum* Epiſcopum, ut videre eſt apud Abelam *lib.* 3. *not.* 1. Quod ſane cognomentum nequaquam ambiguum eſt, neque unquam Calabræ Mileto tributum, ſed noſtræ Inſulæ quæ quidem *in Actis publicis*, ſeu *Capitulis* Regni Siciliæ, ut animadvertit Niderſtedius, atque in Curia Romana eo nomine indigitatur : Necnon a Regibus Tarraconenſibus, qui non multo poſt Normannos harum Inſularum dominium acquiſivere; noſtri Antiſtites appellati ſunt *Melivetani*, ut infra; nempe in §. XXIV. oſtendam. Neque enimvero hæc Inſula proprio Paſtore carere debebat, propterea quod plenum ipſius dominium haud acquiſiverat, ſed ipſam tantum ſubegerat inclytus ille Comes. Siquidem iſte Chriſtifidelibus & rerum & religionis libertatem impetravit, ut aſſerit Fazellus : ideoque Melitenſem Eccleſiam Præſule inſtrue-

Conrad. Domin. ap. Caruſ. in Bibl. Hiſt. Sic. Tom. I.

Th. Fazel. Dec. 2. lib. 7. c. I.

Digitized by Google

ſtruere facile potuit; ut reapſe fecit, ei præficiens noſtrum Gualterium. Neque autem abſurdum videri debet, quod loca Saracenis ſubjecta proprios habeant Epiſcopos: quandoquidem plures Orientis Inſulæ ſuis Eccleſiarchis minime deſtituuntur, quamquam Turcis mancipatæ ſint. Quanto igitur magis Melita, quam niſi in ditionem, certe in Fidem acceperat piiſſimus ille tot Eccleſiarum Conditor, ac invictiſſimus Agarenorum terror, proprio Paſtore carere non debuit? Et quidem Ughellius *loc. cit.* cum hunc Johannem, tum præmemoratum Gualterium Mileti Eccleſiæ abjudicat, quamvis prælaudatos Goffridum, & Eberardum inter illius Præſules adnumerat. Toto autem Cœlo aberrat Pagius, qui notando Baronio totus intentus non advertit Gregorium Magnum in *Epiſt.* 1. *lib.* 8. meminiſſe cujuſdam Lucilli *Epiſcopi Inſulæ Melitenſis*, atque huic ipſi ſcripſiſſe epiſtolam 30. *lib.* 2. in qua eumdem vocat *Epiſcopum de Mellita*: quæ ſane nuncupationes Mileti Calabriæ urbis Antiſtiti non conveniunt.

Vide ſupr. §. 6.& Diſſert. XX §. 27.

§. XII. Circa Annum MCXXII. Eccleſiæ noſtræ præerat quidam Rainaldus qui in quadam *Bulla* MS. Callixti II. relata a Paulo Gualterio, ſeſe ſubſcripſit *Epiſcopum Melitenſem*: Ipſam autem Bullam heic adſcribam in gratiam eruditi Lectoris: præſertim quod iſtius Præſulis notitia cum Pirrum, tum Abelam, alioſque noſtros Scriptores fugerit. *Calliſtus ſervus ſervorum Dei. Univerſis Eccleſiæ fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Notum ſit omnibus S. Eccleſiæ Chriſti fidelibus, atque Orthodoxis, hoc preſens ſcriptum quomodolibet cernentibus, vel legentibus præſentiam noſtram; Secundo Epiſcopatus, anno vero ab Incarnatione Domini* 1122. *Indict. XV. reformandæ pacis cauſa inter Gulielmum Ducem Italiæ, & Rogerium filium Comitem, partes Calabriæ adventaſſe, & apud Neocaſtrum præfata cauſa per quindecim, & eo amplius dies moram feciſſe, & inde per Catanzarium reditum habuiſſe, ibique Eccleſiam in honorem S. Mariæ Matris Domini, & Apoſtolorum Principum Petri, & Pauli cum pluribus Epiſcopis, & Cardinalibus noſtris, quorum nomina ſubſcripta ſunt, propriis manibus per gratiam Dei dedicaſſe ac ſacraſſe, & caput, & dignitatem Epiſcopatus totius Parochiæ, & pertinentium Trium Tabernenſium ipſi conceſſiſſe, & confirmaſſe, cui quidem Eccleſiæ ex poteſtate Dei genitricis ejus Mariæ, & Apoſtolorum Prin-*

Rainaldus.

Paul. Gualter. in Legend. SS. Martyr. Calabr. l. 1. c. c. 51.

Principis Petri, & Pauli, aſſenſu, affirmatione Epiſcoporum, & Cardinalium, qui nobiſcum interfuerunt, tale munus miſericordiæ obtulimus & ceſſimus; ut omnes quorum corpora in cemiterio ejuſdem Eccleſiæ, ſuo voto ſepelirentur, vel quicumque ſua bona atque ſpontanea voluntate in fine hujus vitæ poſita ibi dormire cupientes, vel ſuas eleemoſinas de longinquis regionibus tribuentes, quorum corpora propter guerram, vel propter hyemis tempeſtatem, ſeu propter ſpatii longitudinem venire non volentes, niſi excommunicatione, & abſque Confeſſione morerentur, ab omnibus peccatis ſuis ipſa hora abſolverentur, & extorres infernalium cruciatus & perpetuæ gehennæ redderentur, & primæ reſurrectionis participes eſſe mererentur. Addimus quod nutu Dei, & conſenſu Epiſcoporum & Cardinalium, & authoritate Apoſtolicæ dignitatis, & Eccleſiaſticæ poteſtatis, ut omnes qui ad annalia feſta dedicationis præfatæ Eccleſiæ, quæ per octo dies celebranda decrevimus, videlicet a feſtivitate Innocentium, uſque ad eorumdem octavas, devote veniant, annum unum remiſſionis Criminalium peccatorum, & tertiam venialium, unde confeſſi eſſent, vel infra Octavam confitebuntur ſupradicta authoritate conſequerentur, & obtinerent. Univerſos autem, qui eidem Eccleſiæ ſuas eleemoſinas largiti, & largituri ſunt, ipſas defenſuri, ſive augumentaturi, nec minuituri, ex parte & authoritate Sanctæ Deigenitricis Marię, & Apoſtolorum Principum Petri & Pauli ęterna benedicimus, & in noſtris orationibus recipimus. Ego Calliſtus Catholicę Eccleſię Epiſcopus. Pone ſequuntur aliorum Epiſcoporum, & Cardinalium Subſcriptiones. Neque vero dubitandum eſt, Raiualdum iſtum fuiſſe Eccleſiæ noſtræ Præſulem; quandoquidem in eadem Bulla ſubſignati ſunt Epiſcopi Siculi, quibus noſtri accenſentur, ut ſupra differebam: nempe *Meſſanenſis*, *Agrigentinus*, *Giracenſis*, *Catinenſis*; præterquam quod ibidem legitur ſubſcriptus *Nicolaus S. Angeli Militen. Eccleſię Abbas*; unde ſatis perſpicitur diſcrimen *Mileti & Melitę Eccleſiarum*.

§. XIII. Anno MCXL. Ab Innocentio Papa II. con-
Stephanus. ſecratus fuit Epiſcopus Melitenſis quidam Stephanus, qui una cum aliis Siculis, Calabriſque Præſulibus intervenit conſecrationi Templi Regii Panormitani *Palatii* in SS. Principum Apoſtolorum honorem Deo dicati. Iſtius Epiſcopatus tempore Summus Pontifex Adrianus IV.

Anno

Anno 1254. *Gergentinum* (*a*) *Mazarienſem*, *& Maltenſem* Epiſcopos Panormitano Archiepiſcopo *jure Metropolitico ſubjacere* decrevit.

§. XIV. Circa Annum 1168. regnante Gulielmo Bono, in Melitenſi Cathedra ſedebat Johannes II. inter noſtros hujuſce nominis Epiſcopos; *Joannes II.* cujus meminere Fazellus, Falcandus, aliique Scriptores. Præſul iſte in ejuſdem Regis, cujus erat a conſiliis, aula ob eximiam ſuam prudentiam ſibi magnam comparavit exiſtimationem. Vixit uſque ad decrepitam ſenectutem.

§. XV. Iſtius locum implevit Rogerius a Cephaloedio *Rogerius a Cephaloedio.* Doctor, & Clericus Sacelli Regii *Palatii* Panormitani, qui ſupremum diem clauſit Anno 1253. ut ex Actis ejuſdem Eccleſiæ compertum habuit Johannes Franciſcus Abela, *in Melit. illuſtr. lib. 3. not.* 1.

§. XVI. Poſt hunc Rogerium uſque ad Annum 1284. floruiſſe creduntur tres alii Melitenſes Epiſcopi quorum nomina deſiderantur: unus ſcilicet ab Anno 1253. quo præmemoratus Rogerius obiit, ad Annum 1266. & alii duo hoc Anno ad Annum 1284. Nempe ſic loquitur Pirrus: 7. *N* 8. *N. Præſules* *Pirr. lib. 3. Sic Sac. Not. 7. & 8.* *Melitenſes agebant ab Anno* 1266. *ad annum* 1284. *dum Melita Carolo Andegavenſi electo Siciliæ Regi parebat. Tunc Petrus Aragonius Siciliæ Rex contra Melitam Manfredum Lanceam miſit. Is dum obſidione eam ſtatim opprimere cœpit, & poſt maritimum bellum (quod Fazellus in dec.*2. *lib* 8. *refert) cum Gallis, Melitenſes eidem Manfredo præfecto nomine Regis Petri ſe dedere*. Ea turbulenta tempeſtate, qua Rex iſte Gallos e Sicilia exterminavit, Regii Panormitani Grammatophylacii ſcripta expilata fuiſſe; ideoque illorum Antiſtitum nomina oblivione ſepulta non imprudenter conjicit Abela. A præcelebrato autem Petro Aragonio fuit in Melitæum Epiſcopum electus quidam Nicolaus, qui circa annum 1320. in Leontina ur- *Nicolaus.* be commorabatur, ubi pagum, aliaque feuda poſſidebat.

§. XVII. Anno 1330 Melitenſi Eccleſiæ præfectus fuit quidam Alduinus, ut literis mandavit Rocchus Pirrus, cui ſub- *Alduinus.* ſcribit Jo: Franciſcus Abela *lib. 3. not.* 1.

§. XVIII. Anno 1334. iſti Epiſcopo ſucceſſit Fr. Henri- *Henricus a Cephaloedio.* cus a Cephaloedio, Ordinis, quem vocant, Minorum, natione Siculus, morum integritate, ſcientia, pietate, religione, aliiſque virtutibus laudatus.

(a) Ideſt Agrigentinum Agrigentum autem celebris Siciliæ urbs, cujus olim Tyrannus Phalaris Melitenſium Amicus, ut in *Melit. Deſcr.* §. 40. ajebam.

Nicolaus Bonetus. §. XIX. Anno 1342. Nicolaus Bonetus ejuſdem Ordinis fuit Melitenſi inſula inauguratus a Clemente VII. vigore *Bullæ datę Avenionis 5. Kal. Decemb. Anno ipſius Pontificatus primo*. Præſul iſte ob mirabilem ſuam doctrinam, atque prudentiam Anno 1338. creatus fuerat Apoſtolicæ Sedis ad Tartaros *Nuncius* una cum Johanne a Florentia, & Gregorio a Panormo ejuſdem Ordinis fratribus, ut auctor eſt Lucas Waddingus. Luc. Wadding. Ann. lib. 3. n. 4.

Hilarius Conradus. §. XX. Anno 1361. Melitenum Ovile depaſcebat Hilarius Conradus Monachus Benedictinus, ut ex Monaſterii Catanenſis S. Benedicti manuſcripto compertum habuit Sebaſtianus Salelles. Iſte Antiſtes a Federico III. literas obtinuit, queis idem Rex Miniſtris ſuis Melitenſibus mandabat, ut opem eidem Epiſcopo ferrent ad reprimendam Clericorum inſolentiam. Eo in Melitena Cathedra ſedente, & fortaſſe ſuadente quædam nobilis mulier Melitenſis nomine Iſolda Catanenſe Benedictinorum Monaſterium pingui fundo, quem a *Lanzii Carrobeni* ejus mariti nomine vulgo *di Lanza* nuncupatur, dotavit. Obiit Anno 1370. ut contra Pirrum evincit Abela *loco ſepe citato*.

Antonius Vulponus. §. XXI. Quum Melitena ſedes per tres fere annos vacaſſet, Anno 1383. fuit ad eam aſſumptus Antonius Vulponus Monachus ejuſdem Ordinis, qui a Gregorio XI. conſecratus ſeſe ad hanc Inſulam contulit; atque hinc Catanam emigravit, ac tandem, quum in Regis Martini aula verſaretur, obiit Anno 1392. ut Pirro conſentiens affirmat Abela. Sebaſtianus autem Salelles *loc. ſupra cit.* ſcribit, hunc Antonium fuiſſe electum Anno 1372. & ſequenti anno vitam cum morte commutaſſe. Sed ego aſſentior Pirri ſententiæ, quæ magis conſentanea videtur his quæ dicturi ſumus. Etenim ſi Anno 1383. obiiſſet hic Antiſtes, inter ipſum & ſequentem Epiſcopum Anno 1392. electum, ſaltem aliquem alium noſtrum Præſulem floruiſſe compertum haberemus: nimirum tempora non ſunt adeo remota, ut ejus, ſi quis extiterit, memoria ad nos pervenire non potuerit. Et quidem ut ea de re certior fierem, Catanenſium Benedictinorum monumenta conſului, compertumque habui, noſtrum Antonium Anno 1390. inter vivos egiſſe. Reapſe iſti nullus alius ſucceſſit quam

Nicolaus a Panormo. §. XXII. Anno 1392. Nicolaus a Panormo dictus *Papalla*,

palla, Ordinis, quem vocant, Minorum Conventualium, qui antea fuerat Rector Noſocomii Melitenſis, S. Franciſci nomine inſigniti, illo ævo *Regii Patronatus*; exinde Meſſanenſis Cœnobii, Ordinis ſui Præfectus, ſeu Cœnobiarcha: poſtea Regis Federici III. Æditiuus, ſtipiſque diſtributor; deindeque Reginæ Mariæ Federici filiæ piacularium confeſſionum Auditor, ac major Æditiuus: tandem a Venerando *Capitulo* Melitenſi in hujus Inſulæ Epiſcopum electus. Qua ſane dignitate per breve tempus functus eſt: quippe Anno 1393. deſiit inter vivos agere. Noſtri Nicolai fit mentio in Regio diplomate, quod mox allegatum eo.

§. XXIII. Anno 1394. In iſtius Succeſſorem electus fuit Fr. Johannes de Pino a Catalaunia, ejuſdem Ordinis, qui a Rege Martino fuit omnibus iis muneribus decoratus, quibus fungebatur ipſius Anteceſſor. Atque heic, ut erudito Lectori morem geram, quoddam munus referam, quod inter alia eorum uterque exercuit. Nempe utrique cura erat commiſſa, ut Judæi quodam rubei panni orbiculo, ſupra pectus in exteriori veſte aſſuto, ſignati incederent, ut a Criſtifidelibus diſtinguerentur. Diplomatis, in quo hujuſmodi muneris prælaudato Nicolao delati fit mentio, nonnulla verba producit Abela, nempe hæc: *Fr. Nicolaus de Panormo cognoſcere debuerat de obſervatione Judęorum Rotellę de panno rubeo in forma, & quantitate majoris Regii Sigilli per dependentiam barbę* (barbaram latinitatem?) *& palmi diſtantiam in eorum exteriori veſte ſemper & ubicumque in pectore portando in diſtinctionem a Chriſtifidelibus manifeſtam, & mulierum eorumdem in earum veſte exteriori ſub pœna quindenę carceris &c.* Iſte Johannes Anno 1395. ad Agrigentinum Pontificium fuit evectus. *Johannes de Pino.*

§. XXIV. Fr. Maurus Cali Melitenſis *Ordinis Minor. Conventualium* uſque ad obitum ſupramemorati Nicolai de Panormo Melitenam Sedem propria auctoritate occupaverat, ut liquet ex ſequentibus Regiæ epiſtolæ verbis a noſtro Abela relatis. *Obitu Fr. Nicolai Papallę ultimi Poſſeſſoris Eccleſię & Epiſcopatus Melivetani, vel alterius cujuſcumque, licet Fr. Maurus de Cali de facto potius, quam de jure, ſua propria auctoritate in poſſeſſionem dicti Epiſcopatus ſe impoſuerit corporalem, poſtquam Venerabilis Fratrer Andreas de Pace Ord. Minor. S. T. M fidelis, & Orator noſter ad* *Maurus Cali.*

G 2 Re-

Reverendiſs. Dominum Regem Aragonum Patrem noſtrum, in Cataloniam ſe contulit perſonaliter, Sereniſſimo Domino Regi ſupplicans, qualiter de Epiſcopatu, & Eccleſia prędicta ſibi faciat canonice provideri. Idem Dominus Rex cum de eodem Epiſcopatu cuidam Catalano ſuo Religioſo de Ordine S. Marię de Mercede, qui ſe intitulat Archiepiſcopum Athenarum, feciſſet ad ſui ſupplicationem jam canonice provideri, idem Catalanus in manibus Domini Regis renunciavit, & tunc eidem Fratri Andręe contulit &c. Hæc epiſtola conſcripta fuit Catanæ 9. Kal. Novemb. An. 1398. Verumtamen heic oritur difficultas forte a nemine adhuc expenſa: nempe in alia Regia epiſtola pariter Catanæ data 9. Kal. Auguſti An. 1393. leguntur hæc: *Rex, & Regina univerſis & ſingulis Canonicis Eccleſię Melivetanę in Civitate Syracuſarum, & terra Leontini morantibus, familiaribus & fidelibus noſtris gratiam noſtram, & bonam voluntatem. Quia ob mortem quondam Fratris Nicolai de Panormo alias Papalla electi, & Paſtoris Eccleſię Melivetanę, oportuit de noſtro mandato & expreſſa voluntate omnes Canonicos in Civitate Catanię morantes, eligere Venerabilem Fratrem Johannem de Pino Catalanum, Cappellę Dom. Regis Magiſtrum Cappellanum, in Epiſcopum & Paſtorem Eccleſię prętatę, quem elegerunt & creaverunt in Epiſcopum & Paſtorem, in qua electione oportet omnimode vos intereſſe, & veſtrum aſſenſum preſtare &c.* Deinde alia Regia epiſtola exarata 9. Kal. Decembris ejuſdem Anni Melitenſibus Canonicis mandatum eſt, *ut omnino contradictione quacumque ceſſante in Preſulatus poſſeſſionem immitteretur Johannes*. Si ergo hic Johannes præmemorato Nicolao ſuffectus eſt, qui ſupra dicitur Maurus defuncto eodem Nicolao Melitæam Cathedram occupaſſe? Abela, ſicut & Pirrus, quamvis eaſdem epiſtolas allegent, tamen hunc nodum nequaquam expediunt: ſed Nicolai de Panormo Succeſſorem faciunt Joannem de Pino, poſtque hunc recognoſcunt Maurum Cali. Verum enimvero ego arbitror, Johannem iſtum fuiſſe utique in Melitenſem Epiſcopum electum, non tamen in Epiſcopatus poſſeſſionem immiſſum. Sententiæ meæ calculum addet qui perpendet ea primæ Epiſtolæ verba: *Obitu Fr. Nicolai Papallę ultimi Poſſeſſoris Eccleſię & Epiſcopatus Melivetani*: necnon iſta poſtremæ: *ut omnino contradictione quacumque ceſſante in Preſulatus poſſeſſionem immitteretur* Joannes.

nes. Nimirum huic reluctabatur valida Mauri factio. Hinc factum fuit, ut Johannes poſt paullo, videlicet An. 1395. ad Eccleſiam Agrigentinam fuerit promotus. Aliter, amabo, quì Nicolaus vita functus Anno 1393. diceretur *ultimus Poſſeſſor* Eccleſiæ Melitenſis, ſi poſt ipſum uſque ad Annum 1395. eamdem poſſediſſet Johannes? Huic igitur Agrigentini Gregis cura demandata, Fr. Andreas de Pace Tarraconenſem Regem adivit ad efflagitandum Meliteni Eccleſiarchii jus, idque obtinuit; noſter autem Maurus hujuſce Epiſcopatus poſſeſſionem propria auctoritate inivit: ideoque orta inter eos lis eſt, qua primum Romæ certatum coram Franciſco S.R.E. Presbytero Cardinali, tit. S. Suſannæ, dicto *Monopolitano*; deinde Panormi coram Giliforte ejuſdem urbis Archiepiſcopo, tamquam *Nuncio Apoſtolico*: tandem pactione fuit conventum, ut Epiſcopatus redditus ex Melitæis fundis provenientes exigeret Andreas; eos vero qui e Siculis prædiis colligerentur, Maurus conſequeretur. Hic autem interea Romani Pontificis auctoritate, Regiſque aſſenſu imploratis Melitena Inſula inauguratus eſt: necnon epiſtolam ab eodem Rege impetravit, exaratam IV. Idus Octobris An. 1398. qua fuit comparatum, ut Eccleſiaſticorum, ut vocant, beneficiorum jura ab ipſo collata, & decreta huic Eccleſiæ utilia, ab eodem edita, exequerentur. Is inter alia decreverat: *Ne quis beneficia Melitæ habere, vel obtinere poſſit, niſi ſit Melivetanus &c.* Hic Præſul, ut ait Pirrus *loc. cit. ſemper in Sicilia deguit, cui Viro apprime docto, ac in utroque jure peritiſſimo ſummus Pontifex, Rexque Martinus multas Eccleſiaſticas cauſas decidendas demandavere.*

§. XXV. Poſt noſtrum Maurum cum Abela, tum Salelles prælaudatum Andream de Pace Siculum hujus Eccleſiæ Faſtis adſcribunt; quamvis hic neque illi ſucceſſerit, neque fuerit conſecratus Melitæ Epiſcopus: nihilotamen minus dignus ipſe eſt qui celebretur, nedum quod fuerit in noſtrum Antiſtitem electus, ſed etiam ob ſingularem ſuam juriſprudentiam, qua fretus idem Rex Martinus eum in pluribus cauſſis Judicem conſtituit. Mirari autem ſatis non poſſum, quod Carolus Michallef *loc. ſupra cit.* poſt precelebratum Johannem de Pino hunc Andream recenſeat, Mauro noſtro prætermiſſo. *Andreas de Pace.*

§. XXVI.

§. XXVI. Auno 1408. Melitenam Sedem condecoravit
Conradus Conradus Caracciolus Neapolitanus, S. R. E. Presbyter
Caracciolus. Cardinalis tit. S. Chriſogoui. Non me fugit iſtius Epiſcopatum a Sebaſtiano Salelles conſignari in Anno 1404. Attamen ejus ſententiæ calculum addere non poſſum, quum compertum habeam prælaudatum Maurum Melitenſi Eccleſiæ præfuiſſe uſque ad Annum 1408. ut ex ſupra expoſitis perſpectum eſt. Sed forte vir iſte doctiſſimus allucinatus eſt, propterea quod in Hiſtoria Pontificali legerit, hunc Conradum ſacro Patrum Purpuratorum cœtui aggregatum fuiſſe ab Innocentio VII. qui ad ſummi Pontificatus apicem evectus eſt Anno 1404. nec non ipſum ex Epiſcopo Cardinalem fuiſſe creatum crediderit; quandoquidem is e Cardinali Epiſcopus fuit conſecratus: ſiquidem ſummus ille Pontifex obiit Anno 1406. VIII. Idus Novembris; Conradus autem noſter Melitenſe Eccleſiarchium conſequi non poterat, niſi qnum præmemoratus Maurus ad Catanenſem Eccleſiam eſſet translatus, nempe Anno 1408. nam, ut ait Zenodotus; *(a) μία λοχμη οὐ τρεφει δύο ἐριδάκους*; nec idem Ovile duos Paſtores. Conradus autem
Platin. in Vit. Innocen. VII. illico ſeſe Melitenſi Præſulatu abdicavit, ut ait Platina.

§. XXVII. Poſt hunc Melitæ Antiſtitem Sebaſtianus Sa-
Marcus Intruſus. lelles, & Carolus Michallef intrudunt quemdam Fr. Marcum Intruſum, quem quoque ſtatim hoc Eccleſiarchium depoſuiſſe adſeverant. De iſto autem Præſule nulla fit mentio penes ceteros noſtros Scriptores. Præterquam quod eodem

§. XXVIII. Anno 1408. Melitena Infula redimitus eſt
Michael de Letras. Fr. Michael de Literis, ſeu de *Letras* Catalaunus *Ord. Minor. Convent.* ut perſpicitur ex *bulla* Apoſtolica, quam allegat Abela *loc. ſæpe cit.* Præſul iſte fuit vere literatus, qui cum generis nobilitate, tum morum candore in aula Regis Martini, ac Reginæ Mariæ, quibus inſerviebat, magnam ſibi peperit laudem.

N. de Valguarnea. §. XXIX. Ejus ſucceſſorem ſtatuit quemdam de Valguarnea, ſive Valguarnera Sebaſtianus Salelles; attamen ipſius electionis & conſecrationis tempus ignorare fatetur. Eqnidem iſtius Præſulis nemo Scriptorum noſtrorum meminit

(a) *Idem arbuſtum non alit duos Erithacos*: quæ ſunt aves adeo ſolitariæ, ut in eodem ſaltu non niſi unam temere invenias, ut ait Eraſmus Roter.

minit præter Carolum Michallef, eumdem Scriptorem ſequens.

Johannes Ximenes.

§. XXX. Anno 1410. hunc Epiſcopatum conſequutus eſt Johannes Ximenes Ord. S. Franciſci. Is a Comite Urgellenſi, cujus *piaculares confeſſiones* audiebat, Barcinonem miſſus eſt Orator, ut quibuſdam ſolemnibus comitiis in opido Caſpio (a) cogendis, ejuſdem Comitis ſibi Aragoniæ regnum aſſerentis jura exponeret, ut Zurita, & Mariana teſtantur apud Abelam *loc. cit.* Noſtram vero Eccleſiam per breve admodum tempus rexit; ſiquidem ei

Antonius de Platamone.

§. XXXI. Anno 1412. ſucceſſit Antonius de Platamone Catanenſis, Monachus Benedictinus: quem Regina Blanca tum temporis Siciliæ Regni Gubernatrix literis ſuis IV. Kal. Octob. An. 1411. exaratis conſtituit Melitenſis Eccleſiæ adminiſtratorem, donec ipſum Romanus Pontifex Epiſcopum conſecraret.

Maurus Cali Secundò.

§. XXXII. Anno 1420. Maurus Cali, qui, ut ſupra diſſerebam, ex Patria Eccleſia ad Catanenſem fuerat translatus, ſeſe hac abdicavit, quadam penſione ſibi conſtituta; denuoque ad Melitenam Sedem implendam venit, ut conſtat ex *Bulla* Martini V. ſub dat. Florentiæ XII. Kal. An. III. ejuſdem Pontificatus; cujus archetypum adſervatur in hujus Cathedralis Eccleſiæ tabulario; quamquam id Pirri diligentiam fugerit.

Senator de Mello.

§. XXXIII. Anno 1433. hanc Eccleſiam moderabat Senator de Mello: ſiquidem (a) quamdam Scripturam ab ipſo, tamquam Melitenſi Epiſcopo, eo Anno ſignatam ſe ſe vidiſſe affirmat noſter Abela. Hujus Epiſcopatus tempore florebat Fr. Matthæus a Melita, qui Generalis harum Inſularum Inquiſitoris munus cum laude ſuſtinuit. Senator autem obiit Catanæ V. Idus Septemb. An. 1445.

Bernardinus Paternò.

§. XXXIV. Eodem Anno a Melitæ Canonicis, Siciliæ Rege conſentiente, in hujus Inſulæ Epiſcopum electus eſt Bernardinus *Paternò*, ſeu de *Paternione*, Catanenſis, Monachus Benedictinus; qui antea Monaſterii S. Philippi Argyrienſis Abbatem egerat. Ipſum Anno 1447. Catanæ

obiiſſe

(a) Id Aragoniæ Opidum, vulgo *Caſpe*, a Rege Alphonſo II. donatum eſt Ordini Jeroſolym. (b) Sebaſtianus Salelles allegat quaſdam Tabulas confectas Anno 1445. in queis fit mentio cujuſdam Sepiatoris Melitæ Epiſcopi, ſed ego arbitror nomen id mendoſe ſcriptum, & pro Senatore iſto perperam ſubſtitutum: ſiquidem eo Anno huic Senatori defuncto ſucceſſit Bernardinus *Paternò*.

obiiſſe, ac tumulatum eſſe affirmat Pirrus allegans iſtius Eccleſiæ Cathedralis Tabulas: tametſi eumdem vita deceſſiſſe Anno 1445. mihi exploratum eſt ex Monumentis Catanenſis Monaſterii, S. Agathæ nomine inſigniti.

Jacobus Paternò. §. XXXV. Anno 1447. illius locum impleviſſe Jacobum Paternò, eodemque Anno ſupremum diem clauſiſſe tradunt Pirrus, & Abela: quibus tamen ſubſcribere non poſſum; quum ex ejuſdem Monaſterii monumentis compertum habeam; quod tum temporis ejuſmodi dignitatem aſſequi ille non valebat, propterea quod impedimento illi erat ætatis infirmitas: itaut Anno 1446. privilegio indiguerit, ut in illius Monaſterii Abbatem deligeretur. Præterquam quod vitam ille produxit ad Annum 1488.

Ricardus. §. XXXVI. Unde etiam perſpici poteſt, quod Richardus Monachus Benedictinus haud illi in hoc Eccleſiarchio ſucceſſerit, ut vult Abela, nulli alii argumento innixus, quam quod in Catanenſium Benedictinorum vita functorum Syllabo poſt illius Jacobi obitum, iſtius Richardi nomen adnotatum eſſe noverit.

Franciſcus Campolus. §. XXXVII. Necnon minus recte ad Annum 1466. Franciſcum Campolum in Melitenſi Cathedra agnoſcit idem Abela, aſſerens ita ſcriptum reperiri in Regio Panormi Grammatophylacio. Quandoquidem, referente Groſſio, anno 1447 in ipſa ſedebat Antonius Alagona, qui hanc Eccleſiam rexit uſque ad Annum 1478. ut mox oſtenſum eo. Recte igitur Pirrus, & Carolus Michallef cum hunc Franciſcum, tum Richardum illum miſſos fecere.

Antonius de Alagona. §. XXXVIII. Antonius de Alagona, nobiliſſimus civis Catanenſis, Monachus Benedictinus, frater Monetæ de Alagona Regii Cubicularii, in Melitenſem Eccleſiarcham a Rege Alphonſo electus eſt, & ab Eugenio IV. conſecratus. Anno autem 1478 conſentientibus Xiſto IV. & Ferdinando II. ſeſe hujus Epiſcopatus jure exuit, ut eo donaretur.

Johannes Paternò. § XXXIX. Johannes Paternò ejuſdem Ordinis, qui plura Eccleſiaſtica munera cum Religioſi ſui cœtus, tum aliarum Eccleſiarum ſumma cum dignitate geſſerat. Is magnam cum Rege Ferdinando gratiam inivit, & ab ipſo impetravit, ut a perſolvendis Regiis penſitationibus Melitenſis Eccleſia eſſet immunis. Anno autem 1489. facultatem tribuentibus Innocentio PP. VIII. & præmemorato Ferdi-

nando

nando II. Melitenſe Pontificium Panormitano permutavit. Itaque Metropolites factus, ampliſſimum Siciliæ Pro-Regis munus ter cum laude ſuſtinuit. Tandem quum octogenarius eſſet, a Rom. Pontifice, ut ſacra Purpura decoraretur, Romam accitus eſt, ubi perbrevi tempore e vivis receſſit, IX. Kal. Febr. An. 1511.

§. XL. In Anno 1480. Sebaſtianus Salelles, & Carolus Michallef ſtatuunt Epiſcopum Melitæ quemdam Gerardum *Ago*, ſive *Aga*, quem electum quidem fuiſſe, ſed morte præverſum Epiſcopatus poſſeſſionem haud iniviſſe tradunt. Verumtamen, undenam id excerpſerint, omnino ii reticent. Aliunde, ex *Bullis* Pontificiis, a noſtro Abela allegatis, perſpicitur, prælaudatum Johannem hanc Sedem occupaviſſe ab Anno 1478. uſque ad Annum 1489. *Gerardus Ago.*

§. XLI. Quo Anno quum Johannes iſte e Melitenſi in Panormitanam Eccleſiam eſſet aſſumptus; e Panormitana in Melitenſem translatus eſt Petrus de Foix (Pirro *Fox*, ſeu *de Fuxo* dicitur) S. R. E. Diaconus Cardinalis tit. SS. Coſmæ & Damiani, Ludovici Galliarum Regis XI. ex fratre nepos, ſæpe laudati Ferdinandi II. frater patruelis, aliorumque magnorum Principum cognatione conſpicuus: qui obiit Romæ Anno 1490. *Petrus de Foix.*

§. XLII. Annoque ſequenti ab eodem Ferdinando II. *literis datis Hiſpali* XIII. Kal. Junii in Melitenſem Antiſtitem electus eſt Paulus de Cavaleria Piſanus. & ab Innocentio VIII. adprobatus *Bulla exarata XII. Kal. Martias*, Anno ejus Pontificatus VII. Præſul iſte optimis moribus, & omnigena literatura ornatus ſupremum diem explevit Catanæ Anno 1492. *Paulus de Cavalleria.*

§. XLIII. Anno 1495 V. Idus Auguſti Melitenſi Thiara exornatus eſt Jacobus Valguarnera Siculus, nobilibus ortus parentibus in quodam opido, Familiæ ſuæ feudo, vulgo dicto *Aſſoro* (a) Is diu Romæ apud Alexandrum VI. commoratus eſt, a quo obtinuit, ut Eccleſiaſtica Melitæ beneficia a Romano Pontifice, & Melitenſi Epiſcopo alternis vicibus conferrentur. Et animi candore, ac ſingulari doctrina clarus morti occubuit Menſe Majo an. MDI. humatusque fuit in majori Aviti Opidi Templo, ubi circa *Jacobus Valguarnera.*

 me-

(a) Aſſörus, ſive Aſſerus, vel Aſſetinm, eſt Siciliæ opidum ab Agyra urbe VI. M. P. diſtans Ennam verſus. Enna autem vulgo *Caſtro-Joanni* dicitur. Agyra vero ſive Agyrium celebre eſt nativitate Diodori Siculi.

medium ſæculi tranſacti ſervabatur cadaver ejus incorruptum, coma, barbaque nequaquam vitiata. Carolus Michallef Pirrum ſequens, & Pirrus Ciacconium allegans, affirmant iſtius Succeſſorem fuiſſe Johannem Borgia, ſeu Borja Valentinum, S. R. E. Cardinalem tit. S. Mariæ in via lata. Huic tamen ſententiæ ſubſcribere non poſſum; quandoquidem iſte Johannes, ut Pirrus ipſe fatetur, veneno peremptus eſt Urbini, Anno 1500. XVI. Kal. Febr. videlicet ſexdecim fere menſibus ante quam prælaudatus Jacobus una cum vita Epiſcopatum deſeruerit. Quamobrem Abelæ aſſentior, qui Johannem iſtum non *Melitenſem*, ſed *Melphitenſem* Epiſcopum fuiſſe contendit, ut vult Zurita *Tom. 5. lib. 2. ad Annum* 1496.

Antonius Corſectus.

§. XLIV. Antonius Corſectus Siculus, e nobili Familia Nectina ortus, a Rege Ferdinando in Eccleſiæ Melitenſis Præſulem electus VII. Kal. Auguſti an. 1501. & ab Alexandro VI. conſecratus eſt anno ſequenti: qui eidem Summo Pontifici familiam conſuetudine devinctus, unaque cum ipſo ſublatus eſt veneno, Romæ, anno 1503. Hic Antiſtes erat juris peritiſſimus, & ante quam Melitenſe Eccleſiarchium obtinuit, *Auditoris*, ut vocant, *Cameræ Apoſtolicæ* munus exercuit: nec non plurima volumina in lucem edidit, quæ ſummopere laudantur a Matthæo Sylvagio, Lucio Marinæo, aliiſque apud Pirrum. Vincentius Littera, quem ſequitur Sebaſtianus Salelles, afferit noſtrum Antonium cum Alexandro VI. idem veneno fatum ſubiiſſe anno 1509. Sed quis hiſtoriæ Pontificalis adeo ignarus eſt, ut ſummum illum Pontificem Anno 1503. XV. Kal. Septemb. obiiſſe neſciat? Porro id non tantorum virorum, ſed Typographi mendum eſſe autumo.

Pirr. not. Syrac. Eccl. p. 226. Vinc. Lit. lib. de reb. Nectin.

§. XLV. Panormitani Senatus precibus obſecundans ſæpe memoratus Rex Ferdinandus II. Anno 1504. in Melitenſem Epiſcopum delegit Bernardinum de Bononia, Patritium Panormitanum, egregiis virtutibus ornatum, ac Melitenſibus gratiſſimum: cujus electionem confirmare diutius recuſavit Julius II. ſed tandem ipſum conſecravit, ut liquet ex literis Apoſtolicis Romæ ſignatis anno 1508. & in Acta relatis anno ſequenti. Poſtea hic Præſul ad Mamertinam Eccleſiam Archiepiſcopalem evectus eſt. Anno autem 1513. Panormi extremum vitæ ſpiritum edidit.

Bernardinus de Bononia.

§. XLVI. Huic Bernardino alium Bernardinum Bononien-

Digitized by Google

nienſem, ſeu *Catanaunum* ſuffectum fuiſſe affirmat Sebaſtianus Salelles; ſubditque ipſum Anno 1517. teſtamentum condidiſſe. Sed ante hunc Bernardinum *Catagnanum*, ſeu *Catbanianum*, de quo paullo infra diſſeremus, floruere tres alii Antiſtites, nempe.

§. XLVII. Anno 1512. Pridie Kalend. Majas in Melitenſem Epiſcopum electus eſt Johannes Pujades, qui fere biennio poſt interiit. Hunc Antiſtitem prætermittit Pirrus: ſiquidem is forte compertum non habebat, quod in Odeo Regiæ Meſſanenſis Eccleſiæ S. Franciſci legeretur hæc Inſcriptio a noſtro Abela producta. *Johannes Pujades Epiſcopus Melivetanus electus Romæ ultimo Aprilis* 1512. *Pontificatus Domini noſtri Julii Secundi anno nono, ſuis expenſis eo mortuo fieri fecit*. *Johannes Pujades.*

§. XLVIII. Anno 1514. Johannes de Sepulveda, ſeu de Pelveda, Hiſpanus, ex Eccleſia Tudenſi, quæ olim Bracarenſi, nunc autem Compoſtellano Archiepiſcopo ſubjacet, in Melitenam Sedem translatus eſt præcedente Regis Ferdinandi II. aſſenſu, & Leonis PP. X. auctoritate, impoſito ſibi onere annuæ penſionis aureorum 500. perſolvendæ Bandinello Senatori S. R. E. presbytero Cardinali S. Sabinæ.

§. XLIX. Anno 1516. Johannes iſte ſeſe Epiſcopatu abdicavit: eique ſuffectus eſt Raphael Oſtienſis Epiſcopus, Leonis PP. X. Cubicularius, qui etiam brevi interlapſo tempore Melitenſe Eccleſiarchium depoſuit, *Raphael Oſtienſis.*

§. L. Ejuſque locum occupavit Bernardinus *Catagnanus*, ſeu *Catbanianus*, Canonicus Piſanus, Apoſtolicarum literarum *Taxator*, & præcelebrati Leonis X. famulatui addictus, ipſique neceſſitudine conjunctus. Hujus Præſulis opera conſtructum eſt amplum Cœnobium PP. Prædicatorum in urbe Victorioſa. Ipſius teſtamentum in acta Pauli Bonelli relatum VIII. Kal. Auguſti Anno 1517. ſeſe legiſſe affirmat noſter Abela. Atque hic certe fuerit Bernardinus ille, quem alterius Bernardini de Bononia ſupra memorati ſucceſſorem facit Sebaſtianus Salelles, allegans ejus teſtamentum prædicto anno conditum. Attamen is, ut ſupra diſſerebam, poſt tres prælaudatos Antiſtites hunc Epiſcopatum conſequutus eſt: ſiquidem ipſum obtinuit Anno 1516. a prævenerato Summo Pontifice, hac ſibi definita conditione, ut infra anni curriculum impetrare curaret *Bernardinus Catagnanus.*

 Re-

Regis aſſenſum, ut eum re ipſa impetravit eodem Anno. Poſt triennium autem mortalitatem explevit, nempe Anno 1519.

Andreas de Valle. §. LI. In cujus Succeſſorem electus eſt eodem Anno Andreas de Valle Romanus S. R. E. Presbyter *Cardinalis tit. S. Agnetis in Agone*, exinde *S. Priſcæ*, qui tamen antequam hujus Eccleſiarchii poſſeſſionem iniret, ſeſe ipſo abdicavit: nimirum a Siciliæ Rege in ſublimi Meſſanenſis Archimandritæ dignitate conſtitutus eſt.

Bonifacius Catagnanus. §. LII. Anno 1520. in hac Sede collocatus eſt Bonifacius *Catagnanus* (Carolo Michallef *Caſervia* dicitur) ſupra memorati Bernardini Conſanguineus, & Leonis X. Cubicularius, qui ab iſto Pontifice, intercedente Carolo V. impetravit, ut ſuæ Eccleſiæ dignitates, ac Beneficiorum, quæ vocant, jura non niſi ex hac Inſula oriundis conferri poſſent: anno autem 1523. extremum vitæ ſpiritum Romæ edidit.

§. LIII. Eodemque anno a prælaudato Monarcha in noſtrum Præſulem delectus eſt Carolus Urries, ſive de Urrea, Hiſpanis parentibus in Trinacria ortus; cujus Avus paternus Simon de Urrea ampliſſimo iſtius Regni Pro-Regis munere (*a*) bis functus fuerat. Et quum hanc Eccleſiam per quinque annos laudabiliter gubernaſſet; obiit Anno 1528.

Carolus de Urrea.

§. LIV. *Huic* (inquit Sebaſtianus Salelles) *ſecundum mentem cujuſdam e noſtris ſucceſſit Catanenſis quidam ex Religione S. Benedicti, cujus nomen, & cognomen deſumi poſſe ait ex ejus ſepultura in Cathedrali Eccleſia prope Sacellum Sanctiſſimæ Trinitatis, vel ex Archiviis Epiſcopalibus, ubi etiam affirmat ejus teſtamentum aſſervari*. Sed Scriptor iſte ceteroqui graviſſimus, id diligentius inquirere debebat: attamen venia dignus eſt, quod gravioribus rebus, ideſt *S. Inquiſitionis Tribunalium materiis* (de quibus egregie ſcripſit) pertractandis intentus, nos de iſto Antiſtite certiores facere minime curavit. Ego autem, cui propoſitum eſt hanc Seriem magis exacte ac fideliter pertexere; Catanenſis *Benedictinorum* Monaſterii monumenta conſului; nullumque iſtius Ordinis Epiſcopum, poſt prælaudatum Carolum de Urrea, floruiſſe inveni. Compertum tamen habui, quod in Cathedrali Templo Catanenſi tumu-

(a) Nempe An. 1443. & 1465.

tumulatus fuerit Bernardus Paternò, Monachus Benedictinus, Præſul noſter, qui tamen obiit multo ante id tempus, nempe anno 1445. ut ſupra recenſebam. Ejus autem ſepulcrum nequaquam cernitur, fortaſſe a celebri illo Terræmotu everſum obrutumque. Nec hujuſce tumuli meminere Pirrus, & Groſſius, qui de iſto Bernardo mentionem fecerunt.

§. LV. Anno 1530. Balthaſſar WaltKirK Alemanus, Imperialis Vice-Cancellarius a Carolo V. in Melitæ Præſulem electus eſt *per literas datas 3. Idus Julii ejuſdem Anni;* ſed antequam in hanc Sedem ſeſe conferret, in Cœlum, ut pie creditur, evolavit. Atque iſte fuit noviſſimus Melitæ Antiſtes, antequam cœpiſſent in hujus Inſulæ Epiſcopos deligi Fratres Æditui Jeroſol. Ordinis. De iſto Præſule mentionem facit idem Imperator in Diplomate Conceſſionis harum Inſularum in feudum nobile Jeroſolymitanæ Militiæ: quod legere poterit curioſus Lector apud Jacobum Boſium *part. 3. lib. 5.*

Balthaſſar VValtKirK.

§. LVI. Anno 1531 a M.Jeroſol.Ordinis Magiſtro, ejuſque Venerando Concilio, juxta conditionem in præmemorato Diplomate latam, ſelecti fuere ex eodem Religioſo cœtu tres inſignes Presbyteri: videlicet Fr. Pontus Laurenzin Gallus Lugdunenſis, Eccleſiaſticus ejuſdem Ordinis Cœnobiarcha; Fr. Thomas Boſius Italus Aſtenſis, ejuſd. Ord. Vice-Cancellarius; & Fr. Dominicus Cubelles, Majoris Eccleſiæ, quam vocant, *Conventualis Sacriſta*; ut ex ipſis Cæſar eligeret, quem Melitenſi Inſula redimitum vellet. Sed hoc Monarcha, hujuſmodi electionem plus æquo differente, Clemens PP. VII. Melitenſe Eccleſiarchium Cardinali Ghinuccio contulit: huic autem dicam impegit Thomas Boſius, exinde a Cæſare electus. Ejuſmodi lis per aliquot annos producta, tandem tranſactione terminavit: qua fuit conventum, ut annua quadam penſione Cardinali addicta, Epiſcopatus Thomæ conferretur. Hic itaque inauguratus eſt, ſediſque ſuæ poſſeſſionem inivit: poſtque ſex menſes conceſſit in fata, anno 1529. 18. Kal. Sept. humatuſque fuit in Templo ſuo Cathedrali.

Thomas Boſius.

§. LVII. Eodem anno ad hoc Eccleſiarchium promotus eſt Fr. Dominicus Cubelles, Cæſarauguſtæ natus, ac in Trinacria conſecratus eſt anno 1541. Is autem Majori S Johannis Eccleſiæ, totique Jeroſol. Ord. Clero præerat:

Fr. Dominicus Cubelles.

quum

quum tamen Epiſcopus audiiſſet, cum ſuo in ejuſdem Eccleſiæ Præfectura ſucceſſore dicam habuit: namque iſte in Ordinis ſui Conciliis, aliiſque publicis actibus ſibi primas ab Epiſcopo deferendas eſſe contendebat; ſed expoſita coram M. Magiſtro, ac ejus Ven. Concilio, hujuſmodi controverſia, ſecundum Epiſcopum lata eſt ſententia; quam deinde comprobavit Paulus III. ea tamen lege adjecta, ut in Jeroſolymitani Ordinis Eccleſiis harum Præſuli primas tribueret Epiſcopus. Quod autem fere numquam obtingit: hujuſmodi enim occurſum omni conatu evitant Epiſcopi. Prudentiam, pietatem, animique magnitudinem ſemper præſetulit noſter Dominicus; & maxime anno 1551. quum Senen Turcicæ claſſis 140. triremibus inſtructæ imperator antiquam urbem Melitam expugnare, capto jam ejus ſuburbio, adoriretur. De quo Epiſcopalis ſuæ Sedis diſcrimine noſter Antiſtes ante aliquot dies fuerat commonefactus: nempe id ipſius Vicario prænunciaverat quædam piiſſima Fœmina *prophetico* ſpiritu a Patre luminum illuſtrata, illum admonens, ut ſi tantum periculum a ſe propulſatum vellent, ſub D. Agathæ tutelam confugerent. Reapſe hujus glorioſæ Virginis ſimulacro ſuper urbis mœnia expoſito, ut inter alia pietatis officia præſcripſerat (a) Sancta illa Μοναστρια, immanis hoſtis perterrefactus, fugatuſque eſt: indeque Gaulo allapſus, triduana eam oppugnatione debellavit, vaſtavit, incendit. Anno autem 1566. ferme poſt 26. Præſulatus annos cum laude exactos animam Creatori ſuo reddidit 10. Kal. Decemb.

§. LVIII. Anno 1567. ex tribus Jeroſolymitani Ordinis Presbyteris, a M. Magiſtro ejuſque Venerando cœtu de more deſignatis Philippus II. Hiſpaniarum Rex elegit *Martinus Rojas.* Fr. Martinum Rojas (Raxas Pirro dicitur) Caſtellanum de Portu rubeo, ejuſdem Ordinis Vice-Cancellarium. Sed hanc electionem comprobare noluit S. Pontifex Pius V. Boſius Part. 3. lib. 7. ut memoriæ prodidit Jacobus Boſius: quoniam ei fuerant imputata quædam crimina: quum vero ſeſe iis purgaſſet, ac integritatem ſuam perſpicuam reddidiſſet, a Gregorio XIII. fuit ipſe inauguratus. Hic Antiſtes Sacro Tridentino Concilio interſuit, ut Sac. Religionis Jeroſolymitanæ Ora-

(a) Quæ narrantur in hoc facto, miraculoſa intelligantur, prout jubet Urbanus VIII. in decreto lato die 5. Junii An. 1631.

Digitized by Google

Orator. Quum autem anno 1574. M. Magiſter Fr. Joh. Leveſque de la Caſſiere a Romano Pontifice impetraſſet, ut illi in Epiſcopali munere exercendo opitularetur aliquis alius Præſul, atque hujuſmodi cura cuidam Franciſco Coſtæ demandata eſſet; ægre id ferens Martinus noſter ſeſe Romam contulit, ubi ſenio, laboribuſque confectus defecit anno 1577. 14. Kal. Sept. Hujus Epiſcopi doctrinam, prudentiamque commendant Pirrus, & Abela; tametſi Bartholomæus de Puteo res ab ipſo geſtas adverſus præmemoratum M. Magiſtrum notat carpitque.

§. LIX. Anno 1578. Fr. Thomas Gargallus Catalaunus, Jeroſolymitani Ordinis Vice-Cancellarius ab eodem Rege Philippo II. electus, & a Gregorio XIII. comprobatus eſt *bulla* data III. Idus Auguſti ejuſdem Anni. Mox exorta quadam diſſenſione inter ipſum, & ſupra laudatum M. Magiſtrum delegatus eſt a Romano Pontifice Archiepiſcopus Monteregalenſis Torres nomine, ut Melitam petens, diſcrimina in quibus ipſi verſabantur, auferret. Hujus tamen operam, etſi multam, fecere irritam Equites fere omnes, qui partes pro Epiſcopo ſuſcepere. M. autem Magiſtrum in S. Angeli Caſtellum ſub cuſtodia conjecere, deligentes in ejus Locum tenentem Fr. Maturinum de Leſcout, ſeu Romegas, Toloſæ Cœnobiarcham, ipſius æmulum. Propterea Summus Pontifex in hanc Inſulam miſit Nuntium, & Vicarium quemdam Præſulem e clariſſima Vice-Comitum Mediolanenſium familia, Rotæ Romanæ Auditorem, ut Caſſieram e Caſtello educeret, eumque, & Epiſcopum, & Romegaſſum Romam contendere faceret: ubi vita functis Caſſiera & Romegaſſo, noſtri Thomæ res ſe bene habuere; eidem vero M. Magiſtro extincto ſupremæ hujuſce Dignitatis honorem Summus Pontifex repoſuit. Thomas autem noſter ſecundo Romam accitus eſt, ob res a ſe violenter geſtas in quoſdam Melitenſes Canonicos, & Miniſtros Tribunalis SS. Inquiſitionis, quibus rite examinatis mulctatus eſt, ut refert Bartholomæus de Puteo, anno autem 1587. a M. Magiſtro Verdala, totoque Jeroſolymitano Ordine miſſus is eſt ad Emanuelem Sabaudiæ Ducem Orator, ut hinc Principi ejuſdem ſacræ Militiæ nomine gratulationem faceret de felici ejus Primogeniti Philippi Emanuelis nativitate; atque una cum aliorum Principum Oratoribus nato Infanti, ſacro baptiſmate ſolemniter

Thomas Gargallus.

Hiſt. S. Ord. Jeroſol. P. 2. l. lib. 1.

Digitized by Google

ter inaugurando adeſſet. Anno 1594. ipſe Urbem tertio contendit, nonnullas querelas in eumdem M. Magiſtrum Verdala Summo Pontifici expoſiturus, ut narrat idem Hiſtoriographus. Huic Epiſcopo debet Societas Jeſu Collegii Melitenſis conſtructionem, pro qua & pro ejuſdem Religioſi cœtus Sodalium victu *per aliquot annos plus octo millium ſcutorum de ſuo expendit, ut ab ipſiuſmet ore ſæpius audiviſſe* teſtatur ſæpelaudatus Salelles. Eidem debet Melitæus Grex, quod iis omnibus, quæ ad æternam ſalutem comparandam neceſſaria ſunt, luculenter fuerit inſtructus. Quum autem is eſſet 78. annos natus, Terram, ut pie creditur, cum Cœlo commutavit anno 1614. 4. Idus Junii. Ejus cadaver ex ædibus, quas ipſe in colle S. Margaritæ, reficiendi animi cauſſa, conſtrui fecerat, in Vallettam urbem, ſolemni apparatu, triremi vectum; peractoque funere in Templo *Soc. Jeſ.* humatum eſt in Sacello quod ipſe in SS. Virginis Montiſſerrati honorem condiderat.

Barth. de Put. part. 1. lib. 6.

Balthaſſar Cagliareſ.

§. LX. Eodem anno Fr. Balthaſſar Cagliareſius Melitenſis, quum M. Magiſtri de Wignancourt a conſultationibus eſſet, a Philippo III. Hiſpaniarum ac Siciliæ Rege eligitur, & mille aureis ex hujus Sedis vacantis proventibus donatur; & a Paulo V. comprobatus, Romæ conſecratur anno 1615. Vir ſane literis & pietate inſignis, erga inopes munificus, qui treis *Soc. Jeſu* Sodales ingenti pecuniarum vi e captivitate liberavit; Eccleſiam ſuam Cathedralem amplo Sacrario decorari curavit, & in urbe Valletta magnificas ædes, ſibi, ſuiſque Succeſſoribus habitandas, conſtrui fecit. Anno 1625. Diœceſanam Synodum coegit, in qua plureis conſtitutiones Eccleſiæ Gregiſque ſibi commiſſis utiles, ac ſalutares promulgavit. Et poſt 18. Præſulatus annos, ætatis vero ſuæ 58. ſupremum diem explevit Pridie Nonas Aug. an. 1633. condituſque eſt ante majorem Templi Cathedralis aram, quam ipſe ante aliquot annos conſecraverat.

Joh. Michael Balaguer.

§. LXI. Anno 1634. Fr. Joh. Michael Balaguerius Camarafa, Tarraconenſis, Fr. Petri Urrea Cammaraſa, Eccleſiaſtici Ord Jeroſol. Cœnobiarchæ, ex ſorore Nepos, a Philippo IV. Hiſpanienſi Monarcha delectus, ab Urbano VIII. confirmatus, Romæ Thiara Melitenſi inauguratus eſt: unde huc reverſus Cathedræ ſuæ poſſeſſionem inivit anno ſequenti Kal. Aprilis. Is erat Juris peritia, &

S. Theo-

Digitized by Google

S. Theologia luculenter inſtructus : & anno 1646. Diœceſanum habuit concilium, in quo Sanctiones Eccleſiæ ſuæ perutiles edidit. Huic Antiſtiti acceptum referre debent Melitenſes Canonici, quod linea tunica, violaceo palliolo, magnoque pallio armellini pelle ornato inſigniti ſunt : hujuſmodi enim inſignia in ipſo Epiſcopatus ſui primordio ab eodem Summo Pontifice iſtis obtinuit. Anno autem 1663. 5. Idus Decemb. naturæ ſatisfecit; humatuſque eſt in Eccleſia ſua Cathedrali 3. Idus ejuſd. Menſis.

§. LXII. Eodem anno a M. Magiſtro, ejuſque Ven. Concilio lecti ac nuncupati ſunt hi tres inſignes Presbyteri, Fr. Lucas Bonus (*Bueno*) Hiſpanus ex Opido Campilio Jeroſolymitani Ordinis Cleri Præfectus, ſeu *Prior Generalis*; Fr. Paulinus Blondus Siculus, M. Magiſtri Auditor; & Fr. Petrus Viani Provincialis, ejus ſtipis Diſtributor; ut unus ex iſtis a Siciliæ Dominante ad Melitenſe Eccleſiarchium promoveretur. Rex autem ea nuncupatione accepta renunciavit Lucam Bonum Romano Pontifici inaugurandum. Is tamen ob immodicam penſionem ſibi a Regiis Miniſtris impoſitam, quatuor annorum ſpatio Epiſcopatum renuit, quem tandem acceptum habuit, & anno 1666. conſecratus eſt. Antequam vero Roma hanc Inſulam verſus diſceſſiſſet, inſignibus titulis, primo Roſſanenſis, deinde Theſſalonicenſis Archiepiſcopi condecoratus eſt; nec immerito : quidpe ipſe literis, ac virtutibus emicabat, bonitatem eam factis exhibens, quam nomine præſeferebat; itaut ipſum *ter bonum* Summus Pontifex vivæ vocis oraculo nuncuparit. Nihilo tamen minus Gregi ſuo parum erat acceptus, adprobatuſque, utpote is cui cordi erat auſtera diſciplina; ut perſpicitur ex Diœceſana Synodo, quam ipſe coegit anno 1668. 3. Idus Majas : quippe in ea corrigendis Diœceſis ſuæ corruptelis omnem operam dedit : & quum res ex animi ſui ſententia minime ſuccedere videret, tanta ſpiritus perturbatione affectus eſt, ut poſt quatuor menſes, videlicet 7. Idus Sept. ejuſdem anni, *bonam* animam efflaverit. Sepulturæ mandatus eſt, haud in Cathedrali ſuo Templo, uti ejus Anteceſſores, ſed in Divi Johannis Baptiſtæ, *Conventuali* Jeroſol. Ordinis Eccleſia, ut ipſe vivus imploraverat. Si quis autem alias iſtius Præſulis virtutes, reſque præclare ge-

Lucas Bonus.

ſtas dignoſcere cupit, Bartholomæum de Puteo conſulat.

Laurentius Aſtiria. §. LXIII. Eodem anno M. Magiſter una cum Ven. Jeroſolymitanorum Procerum conſeſſu de more nominaverunt Fr. Laurentium Aſtiria, Fr. Michaelem Molina, utrumque Hiſpanum, & Fr. Balthaſſarem de Amico Melitenſem, ut quem ex ipſis delegiſſet Siciliæ Dominator, defuncti Epiſcopi ſedem impleret: quam, ut plerumque contingit, primus occupavit: nempe a Rege delectus eſt Laurentius; qui tamen ob longos moleſtoſque morbos, quibus angebatur, obtenta dignitate fungi haud multo valuit: vitamque poſuit anno 1677. 3. Nonas Januar. ac tumulatus eſt in D. Pauli urbis Vallettæ, ut ſupremis tabulis ipſe decreverat.

Michael Hieronym. Molina. §. LXIV. Itaque eodem anno a M. Magiſtro, ejuſque Ven. Concilio deſignati ſunt prælaudatus Fr. Michael Hieronymus Molina Hiſpanus, Fr. Publius Theuma, & Fr. Dominicus Muſcat, ambo Melitenſes: quorum prior a Siciliæ Rege renunciatus eſt Romano Pontifici Melitenſi Inſula inaugurandus. Attamen & iſte per paucos annos hanc rexit Eccleſiam: quippe anno 1681. Opera M. Magiſtri Gregorii Caraffæ, qui Fr. Davidem Cocco Palmerium ad hoc Eccleſiarchium promovere cupiebat, noſter Molina a Catholico Monarcha ad moderandam (a) Leridæ Eccleſiam translatus eſt, annuente Summo Pontifice. Ex hac Inſula ipſe receſſit anno 1682.

David Cocco Palmerius. §. LXV. Idcirco anno 1681. præmemoratus M. Magiſter Caraffa conſentientibus Ordinis ſui Optimatibus, nominavit prælaudatum Palmerium Calabrum, ſuum Diſtributorem Stipis Fr. Dominicum Manſo, qui ſibi erat ab epiſtolis; & Fr. Joh. Baptiſtam Jannettaſium. Qua nuncupatione per Siciliæ Pro-Regem Catholico Monarchæ tranſmiſſa, ab hoc deſignatus eſt Fr. David Cocco Palmerius, qui, poſtquam per triennium ob immodicas penſiones ſibi impoſitas Epiſcopatum obire renuerit, tandem Melitenſi Thiara inauguratus eſt anno 1684. Prid. Non. Junii. Præſul iſte nedum in ſua Diœceſi, ſed etiam in Romana Curia magnum ſibi nomen comparavit. Nimirum is erat bonis artibus, & melioribus moribus ornatus. Epiſcopatus tamen ſui

(a) Lerida, olim Ilerda, urbs eſt Catalauniæ Academia, medio ferme itinere inter Barcinonem, & Cæſarauguſtam.

Digitized by Google

ſui annos parum quiete ac tranquille traduxit: quum enim magno tutandorum Eccleſiæ ſuæ Jurium, Gregiſque ſui rite recteque gubernandi ſtudio exarderet, multas ſeſe conjecit in lites, in quas immodicam pecuniæ vim inſumpſit, ſedulamque operam, graves curas, multoſque labores impendit. Sed inter tot impenſas, curaſque nequaquam oblitus eſt Pauperum, quorum indigentiæ ut ſubveniret, ſumptus in victum ſuum nonnumquam minuebat, vere Paſtorem agens. Piorum autem operum dives e corporeis vinculis evolavit mercedem a Deo conſequuturus, anno 1711. 13. Kal. Octob.

§. LXVI. Eodem anno 10. Kal. Octob. M. Magiſter, ejuſque Ordinis Primates de more nuncupavere treis Preſbyteros *Conventuales*, ut vocant, Æditŭos, nempe Fr. Jacobum Cannaves ex Inſulis Balearibus, Fr. Gaſparem Gori Senenſem, & Fr. Joſeph Bernardum Xiberras Melitenſem. Ex iſtis autem Trinacriæ Dominator in Melitenſem Eccleſiarcham delegit Jacobum; qui anno 1713. 4. Idus Sept. Romæ inauguratus eſt. Hic Antiſtes antea Jeroſolym. Ordinis Eccleſiarum, Clerique Præfectum agebat, quem *Priorem Eccleſiæ* heic vocant; eratque in ſacris ritibus, atque Eccleſiaſticis functionibus peragendis haud mediocriter verſatus. Quum autem Eccleſiam ſuam per decem fere annos rexiſſet, mortem obivit anno 1721. 3. Nonas Junias. *Jacobus Cannaves.*

§. LXVII. Iſtoque anno 3. Kal. Sept. M. Magiſter, ejuſque venerandus Conſeſſus deſignarunt Fr. Gaſparem Gori Mancini Senenſem, Fr. Joh. Baptiſtam Balſamum Melitenſem, utrumque M. Magiſtri Auditorem, & Fr. Balthaſſarem Focolaro Celeſti, ex Patre Siculo, Matre autem Melitenſi nobiliter ortum, qui deinde celebris S. Cryptæ Paulinæ *Collegii* Rector creatus eſt. Horum primus a Carolo VI. ſemper Auguſto, Romanorum Imperatore, ac Siciliæ utriuſque Monarcha renunciatus eſt Romano Pontifici in noſtrum Epiſcopum conſecrandus. Itaque anno 1722. 7. Idus Junii Romæ inauguratus eſt. Poſteaque a M. Etruriæ Duce in Senenſium Patritiorum album elatus eſt. Vir ſane humanioribus literis, ac Jeroſol. Ordinis Conſtitutionum peritia apprime inſtructus. Quamobrem plurimas Equitum cauſſas agendo multas opes comparaverat. Anno 1726. Romam ſeſe contulit, ut coram Summo Pontifice quoddam negotium pro Juriſdictione ſua ſu- *Gaſpar Gori Mancini.*

ſceptum ageret: quum autem ex Urbe in Sedem ſuam reverteretur, Auguſtæ Siciliæ urbis funeſto morbo correptus eſt, ac vitalia liquit lumina (poſtquam a Syracuſano Epiſcopo fuit extremis expiatus Sacramentis) anno 1727 17. Kal. Sextiles: atque ſolemnibus exequiis peractis humatus eſt in ſepulcreto PP. Prædicatorum ejuſdem urbis.

§. LXVIII. Eodem anno, 14. Kal. Auguſti, M. Magiſtri feliciter regnantis, ejuſque *Conſiliariorum* Suffragiis *Paulus Alpheran.* deſignati ſunt Fr. Paulus Alpheran de Buſſan, Provincialis ex Aquis-Sextiis, inſigniſque hujuſce Ordinis, quem vocant, Prioratu, in eadem urbe condito decoratus, Fr. Joh. Baptiſta Balſanus ſupra memoratus; & Fr. Nicolaus Calvarius Meſſanenſis. A præcelebrato autem Cæſare declaratus & renunciatus eſt in noſtrum Antiſtitem Fr. Paulus, qui anno 1728. 19. Kal. Apriles in alma Urbe conſecratus eſt a Benedicto XIII. qui multis ipſum honoribus obſervavit. Hic Præſul ſacris functionibus addictiſſimus plures hujus Inſulæ Eccleſias ſolemni ritu conſecravit: necnon Literarum ac Literatorum amantiſſimus, eximiam Bibliothecam ſibi ſuiſque Succeſſoribus utendam adornat. Quo etiam promovente conſtruitur in urbe Notabili peramplum ædificium, quod vocant Seminarium, ad majus commodum Juventæ bonis artibus ac moribus ibi inſtruendæ. Sed alias ipſius virtutes, ne ejus modeſtiæ moleſtus ſim, ſequioris ætatis Scriptoribus relinquo commendandas. Interea faxit Deus, ut ipſe, ſicut Neſtorem prudentia refert, & longævitate exæquet; utque Pauli nomen, ita & Omen habeat. En igitur Melitenſium Epiſcoporum Seriem in Publio inceptam, in Paulo terminatam: nec ſine æterni Numinis conſilio factum putes, ut qui a Gentium Doctore originem duxere, Eccleſiæ noſtræ Faſti, glorioſo ipſius nomine a nobis coronentur.

SIN-

SINGULARUM DISSERTATIONUM ARGUMENTA.

DISSERTATIO PRIMA.

GRæcorum, qui ante Claudium Ptolemæum floruere, Scriptorum auctoritatibus evincitur, Adriaticum mare cum Ionio ac Siculo permiſceri.

DISSERT. II.

Strabonem in Adriæ prolatatione a nobis ſtare.

DISSERT. III.

Latinos Auctores D. Lucæ Synchronos, vel ipſo antiquiores in Ionio ac Sicilienſi pelago Adriam recognoviſſe.

DISSERT. IV.

Quanti facienda ſit Claudii Ptolemæi, aliorumque qui poſt ipſum ſcripſere, de Adriæ ſitu atque confinibus ſententia.

DISSERT. V.

Tum Græcos, tum Latinos Scriptores ab Adverſario noſtro pro coarctando Adria perperam allegari.

DISSERT. VI.

Haud eſſe reprehendendam eorum ſententiam, qui Adriæ nomen apud D. Lucam haud certi maris *proprium*, ſed appellativum eſſe autumarunt.

DIS-

DISSERT. VII.

Flante vento Typhonico, a Luca deſcripto, D. Pauli navigium neutiquam in *Meletam*, utique in Melitam impelli potuiſſe.

DISSERT. VIII.

Barbaros, quorum meminit Lucas *Act.* 28. non in *Meleta*, ſed in Melita reperiri potuiſſe.

DISSERT. IX.

Ante Naufragi Apoſtoli in Melitam adpulſum, nec innoxios ſerpentes, nec theriacas fuiſſe glebas Melitenſes.

DISSERT. X.

De Melitenſibus Gloſſopetris ac lapillis quos ſerpentum ocellos vocant.

DISSERT. XI.

Dithalaſſum a D. Luca memoratum in Melitenſis ſinus, D. Pauli nomine inſigniti, introitu adamuſſim recognoſci.

DISSERT. XII.

Refelluntur tria Adverſarii argumenta.

DISSERT. XIII.

Argumentum de Syracuſis nobis apprime opitulari: idque diluere fruſtra conatum eſſe Adverſarium.

DISSERT. XIV.

Expenduntur alia tria argumenta ſententiam noſtram corroborantia.

DIS-

Digitized by Google

DISSERT. XV.

De D. Publio Martyre Principe Viro Melitenſi, D. Pauli Hoſpite, ac primo Melitæ Epiſcopo.

DISSERT. XVI.

Eumdem D. Publium D. Dionyſio Areopagitæ in Athenienſi Eccleſiarchio ſucceſſiſſe.

DISSERT. XVII.

D. Trophimum ab Apoſtolo relictum fuiſſe in Melita ægrotantem.

DISSERT. XVIII.

Quam temere ſuſpicetur Adverſarius, Melitenſes Chriſtianæ Militiæ nomen ſero dediſſe.

DISSERT. XIX.

Melitenſium traditiones eſſe laudabiles ac fide digniſſimas.

DISSERT. XX.

De Monumentis Melitenſium Traditiones corroborantibus; & maxime de *Crypta Paulina*.

VERBA D. LUCÆ,

Quibus Melitenſe D. Pauli Naufragium ipſe deſcribit Act. Apoſt. capp. 27. *&* 28.

CAP. XXVII.

2. AScendentes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Aſiæ loca, ſuſtulimus, perſeverante nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi.

3. Sc-

3. Sequenti autem die devenimus Sidonem. Humane autem tractans Julius Paulum, permiſit ad amicos ire, & curam ſui agere.

4. Et inde cum ſuſtuliſſemus, ſubnavigavimus Cyprum, propterea quod eſſent venti contrarii.

5. Et pelagus Ciliciæ, & Pamphyliæ navigantes, venimus Lyſtram, quæ eſt Lyciæ.

6. Et ibi inveniens Centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, tranſpoſuit nos in eam.

7. Et cum multis diebus tarde navigaremus, & vix deveniſſemus contra Gnidum prohibente nos vento, adnavigavimus Cretæ juxta Salmonem.

8. Et vix navigantes venimus in locum quendam, qui vocatur Boniportus, cui juxta erat civitas Thalaſſa.

9. Multo autem tempore peracto, & cum jam non eſſet tuta navigatio, eo quod & jejunium jam præteriiſſet, conſolabatur eos Paulus,

10. Dicens eis: Viri, video quoniam cum injuria, & multo damno non ſolum oneris, & navis, ſed etiam animarum noſtrarum incipit eſſe navigatio.

11. Centurio autem gubernatori, & nauclero magis credebat, quam his, quæ a Paulo dicebantur.

12. Et cum aptus portus non eſſet ad hyemandum, plurimi ſtatuerunt conſilium navigari inde, ſi quomodo poſſent, devenientes Phœnicem, hyemare, portum Cretæ reſpicientem ad Africum, & ad Corum.

13. Aſpirante autem Auſtro, æſtimantes propoſitum ſe tenere, cum ſuſtuliſſent de Aſſon, legebant Cretam.

14. Non poſt multum autem miſit ſe contra ipſam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo.

15. Cumque arrepta eſſet navis, & non poſſet conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur.

16. In inſulam autem quandam decurrentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere ſcapham.

17. Qua ſublata, adjutoriis utebantur accingentes navem, timentes ne in Syrtim inciderent, ſummiſſo vaſe ſic ferebamur.

18. Valida autem nobis tempeſtate jactatis, ſequenti die jactum fecerunt.

19. Et tertia die ſuis manibus armamenta navis projecerunt.

20. Ne-

20. Neque autem ſole, neque ſyderibus apparentibus per plures dies, & tempeſtate non exigua imminente, jam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ.

21. Et cum multa jejunatio fuiſſet, tunc ſtans Paulus in medio eorum dixit: Oportebat quidem, o viri, audito me, non tollere a Creta, lucrique facere injuriam hanc, & jacturam.

22. Et nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe, amiſſio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis.

23. Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus ſum ego, & cui deſervio,

24. Dicens: Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere: & ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.

25. Propter quod bono animo eſtote viri: credo enim Deo, quia ſic erit, quemadmodum dictum eſt mihi.

26. In inſulam autem quamdam oportet nos devenire.

27. Sed poſteaquam quartadecima nox ſupervenit, navigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, ſuſpicabantur nautæ apparere ſibi aliquam regionem.

28. Qui & ſummittentes bolidem, invenerunt paſſus viginti: & puſillum inde ſeparati, invenerunt paſſus quindecim.

29. Timentes autem ne in aſpera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri.

30. Nautis vero quærentibus fugere de navi, cum miſiſſent ſcapham in mare, ſub obtentu, quaſi inciperent a prora anchoras extendere,

31. Dixit Paulus Centurioni & militibus: Niſi hi in navi manſerint, vos ſalvi fieri non poteſtis.

32. Tunc abſciderunt milites funes ſcaphæ, & paſſi ſunt eam excidere.

33. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes ſumere cibum dicens: Quartadecima die hodie expectantes jejuni permanetis, nihil accipientes.

34. Propter quod rogo vos accipere cibum pro ſalute veſtra: quia nullius veſtrum capillus de capite peribit.

35. Et cum hæc dixiſſet, ſumens panem, gratias egit Deo in conſpectu omnium; & cum fregiſſet, cœpit manducare.

Digitized by Google

36. Animæquiores autem facti omnes, & ipſi ſumpſerunt cibum.

37. Eramus vero univerſæ animæ in navi ducentæ ſeptuaginta ſex.

38. Et ſatiati cibo alleviabant navem, jactantes triticum in mare.

39. Cum autem dies factus eſſet, terram non agnoſcebant: ſinum vero quendam conſiderabant habentem littus, in quem cogitabant, ſi poſſent, ejicere navem.

40. Et cum anchoras ſuſtuliſſent, committebant ſe mari, ſimul laxantes juncturas gubernaculorum; & levato artemone ſecundum auræ flatum tendebant ad littus.

41. Et cum incidiſſemus in locum Dithalaſſum, impegerunt navem; & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero ſolvebatur a vi maris.

42. Militum autem conſilium fuit ut cuſtodias occiderent: ne quis cum enataſſet, effugeret.

43. Centurio autem volens ſervare Paulum, prohibuit fieri: juſſitque eos, qui poſſent natare, emittere ſe primos, & evadere, & ad terram exire.

44. Et ceteros alios in tabulis ferebant: quoſdam ſuper ea quæ de navi erant: & ſic factum eſt, ut omnes animæ evaderent ad terram.

CAP. XXVIII.

1. Et cum evaſiſſemus, tunc cognovimus quia Melita inſula vocabatur. Barbari vero præſtabant non modicam humanitatem nobis.

2. Accenſa enim pyra, reficiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat, & frigus.

3. Cum congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera a calore cum proceſſiſſet, invaſit manum ejus.

4. Ut vero viderunt Barbari pendentem beſtiam de manu ejus, ad invicem dicebant: Utique homicida eſt homo hic, qui cum evaſerit de mari, ultio non ſinit eum vivere.

5. Et ille quidem excutiens beſtiam in ignem, nihil mali paſſus eſt.

6. At illi exiſtimabant eum in tumorem convertendum, & ſubito caſurum, & mori. Diu autem illis expectanti-

bus,

Digitized by Google

39

tus
dus
zwi

gi

Digitized by Google

Digitized by Google

bus, & videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes ſe, dicebant eum eſſe Deum.

7. In locis autem illis erant prædia principis inſulæ, nomine Publii, qui nos ſuſcipiens, triduo benigne exhibuit.

8. Contigit autem, patrem Publii febribus, & dyſenteria vexatum jacere. Ad quem Paulus intravit: & cum oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, ſalvavit eum.

9. Quo facto, omnes, qui in inſula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur:

10. Qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, & navigantibus impoſuerunt, quæ neceſſaria erant.

11. Poſt menſes autem tres navigavimus in navi Alexandrina, quæ in inſula hyemaverat, cui erat inſigne Caſtrum.

12. Et cum veniſſemus Syracuſam, manſimus ibi triduo.

13. Inde circumlegentes, devenimus Rhegium, & poſt unum diem flante Auſtro, ſecunda die venimus Puteolos,

14. Ubi inventis fratribus rogati ſumus manere apud eos dies ſeptm: & ſic venimus Romam, &c.

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA.

Græcorum, qui ante Claudium Ptolemæum floruere, Scriptorum auctoritatibus evincitur, Adraticum mare cum Ionio, ac Siculo permiſceri.

§. I. Gnomon & regula non bene exploratæ ſententiæ, quam de Inſula D. Pauli naufragio inſignita Antagoniſta noſter propuguat, eſt Adriæ ſitus, ſive prolatio. Quippe ſic ipſe ratiocinatur: *Apoſtolum Paulum naufragium feciſſe in Adriatico mari, atque in Melitam inſulam eodem in mari ſitam evaſiſſe, adeo ex D. Lucæ narratione exploratum eſt, ut religio ſit aliter opinari &c. Atqui illa ætate in mari Adriatico non alia occurrebat hoc nomine inſula, quam Melita Illyricana, quæ nunc Meleda dicitur: ergo in eam Paulus emerſit*. Nimirum ſibi ſuaſit Vir eruditiſſimus, Scriptores omneis, cum Græcos, tum Latinos, qui ante Claudii Ptolemæi ævum inclaruere, haudquaquam Adriaticum cum Ionio, vel Siculo mari permiſcuiſſe. Idque tam audacter fidenterque adſeverat, ut ſeſe controverſia ceſſurum ſpondeat, ſi vel unum Auctorem *Anteptolemaicum* protulerimus, qui Adriam cum Siciliensi pelago confuderit. Sponſionem accipio: ſtet promiſſis Adverſarius; ego fidem meam liberabo: nempe non unum, duoſve *Anteptolemaicos* Scriptores afferam, qui nobiſcum de Adriæ ſitu, limitibuſque ſentiant; ſed multo plureis, quam qui ejus opinioni aſſentiuntur. Profecto complures ille Auctores in ſententiam advocat ſuam; ſed ipſos obtorto, ut ajunt, collo trahit, incautiſque Lectoribus (a) τρίχας ἀντ' ἐρίων venditat, ut *in Diſſert.* 5. planum faciam. Jam vero in arenam deſcendamus; Græciſque Auctoribus in primam aciem ordinatis Antilegonti obluctemur.

Inſpect. 1. in princip.

§. II. Sed in ipſo Diſſertationis veſtibulo Lectores meos monitos velim, ne Claudii Ptolemæi auctoritatem, quem *omnium primum e veteribus, conſuetiſque ſpatiis Adriatica* colli-

(a) *Pilos pro lana*.

collimitia prolataviſſe dictitat Adverſarius; me quoque parvipendere judicent. Quanti enim facienda ſit adeo inſignis Geographi de Adriæ ſitu limitibuſque ſententia, *in Diſſert.* 4. demonſtratum ibo. Verumtamen quum nobis cum moroſiſſimo Antilegonte dimicandum ſit, hunc ei morem gerere non recuſo, ut ipſum, queis vinci amat, armis proſternam; magnique Macedonis providum conſilium ſequar; qui nempe Gordianum nodum latentibus ac in ſe met ipſos implicatis nexibus adſtrictum, ſolvere affectans, omnia ejus lora mucrone diſrupit, *nihil*, inquiens, *intereſt*, *quomodo ſolvatur*. Haud ſecus ego inquam : nihilum refert, an veterum, anne recentiorum Scriptorum auctoritatibus Adverſarii opinamentum innumeris difficultatum nodis implicatum diluatur. Quinimo perſæpe Auctoribus ab ipſo allegatis aſſertiones noſtras confirmabimus, ut cum Didone conqueri is poſſit, exclamans:

Inſp. 2. Diatr.1.§.1.

Q.Curt.de reb. Alex. M. lib. 3.

Heu ! patior telis vulnera facta meis.

§. III. Necnon de hoc admonendi ii ſunt, quod Adverſarius tergiverſandi arte verſatiſſimus haud conſtanter inhæreat aſſertioni ſuæ de Adriæ limitibus : quippe licet ipſe contendat, eos *ante Ptolemæi ætatem omnibus tum Græcis, tum Romanis ad libellam hodierno Veneto Sinui commenſuratos fuiſſe* : nihilominus afferit, pauciſſimos ad Italiæ extremitatem eoſdem limites protuliſſe; ulterius neminem. Verum enimvero hac latet anguis in herba. Nimirum hoc pacto nobis ille abjudicare ſtudet quotquot Scriptores Adriam in Jonio, ſeu Siculo mari recognoverint : nempe nos fruſtrari molitur cauſando, quod licet iſti Adriam ad aliquam regionem in Jonio mari ſitam prolataverint, haud tamen ideo ad Melitam uſque ipſum prolataſſe cenſendi ſint. At o tricas Apinas, nebulaſque in pariete ! Etenim nonne vel ex eo colligi debet, illos Adriam ad hanc Inſulam protuliſſe, quod ipſum cum Jonio vel Siculo mari, Melitam alluente, confuderint? Quamobrem, ne extra chorum ſaltare Adverſarium ſinamus, non ambiguam ac dubiam, ſed firmam certamque hanc aſſertionem ſtatuamus, videlicet, veteres Scriptores in Jonio ſeu Siculo mari Adriaticum recognoviſſe, eaque viciſſim permiſcuiſſe, & conſequenter alterum pro altero uſurpaſſe : hic Rhodus, hic ſaltus.

Inſp. 2. Diatr.6.§.8.

§. IV. Græcorum Hiſtoriographorum Anteſignanus, conſen-

Digitized by Google

Thucydides. ſentiente omnium ſeculorum fama celebratus Thucydides non uno in loco Adriam cum Siculo mari confundit. Quum tamen Græcum exemplar præ manibus haud habeam, illius verba proferam ex verſione Cl. V. Laurentii Vallæ a doctiſſimo Henrico Stephano recognita, Francofurti edita anno 1594. Primum igitur ille lib. 7. ait: *Acarnanum quoque nonnulli cum lucri cauſa, tum vero multo magis propter amorem, & propter benevolentiam, qua Athenienſes proſequebantur, (illis) auxilium tulerunt. Atque hi quidem intra ſinus Jonii fines habitant.* Huic verſioni conſonat interpretatio Italica Cl. V. Franciſci Strozzi Florentini, Venetiis edita apud Balthaſſarem de Conſtantinis. Vide n' heic Jonium Sinum alluentem Acarnaniam, ſcilicet Epiri partem, Acheloo fluvio intercurrente, ab Ætholia ſejunctam, quam Sicilienſe pelagus proculdubio adlambit! Jonium autem Sinum atque Adriam idem eſſe minime inficiatur urbaniſſimus noſter Antagoniſta: imo ipſe *Inſp.* 2. *Diatrib.* 4. §. 13. affert hæc verba Scylacis (*a*) Cardianenſis, ſive, ut Adverſario placet, Caryandenſis: *τὸ δ' αὐτὸ Ἀδρίας ἐςὶ, καί Ἰόνιος, porro Adria, & Jonius ſunt idem.* Necnon idem Hiſtoriographus *lib.* 6. & 7. eamdem Epiri oram in Jonio mari conſtituit. Unde perſpicuum eſt, Jonium Sinum ſeu Adriam cum Jonio, Inſp. 2. Diatr. 4. §. 16. ſeu Siculo mari a Thucydide confundi. At noſter Adverſator, nebulas diverberans, hunc Auctorem tamquam ſibi faventem allegare non erubeſcit: nempe ait, ipſum diſtinguere Adriam a pelago Siciliæ ac Peloponneſo interjecto, nec aliam affert rationem, quam quod ille *lib.* 4. Sicilienſi, Creticoque mari Laconicam oram objecerit. Sed, amabo, quid inde? Si enim Adriam in hac parte, ut oſtendebam, cum Siculo mari Thucydides permiſcet, cur idem pelagus modo hoc, modo illo vocabulo, ſeu Synonimo appellare ipſe non poteſt? At ſubdit refractarius noſter Veterator, eumdem Scriptorem *lib.* 6. *Sinum* loc. cit. *Jonium, ſive Adriam* apertiſſime a Siculo pelago diſcriminare: verba tamen ipſius minime profert, quum ea ſibi parum aſtipulari noverit. Nos vero Lectorem noſtrum ſuper loci faciem adducamus, ut recte judicare valeat, utrum Adverſario, an nobis opitulentur hujuſmodi verba. *Interea*

(a) Σκύλακος τῦ καρδυανεος, *Scylacis Cardianenſis*: ita legit Joh. Schefferus.

terea vero (ille inquit) *Gylippus Lacedæmonius, & naves Corinthiacæ Leucadem jam appulerant; eo animo, ut quam celerrime in Siciliam ad opem* (Syracuſanis) *ferendam trajicerent. Cum autem atroces nuntii ipſis afferrentur, omneſque in idem mendacium congruentes, Syracuſas jam omnino circumvallatas eſſe; Gylippus Siciliæ quidem* (*conſervandæ*) *nullam ſpem amplius habebat. Italiam vero conſervare cupiens, ipſe & Pythen Corinthius cum duabus Laconicis navibus, totidemque Corinthiacis, quam velociſſime tranſmiſſo Jonio, Tarentum pervenerunt.* Verumenimvero heic Adverſarius pro theſauro carbones invenit: ſiquidem his verbis evincitur, Jonium Sinum, qui, ut ajebamus, idem eſt atque Adria, cum Siculo mari, oram Epiri, cujus opidum Leucas eſt, præterradente, a Thucydide confundi. Ipſum autem de Jonio Sinu ibi loquutum eſſe inficiari non poteſt noſter Antagoniſta; nempe ipſemet hanc regulam dignoſcendi apud Auctores iſtius Sinus tradidit. *Jonii Sinus* (inquit) *nomen maſcula terminatione, & abſque ullo additamento paſſim a Scriptoribus affertur: Jonii alterius neſcio an unquam: Scylax:* τὰ δ' ἐντὸς ὁ Ἰόνιος (a) .... τὸ δ' αὐτὸ Ἀδρίας ἐςὶ, καὶ Ἰόνιος. *Interius Jonium: idem autem eſt Adria, & Jonius. Thucyd lib. 6.* Περαιωθῆναι τὸν Ἰόνιον. *Trajeciſſe Jonium*. Cui, non minus quam lac lacti, ſimile eſt hoc aliud, *tranſmiſſo Jonio*. Et quidem Philippus Cluverius, qui Græcum exemplar accurate evolverit, Thucydidem ab Orientali Siciliæ latere ad Cretam uſque Adriaticum mare produxiſſe adſeverat. Floruit autem iſte Scriptor paullo minus 500. annis ante Melitenſe Pauli naufragium: dignus plane quem D. Lucas perlegeret, ac in prophana eruditione ſibi ducem proponeret.

Inſp. 2. Diatr. 1. §. 14.

Phil. Cluver. Ital. ant. l. 4. c. 17. §. 6.

§. 5. Apollonius Rhodius, qui 400. annis ante Apoſtolicorum Annalium conſcriptionem inclaruit, *lib. 4. Argonaut.* Corcyram Jonii Trajectus principem inſulam appellat. En ipſius verſiculos;

Apollonius Rhodius.

Ἐςὶ δὲ τὶς πορθμοῖο παροιτέρη Ἰονίοιο
Ἀμγιλαφὴς πίειρα Κεραυνίη εἰν ἁλὶ νῆσος,
Ἡ ὑπὸ δὴ κεῖσθαι δρέπανον φάτις ....

Quæ

(a) Ab Adverſario male redditur *Jonium*, quum eum Scylacis locum ipſe alleget, ut *Jonii ſinus nomen maſcula terminatione a Scriptoribus* prolaſum oſtendat.

Quæ verba Adverſarius, cornicum oculos, ut ajunt, configere ſtudens, ita vertit:

Eſt aliqua Freti princeps Jonii
Ingens, opulenta, in mari vicino Ceauniis, inſula,
In qua jacere falcem ſermo eſt ....

Verumtamen pro Freti melius ille reddidiſſet *Trajectus*: licet enim *Fretum*, ac *Trajectus* ſint ſynonima, quum utrumque vocabulum denotet loca maris anguſtiora, nihilotamen ſecius, quum Πορθμὸς derivetur a verbo πειρω, *tranſeo*, magis proprie Trajectum ſignificat: idcirco Plinius *Trajectum* dicit *Tranſitum*: & quidem recte; nam per ejus anguſtias ex Illyride, atque Græcia tranſeunt in Italiam navigantes. Trajectum autem Jonium Adriæ partem eſſe Scriptorum nemo inficiatur; & multi, ut fatetur noſter Antagoniſta, ipſum Jonio ſinui exæquant. Neque heic de Jonio mari mentionem fieri ab Apollonio quadratus homo contendet. Siquidem illi utpote ampliſſimo nec *Trajectus*, neque *Freti* denominatio congruit. Atqui Corcyram in Siculo mari ſitam eſſe non eſt qui inficietur. Unde liquido liquet, apud Apollonium Sicilienſe pelagus eſſe Adriæ partem. Sed heic detegendus eſt mihi malus Adverſarii dolus, quem nos minime animadverſuros eſſe forte ſibi ipſe ſuaſerit. Nempe *Trajectum* iſtum *Apollonianum* ille *Fretum* reddit, mox ipſum facit *pelagus*, denique pro Jonio Magno uſurpat: proindeque concludit, mare Corcyram alluens ab Apollonio Jonium, non Superum, vel Adriaticum appellari. Aſt hercle doloſi ac Tergiverſatores, ſi memoria vacillant, nihilum præſtant: imo ſuis ſeſe laqueis ſæpenumero irretiunt. Reapſe noſter Antilegon ſecum ipſe nunc digladiatur: nempe oblitus eſt, aut diſſimulat, ſeſe antea affirmaviſſe, quod Apollonius *loc. cit.* de *Trajectu*, non de *mari Jonio* loquutus fuerit. *Trajectus Jonius* (ille dixerat) *quem Apollonius Rhodius Argonaut. lib.* 4. τὸν πορθμὸν, *Fretum vocat &c.* Attamen demus (quæ noſtra erit liberalitas) quod pelagus illud, non *Trajectus*, neque *Fretum*, ſed *Jonium mare* Apollonio dicatur: numne inde eliciendum eſt, quod ipſum ab Adria diſcriminetur? Nequaquam. Profecto idem Auctor Adriaticum mare *Cronium* vocat a *Crono*, ideſt Saturno, Italiam inhabitante, ut ait antiquus ejus Interpres apud illum antiquitatis promumcondum Rhodiginum: ſicut etiam

Plin. l. 3. c. 11.

Inſp. 2. Diatr. 1. §. 29.

Inſp. 2. Diatr. 4. §. 19.

Inſp. 2. Diatr. 1. §. 22.

Cœl Rhod. Lect. ant. l. 12. c. 6.

Ly-

Lycophronis Scholiaſta apud eumdem Cœlium *loc. cit.* Sinum Ionium (*a*) antea Cronium dictum fuiſſe teſtatur. Propterea non eſt reſtringendus Adria, Sinuſve Ionius ad ſolam Italiæ oram Illyridi obverſam, ſed extrahendus ac prolatandus eſt ad ipſius oram Græciæ objectam, quam Siculum alluit mare; imo ad ipſam Siciliam, quæ *Cronia* dici poteſt, tum quia pars olim Italiæ fuit, & a veteribus Scriptoribus Italiæ aſſerta, ut contra Adverſarium ſtatuam *in Diſſert.* 2. §. 9. tum quod in eam exciderit Saturni falx, ut Macrobius, Rhodiginus, aliique affirmant; atque in eadem Inſula Saturni tumuli ac reliquiæ fuerint, ut auctor eſt Patrocles Thurius apud Arnobium ſic loquentem: *Noſter ille eſt auctor, qui Patrocles Thurius Scriptorum in titulis indicatur, qui tumulos memorat, reliquiaſque Saturnias tellure in Sicula contineri.* Non autem me fugit, alios tradere, quod Saturni falx in Corcyra ſervabatur; ideoque hæc Inſula a Callimacho apud Plinium *Drepane* vocatur: verum novi etiam, Siciliam, teſte Rhodigino, dictam eſſe *Drepanum*, quo nomine adhuc indigitatur conſpicua ejus urbs in peninſula ſita non procul a Lilybæo Promontorio. Quid plura? aſſertionem meam nedum rationes, ſed & inſignium Scriptorum teſtimonia confirmant: Scilicet Ionium mare inter Græciam ac Italiam, a Sicilia ad Occidentalem Cretæ oram diffuſum, *olim dictum fuiſſe primo Cronium; ſecundo Celticum; tertio Adriaticum; quarto Auſonium; quinto Siculum*, teſtatur Johannes Buno; atque huic ſubſcribunt Philippus Brietius, & Martinus du Pleſſis una cum Regali Scientiarum Academia Pariſienſi; cujus doctiſſimas *obſervationes* in opere iſte ſuo, a D. Langlet de Freſnoy recenſito, ſequutus eſt. Quod ſi tantis auctoritatibus non movetur noſter Criticus rancidulis gaudens Scriptoribus; mihi ſuccurrere ſciat pervetuſtum Auctorem, qui Siculum mare *Cronium* appellavit: hujus autem teſtimonium paullo infra

Macrob. Satur. l. 1. c. 9. Rhodig. l. c. 13. 21. Arnob. adv. Gent. l. 4.

Joh. Buno in not. ad Cluver. Introd. Geogr. l. 1. c. 12. Phil. Briet. Paral. Geogr. part. 1. l. 6. c. 5. §. 1. Martin. du Pleſſis tom. 5. Method. Geogr. &c.

(a) Hunc Sinum Adverſarius ait eſſe Neotericorum Syrtim, & in eo exponendo multos naufragium perpeſſos eſſe: aſt ipſe vel in ejus appellatione labitur: ipſum enim *Chronium* dicit; quandoquidem apud accuratos Scriptores cum Græcos, tum Latinos, *Cronius* dicitur. Dionyſius Halicarn. ut alios prætermittam, *lib.* 1. ait, *Cronium* græce idem eſſe ac *Saturnium* latine. Sed magis enucleate Arnobius *adverſ. Gent. l.* 3. inquit: *Nam ſi tempus ſignificatur hoc nomine* (Saturni) *ut Græcorum interpretes autumant, ut quod Chronos eſt, habeatur Cronos, nullum eſt Saturnium numen.* Saturnus autem Syriaca lingua latentem ſonat,

infra (ut ordinem ſequar Chronologicum) in ſ.13. producam.

Lycophron. ſ. VI. Apollonio concinit Lycophron Poeta, qui 370. ante D. Lucam inclaruit. Nempe ipſe Ionium Sinum, ſive Adriam eidem inſulæ Corcyræ aplicat; etenim *in Alexandra* ita canit:

Θεὸς δ' ἐν πολλοῖς αἰπὺς αὐδηθήσεται
Ὅσοι πὰρ Ἰοῦς γρῶνον οἰκοῦνται πέδον,
Δράκοντα τὸν φθείροντα φαίακας κτανών

Quæ ita vertit noſter Antagoniſta:

Deus porro excelſus dicetur a multis,
Quicumque prope Jus profundum degunt campum,
Poſtquam draconem Phæacas perdentem interfecerit.

Heic *Jus profundum campum* pro mari Ionio, & Phæacas pro Corcyræis accipi affirmat Adverſarius. Ego autem de Corcyræis quidem, non vero de mari, ſed de Sinu Ionio loquutum eſſe Poetam arbitror: ſententiamque meam ipſius Adverſarii dictis confirmo; nimirum ipſe pelagus, cui nomen Io Nympha dederat, Ionium Sinum eſſe adſeverat, allegans hæc Æſchyli carmina:

Inſp.2.Diatr. 4. ſ. 12.

Æſchyl. in Promet. ligat.

Inde percita œſtro per litoralem
Viam perveniſti ad magnum Sinum Rheæ,
Unde errabundis agitaris curſibus:
Qui futuro tempore marinus receſſus
(Manifeſto ſcias) Ionius vocabitur
Cunctis hominibus in tui Itineris monimentum.

Atque heic animadvertendum eſt, quod licet Æſchyli ævo Ionius Sinus intra Japygium P. clauderetur, tamen ſequiori ætate cœpit eo nomine indigitari Siculum pelagus, ſive Ionium magnum, ut Thucydidis, Apollonii, Lycophronis, & aliorum, quos allegaturi ſumus, Scriptorum auctoritatibus, evincam. Idemque de Adria dicendum eſt, qui a veteribus Auctoribus vel ipſo fatente Adverſario, Jonio Sinui exæquabatur. Quidni? Si Adria idem eſt atque Ionius Sinus, cur iſto extra Ceraunios montes prolato, ille intra eos reſtringendus eſt?

Polybius. ſ. VII. Nec non Polybius Lycorta, qui ſcribebat 260. annis ante quam Lucas Apoſtolicam texeret hiſtoriam; Jonium Trajectum, ſeu Sinum ſtatuit inter Græciam, & Italiæ oram illi obverſam: imo perſpicue cum Siculo mari Adriam immiſcet, hunc Italiæ ad Orientem applicans. Hæc enim is habet *lib. 2.* Τῆς δὴ πάσης Ἰταλίας τῷ χήματι τρι-

Digitized by Google

τριγωνοειδοῦς ὑπαρχούσης, τὴν μὲν μίαν ὁρίζει πλευρὰν αὐτῆς τὴν πρὸς ἀνατολὰς κεκλιμένην, ὅ, τ' Ἰόνιος πόρος, καὶ κατὰ τὸ συνεχὲς ὁ κατὰ τὸν Ἀδρίαν κόλπος: τὴν μὲν πρὸς μεσημβρίαν καὶ δυσμὰς τετραμμένην τὸ Σικελικὸν, καὶ Τυρρηνικὸν πέλαγος. αὗται δὲ αἱ πλευραὶ συμπίπτουσαι πρὸς ἀλλήλας, κορυφὴν ποιοῦσι τοῦ τριγώνου, τὸ προκείμενον ἀκρωτήριον τῆς Ἰταλίας ἐς τὴν μεσιμβρίαν ὃ προσαγορεύεται μὲν Κόκινθος διαιρεῖ δὲ τὸν Ἰόνιον πόρον, καὶ τὸ Σικελικὸν πέλαγος τὴν δὲ λοιπὴν τὴν παρά τε τὰς ἄρκτους, καὶ τὴν μεσόγαιαν παρατείνουσαν ὁρίζει κατὰ τὸ συνεχὲς ἡ τῶν Ἄλπεων παρώρεια. *Quum igitur trigoni ſpeciem Italia tota referat, unum ejus latus quod Orientem ſpectat, Ionius Trajectus, & continuus illi Sinus Adriaticus terminant: Meridiei vero & Occidenti obverſum latus Siculum Etruſcumque mare: qua ſe duo hæc latera contingunt, triquetræ figuræ vertex efficitur: eſtque ibi procurrens ex Italia meridiem verſus promontorium, Cocinthum dicunt, quo ſeparantur Ionius Trajectus & Siculum pelagus: reliquum latus quod Septentrionem ſpectat, & mediterranea prætexit, Alpium continua juga definiunt*. Heic Polybium de Sinu Ionio loqui negat Antagoniſta noſter, licet fateatur, omnes illius Scholiaſtas, nobis conſentientes, Ἰόνιον πόρον, *Ionium Sinum* vertere: necnon Italiæ oram ab Adria irrigatam, non *obverſam*, ſed *inclinatam* in Orientem a Polybio dici contendit. Sed, Grammatici veſtram fidem! Nonne idem ſonant, in Ortum *inclinari*, vergere, atque Ortum ſpectare, Ortui *obverti*, objici, opponi? Equidem ita ſentiunt Viri Græcarum, Latinarumque literarum peritiſſimi, Iſaacus Caſaubonus, & Jacobus Gronovius: quippe in illius verſione Polybiana, quam hic recenſuit, redditur *latus* (Italiæ) *quod Orientem ſpectat*. Ut autem lectoribus ſuis ſuadeat Adverſarius, ibi minime de Sinu Ionio loquutum eſſe Polybium; eos verborum ambagibus, numeris Platonicis obſcurioribus, involvit. Nimirum, inter alia futilia & mucida, duplicem Trajectum reperiri aſſerit; alterum facit unam eamdemque rem cum Ionio Sinu; alterum ab iſto diſcriminatum: hunc *Polybianum Trajectum* vocat, illum vero nomenclatione neutiquam dignatur. Ludibria. Trajectus iſte *Polybianus* idem eſt atque Sinus Ionius quem Strabo, ut in ſequenti *Diſſert.* oſtendam ante Japygium P. & Ceraunios montes collocat. Nec enim ovum ovo tam ſimile eſt, quam huic Sinui ille Trajectus: & quidem in quo,

Inſp. 2. Diatr. 1. §. 21.

Inſp. 2. Diatr. 1. § 20.

Strab. lib. 8. quo, niſi in ſolo nomine, interſtinguuntur? Imo neque nomine inter ſe illi differunt: nempe idem Geographus nos edocet, *Trajectum* pro *Sinu* a Scriptoribus accipi: inter quos procul dubio Polybium innuit, quem ſæpe ipſe allegat, notatque. Unde etiam perſpicitur, quam minus recte Adverſarius affirmarit, hujuſmodi *Trajectus* meminiſſe *Polybium primum*, & poſt ipſum Diodorum: quandoquidem & Apollonius, ut vidimus, & alii quos allegaturi ſumus, tum ante tum poſt illum de hujuſmodi *Trajectu* mentionem fecere. Rectius itaque nos duplicem Adriam ſtatuere poſſumus, ſcilicet *Adriaticum Sinum*, & *Adriaticum mare*. Neque rem novam & inauditam, uti eſt duplex Adverſarii Trajectus, proferemus: namque idem ſentiunt multi Cl. Viri, & inter alios Abramus Ortelius, qui huic ſententiæ ſuffragari ait nedum Claudium Ptolemæum, ſed & alium Auctorem ipſo perantiquiorem; ut nos quoque planum faciemus in *Differt.* 5. ubi pro ſtatuenda iſta vera aſſertione complureis Scriptores cum *Anteptolemaicos* tum Neotericos producemus.

Infr. 2. Diatr. 1. §. 21.

Ortel. in Theſaur Geogr. verb. *Hadriat. Sinus.*

Scymnus Chius. §. VIII. Polybio ſubſcribens Scymnus Chius, qui Apoſtolicum Hiſtoriographum duobus ferme ſeculis antecelluit; Ionium Sinum dicit *Ἰόνιον πόρον*, *Ionium Trajectum*: ejuſque oſtium locat, ubi Polybius, ſcilicet ad Japygiam. Id vero admiratione me complet, quod heic *Ἰόνιον πόρον* vertat *Ionium Sinum* vel noſter Antagoniſta, qui nuperrime contra Polybii Interpretes *πόρον Sinum* reddentes pugnabat. Nimirum hic ejus eſt mos, ut unam eamdemque ſententiam is adprobet, ubi ea ſibi faveat; reſpuat ubi ſibi repugnet. Sed redeamus ad Scymnum; ejuſque pericomma exhibeamus. Iſte quidem *in Orbis Deſcript. verſ.* 300. ſic inquit:

(a) Μετὰ τὴν Ἰταλίαν εὐθὺς Ἰόνιος πόρος
Κεῖται, καθήκοντες δὲ πρὸς τὴν εἰσβολὴν
Οἰκοῦσιν Ἰάπυγες. Μεθ' οὓς Οἰνώτριοι,
Βρεντέσιον ἐπίνειον τε τῶν μεσηγέων. *(b)*
Πέρας δὲ τούτων ἐς ὄρη Κεραύνια.
Μεσαίτατον δὲ οἰκοῦσιν Ὀμβρικοὶ λεώ....
Εἶτ' ἐστιν *(c)* Ἀδριανὴ θάλαττα λεγομένη.

Poſt

(a) Hunc verſum ita reddit Adverſarius: *Juxta Italiam rectus Ionius Sinus.*

(b) Alii, ut Adverſarius, Μεσσαπίων. Sed Eraſmus Vindingius legit *μεσηγέων* pro *μεσαιγέων*, ut in *edit. Hæſchel.* & *μεσογείων* in *Cod. Pal.* verſus ratione reclamante.

(c) In *Cod.* Caſauboni Ἀδριακὴ legi affirmat idem Vindingius.

Poſt Italiam ſtatim Jonius (*a*) *alveus*
Situs eſt; porrecti vero ad oſtium ejus
Habitant Japyges. *Poſt quos Oenotrii,*
Brunduſium navaleque mediterraneorum.
Ultra vero hæc ſunt montes Ceraunii.
Medium vero habitant Umbri populi &c.
Deinde eſt Adrianum mare dictum.

Heic quædam perplexiora notat Adverſarius; nequaquam vero ipſe animadvertit, ſeſe in partes ſuas advocare invitum iſtum Auctorem. Etenim ſi Adria, ut ipſe vult, a Scymno traditur interius, nempe poſt Umbriam, & per conſequens poſt *Meletam*; qui, amabo, Pauli navis in Adria navigabat ante quam ad eam inſulam appelleret? Sed noſter Tergiverſator hanc foſſam ſaltu tranſilire ſtudens, ejuſdem Auctoris verbis vim infert; jamque Scymnus non ſecundum ſuam, ſed ſecundum iſtius ſententiam loquitur. Nimirum *dividit Scymnus* (ſic hujus mentem ille enucleat) *Jonium Sinum ab Adria, alterumque ad Japygiam, & Ceraunia ſtatuit, alterum interius trudit, ubi Liburnides, & Abſyrtides inſulæ .... Dum Umbrorum meminit, curſim, ut Geographi amant, in remotiora digreditur, moxque redit ad ſitum Adriatici exponendum*. At, quæſo, qui *redit* ad hunc pontum deſcribendum, ſi antea iſtius non meminerat? Ejus enim meminit poſt Umbros: *Medium vero* (inquit) *habitant Umbri populi. Deinde eſt mare Adrianum* &c. Anne putat Adverſator, Scymnum Adriæ mentionem feciſſe, quum Jonii Sinus meminerit? Sed ille ſibi contradicit, ſi hoc autumat: nam ille, ut exponebam, arbitratur, Scymnum *dividere Jonium Sinum ab Adria*. Si autem iſte Geographus orationem ſuam retrorſum convertit, ubi Adriam deſignat; næ hoc æquor extra Japygiam conſtituere dicendus eſt: ſiquidem ejus ſitum exponit, poſtquam Jonium Sinum intra Japygiam concluſum deſcripſerit. Et ſane, quum ipſe Liburnicas, & Abſyrtides inſulas in Adria ſitas dicat, non ſuam, ut opinatur Adverſarius, ſed Theopompi ſententiam refert. Accipe ipſius verſiculos, a prænominato Vindingio latinitate donatos:

Inſp. 2. Diatr. 4 §. 25.

Deinde eſt Adrianum mare dictum.
Theopompus deſcribit vero hujus ſitum:

Ut

(a) *Alveum* pro *Trajecti* ſubſtituit idem Interpres.

Ut quod faucibus junctum Jonico
Inſulas habet Cycladibus ſimillimas:
Harum vero illas quidem dictas Abſyrtides,
Electrideſque, has vero etiam Liburnicas.

Aſſertionem autem noſtram Scymnus ipſe confirmat: quippe hic diſcriminat Jonium Sinum a mari Adriano: illum enim inta Japygias Fauces coarctat, hoc extra ipſas prolatat, quum *verſ.* 490. afferat, Bœotiam habere *portus ad Meridiem ſpectantes opportuniſſime ad Adriam*: ubi perſpicuum eſt, *Adriam* ab eo accipi non quidem pro *hodierno Sinu Veneto* qui eſt Bœotiæ Occidentalis, ſed pro Jonio ſeu Siculo mari, quod vere eſt iſti regioni Meridionale. Unde magis magiſque perſpicitur quam inepte dictitet Adverſarius, Adriam a Scymno *trudi interius ubi Liburnides, & Abſyrtides inſulæ*. Ceterum haud inficior, hujuſce Scriptoris de Adria ſententiam haud ſatis perſpicuam eſſe; tamen arbitror, eam facilius rectiuſque in noſtras, quam in Adverſarii partes trahi poſſe.

Diodorus Siculus. §. IX. Diodorus Siculus, qui 120. annis ante D. Lucam ſcribebat, Jonium Trajectum Græciæ affundit: *lib.* enim 12. *Bibliotb.* ait, Athenienſes transfretato Jonio Trajectu ad Japygiam fuiſſe advectos: necnon *lib.* 14. ipſe tradit, Dionyſium Syracuſanum conatum eſſe in ditionem ſuam redigere Jonium Trajectum, ut in Epirum tuto navigare poſſet. Sed *lib.* 16. perſpicue Adriaticum cum Siculo pelago ille confundit. *In Apulia* (inquit) *urbeis duas extruxit* (Dionyſius Junior) *ut tutam efficeret maris Jonii navigationem. Qui enim loca maritima incolebant, prædatoriis navibus diſcurrentes Adriaticum pelagus omnino mercatoribus infeſtum reddiderant*. Qui autem, amabo Jonium Magnum infeſtare valuiſſent iſti Piratæ, ſi intra hodiernum *Sinum Venetum* clauſi eſſent? Nonne vides heic Diodorum ſub Adriatici nomine Sicilienſe quoque pelagus complecti? Equidem Siculis Mercatoribus e Trinacria in Epirum navigantibus damno eſſe non potuiſſent Prædones illi, niſi Adriaticum pelagus, ab ipſis infeſtatum, una eademque res eſſet cum Jonio Magno, ſeu mari Sicano. Quod autem Siculis Mercatoribus e Sicilia in Epirum navigantibus proſpicere voluerit Dionyſius, ex præallegato loco *lib.* 14. perſpicuum redditur. Unde Antilegontis noſtri verſutiam comprehendas; nempe hujuſce navigationis metam fuiſſe Japygiam

Digitized by Google

giam iſte contendit, ac Prædones illos facit Illyricos; quamquam ipſos maritimarum regionum accolas fuiſſe dixerit Diodorus, & præ ceteris Rheginos innuere voluerit: namque hi & Syracuſanorum hoſtes erant, & de ipſis idem Scriptor ita protulit *lib.* 4. *Tranſmiſſo itaque exercitu ad Locridis fines, inde per mediam terram iter faciens* (Dionyſius) *totam Rheginorum regionem igne & ferro vaſtare cœpit. Simul autem & claſſis ab altera parte mari incumbebat. Denique cum omnibus copiis juxta Trajectum caſtrametatus eſt*. Locus autem ejuſdem Scriptoris *lib.* 19. quem adverſus nos producit noſter Antagoniſta, nobis minime refragatur, ut planum faciam *in diſſert.* 5. § 4. *& ſeqq.*

§. X. Dionyſius Halicarnaſſenſis, Diodori Synchronus, Jonium Synum ſeu Adriam cum Jonio magno confundit: ſiquidem is *lib.* 1. Oenotrum & Peucetium fratres Arcadas ex Peloponneſo in Italiam *ſuperato Jonio Sinu* perveniſſe affirmat; poſtque paullo eundem Oenotrum ex eadem Peloponneſo in Italiam, nempe Japygiam adpuliſſe narrat, *tranſmiſſo* Jonio *mari*. Attamen noſter Impoſtor, ſerenitati, ut eſt in parœmia, nubem inducere conatur: nempe nitidiſſimam hujus Auctoris ſententiam ita detorquet. *Dionyſianus vero Oenotrus* (ille inquit) *cum Peucetio fratre e Peloponneſo per Jonium mare in Sinum Jonium penetravit* (*a*), *appulitque ad Boreale latus* (*b*) *Italiæ: quocirca ſi utrumque id mare ab Oenotro, & Peucetio navigatum eſt, quid, rogo, novitatis habet, ſi utrumque Dionyſio ſingillatim memoretur?* Nihil ſane novitatis haberet, ſi res, prout eam pingit, ſeu verius fingit Adverſarius, eſſet. Sed o miras ipſius fruſtrationes! O nænias Iberas! Jam dixi, Oenotrum mare, illud, quod a Peloponneſo in Japygiam, ideſt Veneti Sinus oſtium, protenditur, bis navigaſſe; & ipſiſſimum æquoris tractum a Dionyſio noſtro modo *Jonium Sinum*, modo *Jonium mare*, appellari. Ubi nam ſunt duo maria diſtincta, quæ ſomniat Adverſarius? Num-ne qui Sinus Adria-

Dionyſius Halicarn.

Inſp. 2. Diatr. 1. §. 16.

(a) Hoc eſt, a limine ſalutavit. (b) Nota Adverſarii verſutiam. *Boreale latus Italiæ pro Japygia* ſubſtituit, ut Lectorem ſenſim inducat ad fidem adhibendam fallaci aſſertioni mox ab ipſo proferendæ, ſcilicet Jonium Sinum fuiſſe ab illis fratribus navigatum. Sed hoc reti piſces ille non capiet. Nemo enim non videt, quam mutilum & decurtatum ſit hoc latus, quod Italiæ ad Boream ille appingit. Id recognoſcens in ſola Japigia, nempe in termino cum Sinui, tum mari Jonio communi,

Digitized by Google

Adriatici oſtium vix attigit, ipſum Sinum tranſmeaſſe dicendus eſt? An-ne ipſe oblitus eſt, ſeſe alibi dixiſſe quod Siculum mare ad ejuſdem Sinus *oſtium ſedet*, *queriturque*, *ceu amator cantillans : Me tuo longas pereunte noctes, Adria, dormis?* Qui ergo hunc Sinum navigaſſe nunc aſſerit Oenotrum, qui dumtaxat ad ipſius oſtium adpulit? Quum vero ipſe, data opera, hunc Dionyſii locum haud integrum adſcripſerit, eum producam ex accuratiſſima Italica verſione Franciſci Venturi Florentini, qui ſub Paulo III. floruit. *Perciocchè eſſi* (gli Arcadi) *primi di tutti la Italia, trapaſſando il Golfo Jonio, ſotto Enotro figlio di Licaone, abitarono* &c. Pone Oenotri majoribus recenſitis, ita ſermonem pertexit : *Ma Enotro, non baſtandoli la ſua parte, abbandonò la Grecia, perciocchè eſſendo a Licaone ventidue figliuoli, convenivaſi in altre tante parti dividere l'Arcadia : per queſta cagione adunque Enotro abbandonò il Peloponneſo, e meſſo in punto un armata, ſolcò il Mare Jonio, e con lui Peucezio, uno de' fratelli : furono ancora da molti del popolo loro domeſtico ſeguiti, imperocchè e' ſi dice, che queſta gente in principio fu più populoſa, che alcuna altra delle Greche, & di qualſivoglia di eſſe a cui toccaſſe in ſorte il paeſe, l'ebbe aſſai minore, che quella ſua moltitudine non s'aſpettava. Peucezio adunque in quella parte ch'è d' Italia, dove prima pervenne, ſopra la ſommità de' monti Japigi il ſuo popolo conducendo quivi collocollo .... Ma Enotro maggior parte di eſercito menando ſeco venne nell'altro golfo, che dall'Occidente lungo l'Italia ſi ſparge* &c Eſt-ne nodus in hoc ſcyrpo?

Inſp. 2. Diatr. 1. §. 4.

§. XI. Sed omnem de noſtra ſententia dubitandi anſam, ſive ſcrupulum adimit alter Dionyſius, videlicet Characenus, vulgo Periegetes, ſive Afer, a noſtro Antilegonte magnifactus, & reluctans allegatus. Hic in vere aureolo libello *de Orbis ſitu* Adriam haud ſolum ad Inſulam noſtram, ſed etiam ad Africanas Syrteis protrahit. En ipſius carmina ex interpretatione Clariſſimi Priſciani, ſeu Rhemnii Fannii :

Dionyſius Afer.

Æquoris at Siculi, quod vaſtis funditur undis
Ad Noton eſt pontus Libyæ, Syrtiſque vadoſa
Major; at ulterius ſi pergas, cerne minorem
Occiduam, juxta quam Meninx inſula fulget,
Et Cercina ſimul Libyca ſtatione patentes
ADRIA quas penetrat &c.

Ie

Digitized by Google

Io Pæan ! O Veritatem ubique gentium triumphantem ! Vides quam recte aſſerebam *in* §. 3. quod Auctores Adriam ad Melitam uſque protendere voluerint, quum illum Siculo mari hanc Inſulam alluenti permiſcuerint. En id ſuperabunde confirmatum a Dionyſio noſtro, qui vel ad Libycas oras Adriam prolatat. Sapientiſſimus iſte Geographus ſcribebat centum amplius annis ante Meliteuſe Pauli naufragium. Ejus libellum græce conſcriptum, eruditione plenum, & de aliqua navigatione ſcripturo perutilem ac neceſſarium facile perlegerit D. Lucas, qui tot itinera, maria, & loca in Apoſtolica ſua hiſtoria deſcribit. In *Diſſertatione autem* 5 §. 4. videbimus quam minus æque hunc Auctorem in ſententiam ſuam advocarit Adverſarius.

§. XII. Geographorum χοροδιδάσκαλος (a) Strabo Amaſenus non unico in operis ſui loco noſtræ de Adriæ ſitu limitibuſque ſententiæ ſuffragatur. Sed quum contentioſiſſimus noſter Antilegon tantum nobis Geographum abjudicare tota *Diatriba* conetur, licet in caſſum; operæ pretium duco, ut & nos integra Diſceptatione nobis illum vindicemus. Idcirco illius auctoritates nobis faventes *in ſequenti Diſſertatione* exponamus. *Strabo*

§. XIII. Sylla perantiquus Scriptor apud Plutarchum, ut animadvertit Thomas Dempſterus *lib. 2. Antiq. Rom. cap.* 4. aſſerit *inſulam quamdam eſſe in Cronio mari, ubi Barbari vinctum a Jove Saturnum fabulantur*. Hanc inſulam aut Cretam eſſe, aut Corcyram eruditorum nemo inficiabitur. Cretam eſſe dicet, qui non ignoret, Jovem in ea inſula ſæviiſſe in Parentem ſuum, qui in Italiam inde aufugit. *Is itaque Saturnus* (inquit Minucius Felix) *Creta profugus Italiam metu filii ſævientis acceſſit:* Poſtque paullo idem Auctor hæc ſubnectit: *Ejus filius Juppiter (b) Cretæ excluſo Parente regnavit*. Sed noſter Antagoniſta contendet, eam eſſe Corcyram, ubi, referentibus Callimacho, & Apollonii Scholiaſte, ſervabatur falx, qua in vinctum Parentem uſus fuerat Juppiter. Quæcumque vero e duabus ſit ea Inſula, certe a Sylla in *Cronio* mari collocatur: *Cronium* autem mare apud veteres Auctores idem fuiſſe atque Adria-

Sylla apud Plutarchum

Minuc. Felix in Dial. cui tit. *Octavius*.

Infr. 2. Diſſert. 4. §. 19.

M ticum

(a) Chori magiſter. (b) En Inſulæ nomen, inſtar urbium, in ſtatu locali, ut Grammatici loquuntur, in caſu genitivo poſitum : contra quam volunt quidam Neoterici, hujuſmodi regulam a Franciſco Santio traditam impugnantes.

ticum fatetur Adverſarius Apollonii teſtimonium advocans; & nos heic *in* §. 5. pluribus auctoritatibus evicimus. Atqui tum Cretam, tum Corcyram Sicilienſe pelagus adlambit. Liquido igitur liquet Siculi maris jura ab antiquis Scriptoribus Adriæ minime denegari.

Flav. Joſeph. §. XIV. Flavius Joſephus, D. Lucæ coævus, Adriam cum Ionio & Siculo mari confundit; ſiquidem Ionium Sinum in Ionio magno recognoſcit, ac utrumque una eademque nomenclatione indigitat. *Lib.* enim 14. *Antiq. Jud. cap.* 13. hæc habet; *Aliquanto autem poſt Cæſar occupata Roma, & Pompejo una cum Senatu ultra Ionium* (πέραν τȣ̃ ἰονίον) *fugato, ſolutum vinculis Ariſtobulum decrevit* &c. Pompejus vero transfuga Brunduſio diſceſſit, ut tradunt
Jul. Cæſ. l. 1. bell. civ. Svet. l. 1. c. 34. in Jul. Dio Caſſius l. 41. Julius Cæſar, Svetonius, Dio Caſſius: indeque Epirum contendit, ut narrat idem Flavius. *Lib.* autem 15. *cap.* 13. ita ipſe loquitur; *Interea Agrippa mittitur, ut adminiſtraret provincias trans Ionium* (τȣ̃ πέραν ἰονίȣ) pro *Cæſare*. Heic vero de Ionio magno Joſephum loqui perſpicuum eſt; Vi-
In ſp. 2. Diatr. 1. §. 14. pſanius enim Agrippa in Aſiam miſſus eſt. Unde conſtat, cum Sinum, tum mare Ionium a Flavio invicem confundi, ac utrumque *Ionii, abſque ullo additamento*, nomenclatione deſignari; contra quam ſtatuit Adverſarius contendens, *Ionium maſcula terminatione, & abſque ullo additamento* a Scriptorum nemine pro Ionio magno accipi. Quocirca hanc regulam a ſe traditam, claudicantem ipſemet videns, oculiſque noſtris pulverem offundere affectans, in poſteriore Flavii loco, quem temere allegat, τὸ *mare* adjecit. Hinc perſpicere poterit ingenuus Lector, quam
Cicer. pro M. Cœlio. ſedulus, vaferque ille ſit in ſubvertenda veritate. Sed mihi cum Tullio exclamare liceat: *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias, facile per ſe ipſa defendat.*

§. XV. Id vero præ cunctis conſiderandum, ac magni faciendum eſt, quod Apoſtolorum ævo noſtra de Adriæ prolatione ſententia nedum erat Ethnicis Scriptoribus recepta, ſed etiam Chriſtianis atque Apoſtolicis Viris adprobata.
Philo, Gajus, Agathopus. Siquidem Philo, Gajus, Agathopus, aliique S. Ignatii Martyris comites, qui glorioſum ejus certamen retulerunt, atque *ea quæ coram viderant, & audierant, ſcribere curaverunt* (b);

Adriam

(a) Verba Theodorici Ruinart in *Admonitione in Acta* S. Ignatii Martyr. edita a Jac. Uſſerio Armachano.

Adriam in Sicilienſi pelago recognovere. Quidpe in Actis ejuſdem S. Martyris ab iſtis conſcriptis, & a Cl. V. Theodorico Ruinart, Monacho Benedictino e celebri Congregatione S. Mauri, ad veteris MS. Codicis in Bibliotheca Colbertina ſervari, fidem ſincere ac genuine vulgatis, leguntur hæc: Εἶτα ἐκεῖθεν καταχθεὶς ἐπὶ τὴν Νεάπολιν διὰ Φιλίππων παρωδεύων Μακεδονίαν περί καὶ τὴν ἤπειρον τὴν πρὸς Επίδαμνον, ἐν τοῖς παραθαλαττίοις νηὸς ἐπιτυχών, ἔπλει τὸ Ἀδριανικὸν πέλαγος, κἀκεῖθεν ἐπιβὰς τοῦ τυρρηνικοῦ, καὶ παραμείβων νήσους τε καὶ πόλεις, ὑποδειχθέντων τῷ ἁγίῳ Ποτιόλων, αὐτὸς μὲν ἐξελθεῖν ἔσπευδεν, κατ' ἴχνος βαδίζειν ἐθέλων τοῦ ἀποστόλου Παύλου. *Inde poſtea Neapolim ductus* (S. ignatius) *Philippis tranſiens, Macedoniam præterivit, & ad eam Epiri partem, quæ ad Epidamnum ſita eſt, in maritimis locis nave inventa, Adriaticum pelagus, navigavit, indeque Tyrrhenicum ingreſſus, inſulas & civitates percurrit, oſtenſiſque Sancto viro Puteolis, ipſe quidem exire feſtinabat, Apoſtoli Pauli veſtigiis incedere cupiens.* Vides per quem Adriam navigarit Ignatius ex Epiro Romam contendens! Næ per Siculum mare, & a D. Luca Adriæ nomine indigitatum. Beatiſſimum autem iſtum Martyrem fuiſſe Johannis Evangeliſtæ diſcipulum, & Imperante Trajano generoſum pro Chriſto certamen ſubiiſſe, atque ſub eodem Imperatore Sanctiſſimum Apoſtolum ejus Magiſtrum in Cœlum evolaſſe, notius eſt quam ut probari debeat. Theod. Ruinart. in Act. Primor. Martyr.

§. XVI. Appianus Alexandrinus *lib. de bell. Hannib.* paſſim Ionii maris nomen Adriæ tribuit, ut animadvertit Cl. V. Hieronymus Ruſcelli, qui in *Adnotationibus* in eum librum ita loquitur: *Per tutto queſto libro, ovunque ſi legge Mar Ionio, è da avvertire, che queſto Scrittore chiama ſempre Mar Ionio in univerſale tutto quel mare, che da' Latini era detto Mare Superum, o Mare Adriaticum, o Adriacum, o ancor Adrianum, sì come Mar Adriatico ſi è detto ſempre univerſalmente nella lingua noſtra. Et è quello che è da Venezia fin a Sicilia verſo Ponente, e fin alla Morea, & a Corfù, e Candia verſo Levante...... Nel che Appiano ſegue i Greci più antichi* &c. Audin' hæc verba? Jam intelligis, quam temere aſſerat noſter Zoilus, Ptolemæum fuiſſe primum qui Adrianum pelagus ad Siciliam & Cretam uſque protraxerit. Poſt tanti viri teſtimo- Appianus.

 nium

nium plura (*a*) iſtius Hiſtoriographi loca producere ſupervacaneum duco. Verumtamen locum ab Adverſario perperam allatum *in Diſſert.* 5. expendemus. Nunc vero operæ pretium eſt, ut Strabonis ſententiam perpendamus.

DISSERTATIO SECUNDA.

Strabonem in Adriæ prolatatione a nobis ſtare.

§. I. ADriam cum Siculo mari a Strabone Amaſeno confundi exiſtimant complures eruditi ſapienteſque Scriptores. Præ ceteris diligentius magni hujuſce Geographi ſententiam perpendit Cl. V. Octavius Cajetanus, qui duo ipſius loca producit, unum ex *lib.* 2. alterum ex *lib.* 7. atque ex primo colligit, Ionium ſinum eſſe partem Adriæ cum Siculo mari permixtam; ex ſecundo autem elicit, eumdem Sinum ab illo collocari ante Ceraunios montes, ubi Sicilienſe pelagus diffunditur. Sed iſtius animadverſiones Zoilus noſter irridet, ac tamquam obſcuras, ineptaſque contemnit: ego autem eas omnibus Adverſarii *Inſpectionibus* præferendas jure merito arbitror. Quamobrem cum Octavii, tum Critici noſtri ſenſa exponamus, ut ingenuus Lector dijudicet, uter eorum rectius ſenſerit, exactiuſque Geographorum Principis ſententiam fuerit aſſequutus.

Octav. Cajetan. Iſag. ad hiſt. Sac. Sicul. c. 19.

§. II. Primo igitur Cajetanus affert hunc locum ex *lib.* 2. Strabonis, quem ego proferam ex emendatiſſima editione Amſtelodamenſi ad Caſaubonianam III. expreſſa. Τὸ

δὲ

(a) Quamvis iſte Scriptor fuerit Claudii Ptolemæi contemporaneus, eum tamen heic produxi, propterea quod ipſum allegat vel noſter Antagoniſta, qui Ptolemæi, ut pote minus antiqui, teſtimonium deſpicatui habet. Nimirum ea eſt ipſius inconſtantia ac impudentia, ut e duobus ejuſdem ævi ſcriptoribus illum adprobet, hunc reſpuat: quum tamen in hac controverſia Geographus Hiſtoriographo præponendus ſit.

Digitized by Google

δὲ Σικελικὸν πέλαγος ...... ἄυξεται ἐπὶ μὲν τὸ πρὸς ἕω μέρος μέχρι τῶν ἄκρων τῆς Κρήτης, καὶ τὴν Πελοπόννησον δὲ περικλύζει τὴν πλείστην, καὶ πληροῖ τον Κορινθίακὸν καλούμενον κόλπον. πρὸς ἄρκτους δ' ἐπὶ τε ἄκραν Ιαπυγίαν, καὶ τὸ στόμα τοῦ Ιονίου κόλπου, καὶ τῆς Ηπείρου τὰ νότια μέρη μέχρι τοῦ Αμβρακικοῦ κόλπου, καὶ τῆς συνεχοῦς παραλίας τῆς ποιούσης τον Κορινθιακὸν κόλπον πρὸς τὴν Πελοπόννησον. Ο' δ' Ιόνιος κόλπος μερος ἐστὶ τοῦ νῦν Αδρίου λεγομένου· τούτου δὲ τὴν μὲν ἐν δεξιᾶ πλευρὰν ἡ Ιλλυρὶς ποιεῖ, τὴν δ' ἐυώνυμον ἡ Ιταλία μέχρι τοῦ μυχοῦ τοῦ κατὰ την Α'κυληΐαν. Ε'στι δὲ πρὸς ἄρκτον ἅμα, καὶ πρὸς τὴν ἑσπέραν ἀνέχον στενὸς, καὶ μακρὸς, μῆκος μὲν ὅσον ἐξακισχίλιων σταδίων, πλάτος δὲ τὸ μὲν μέγιστον διακοσίων ἐπὶ τοῖς χιλίοις. *Siculum autem pelagus .... augetur quidem verſus Ortum uſque ad Cretæ extrema: majorem quoque Peloponneſi partem alluit, & ſinum Corinthiacum implet. Verſus Septentrionem autem* Japygiam *Promontorium, & fauces* Jonii *Sinus tangit, & partes Epiri Meridiem ſpectantes, uſque ad ſinum Ambracium, & continentem oram, quæ cum Peloponneſo ſinum Corinthiacum includit:* Jonius *autem ſinus pars eſt maris, quod nunc Adria dicitur: hujus dextrum latus Illyricum, ſiniſtrum Italia facit, uſque ad receſſus juxta Aquilejam protenditur verſus Septentrionem & Occaſum anguſtus, & longus ad 6. millia ſtadiorum, latitudine, ubi ea ſumma eſt* 190. 200. Hucuſque Strabo. Pone Cajetanus ita „ ratiocinatur: Vides Siculi & Adriatici maris hic jura „ confundi, & nomen Adriæ Siculo tribui. Si enim Si- „ nus Jonius pars eſt maris quod nunc Adria dicitur: & „ Jonii fauces tangit mare Siculum, nec tamen iis termi- „ nis contentum eſt, ſed ultra progreditur Orientem ver- „ ſus, idem erit Siculum, & Adriaticum in eam par- „ tem .... Sed diſerte hoc ipſum a Strabone confirmatur „ alio loco (lib 7.) *Montes Ceraunii* (inquit Strabo) *ini-* „ *tium faucium Sinus* Jonii, *& Adriatici: fauces enim utri-* „ *que ſunt communes, eoque tantum differunt, quod primæ* „ *maris, ſeu exteriori parti nomen* Jonii *tribuitur, Adriæ* „ *autem interiori uſque ad intimum Sinus receſſum, quam-* „ *quam hodie totum mare hoc nomen Adriæ gerit.* Jam ve- „ ro hoc totum mare, quod Strabo deſignat, haud dubie „ Siculum comprehendit, quod identidem eo extendit quo „ Adria ſuo jure pertingit. Nam paulo poſt idem Strabo „ ſubjungit. *Ad dextram Epidamni, & Apolloniæ ſunt* „ *gen-*

gentes Epiroticæ, quæ Siculo alluuntur mari uſque ad ſinum Ambracium, a ſiniſtra Illyrici montes.

§. III. Octavio noſtro, hujuſque ſententiæ ſubſcribentibus reclamat ac tumultuatur noſter typorum Corrector, adſeverans *primam partem maris, non exterioris, ſed intrinſecus reſidentis poſt fauces, ſinui* Jonio *a Strabone, atque ab aliis adſcribi :* additque, τὸ *ſeu exteriori*, quod in Strabone minime legitur, adjectum eſſe a Guilelmo Xylandro textus ſenſum vitiare ſolito hujuſmodi verborum additionibus. Aſt garriat (*a*) ἄχρι κόρου noſter Zoilus; ædepol doctiſſimus iſte Interpres optime id apocomma Strabonianum enucleavit, appoſiteque τὸ *ſeu exteriori* adſcripſit, quod etiam in præſtantiſſimis aliis verſionibus legitur: namque, ut mox oſtendam, totum id mare in duas parteis, *interiorem* ſcilicet, ac *exteriorem* ab antiquis Geographis dividebatur. Sed licet expungamus τὸ *ſeu exteriori*, tantumque retineamus τὸ *primæ maris parti*; nihilominus eam extra Ceraunia, & Japygiam a Strabone conſtitui jueremerito contendimus, imo demonſtramus. Plane aſſertionem noſtram confirmat, mentemque Strabonis perſpicuam affatim reddit Plinii locus, qui multo magis Adverſarium, quam (*b*) Cluverium in tranſverſum egit. Iſte quidem locus eſt *lib.* 3. *cap.* 26. perplexus ſane, ſed cum præallegato Strabonis loco collatus non minus huic lucem affert, quam ab ipſo dilucidetur. Plinius autem ita loquitur: *In eo* (univerſi maris tractu cum ante, tum poſt Hydruntum diffuſo) *duo maria, quo diſtinximus fine: Inferum ſeu Jonium* (nota) *in prima parte*, interius *Adriaticum, quod Superum vocant*. Vides ut Plinius Straboni conſentiat, collocans *in prima*, ſeu *exteriori* (Inferam ille vocat) parte univerſi illius æquoris Jonium, in interiori autem Adriaticum! Si vero noſter Antagoniſta alibi cornicatur, heic plane delirat. Nimirum ipſe *duo iſta maria Pliniana* in hodierno ſinu Veneto (efficta nova ineptaque Tabula) deſignat; & mare illud *Inferum*, ſeu Jonium Gargano monti applicat; Adriaticum vero poſt Diomedis inſulam diffuſum oſtendit. At o portentoſam oſcitantiam! Itane ille non advertit ſeſe in eo Plinii pelago utrem mergere ven-

(a) *Uſque ad nauſeam*. (b) Adverſarius *Teſſ. 2 Diatr.* 1. § 6. & 7. eum inſignem Geographum objurgat, tamquam oſcitantem, ejuſque loci Pliniani ſententiam minime aſſequentem.

vento plenum! Sed ut ille videat, quam miſere fuerit allucinatus, in mentem reducat, perpendatque illa Plinii verba: *duo maria quo diſtinximus fine*: Scitne cur ita dicat Plinius? Quoniam ante aliquot *capp. in eodem libro* ipſe dixerat: *Hydrus .... ad diſcrimen Ionii & Adriatici maris*. Jam perdiſcere poteſt Adverſarius ubi diſtincta collocet ſua duo maria ille Geographus; nempe *Inferum*, ſeu *exterius* Jonium ante Hydruntem, *Interius* ſeu Adriaticum vel Superum poſt Hydruntum. Et quidem hunc Plinii locum ita intellexerunt Geographiæ Candidati. *Obſervabis item* (inquit doctiſſimus Brietius) *hic Plinium aliter ab aliis loqui. Quem enim alii dixere Ionium Sinum, ille Adriaticum nominat; & quod illi mare Adriaticum, hic Ionium: in parte autem inferiori hujus maris collocat Ionium & Siculum* &c. Audiſti? I nunc & dictita *inferam* ſeu *primam*, vel *exteriorem* iſtius æquoris partem a Plinio conſtitui ad Garganum: quandoquidem ipſam cum Sicilienſi pelago confuſam recognoſcunt qui narem habent emunctam. Plin. l. 3. c. 11. Phil. Briet. Paral. Geogr. Part. 1. l. 6. c. 5. §. 6.

§. IV. Neque novam inauditamque ſententiam protulit Plinius quum in *prima*, ſeu *exteriori* totius ejus maris parte Ionium agnoſceret. Nedum enim Strabo, ſed & alii ipſo antiquiores, cum Græci quos in ſuperiori *Diſſert.* produxi, tum Latini quos in ſequenti ſum allegaturus, idem ſenſerunt. Præ ceteris heic audiendus eſt Pomponius Mela, cujus ſententiam facile exſcripſerit Plinius. *Mare*, (ille ait) *quod primo ſinu accipit* (Europa) *Ægeum dicitur; quod ſequenti in ore, Ionium; Adriaticum interius* (a). En heic quoque Ionium in *exteriori*, Adriaticum in *interiori* iſtius pelagi parte a Pomponio collocatum. Jam igitur comprehendis, *primam* univerſi illius marini tractus partem rite vocari *exteriorem* (ut vertebat Xylander) ideſt extra *Ceraunias* fauces reſidentem; atque duplicem dari Adriam, videlicet *interiorem*, ac *exteriorem*. Interius enim ſine exteriori non datur. Neque id inficiari audebit noſter Antagoniſta, niſi ſe turpi impudentiæ obnoxium omnino velit oſtendere: nempe ipſe totum id mare, ut ut ſub Ionii vocabulo, in *exterius* dividit, ac *interius*. *Ionium interius* (is inquit) *quod poſt Fauces eſt .... exterius* Pomp. Mela lib. 1. c. 2. Inſp. 2. Diatr. 1 §. 10.

(a) Scylax quoque id mare vocat *interius* Jonium, idemque atque Adriam eſſe affirmat.

rius & quod ante Fauces : illud tamen, haud hoc, *unam eamdemque rem cum mari Adriatico, vel ejus partem ab Anteptolemaicis Scriptoribus perhiberi* contendit : contra quam ſtatuit Strabo, aſſerens tum *primam*, ſeu *exteriorem*, cum *interiorem* univerſi illius æquoris partem Adriam appellari. *Totum mare hoc* (inquit Geographorum Dictator) *nomen Adriæ gerit*.

§. V. Attamen reponit Adverſarius, Plinium alibi, videlicet *lib.* 12. *cap.* 1. Jonium mare ad inſulam (*a*) Diomedeam protuliſſe : indeque infert, eum vere duo illa diſtincta maria poſt Fauces agnoviſſe, ſcilicet *Inferum*, ſeu Jonium ante Diomedis inſulam ; poſt hanc vero *Interius*, ſeu Adriaticum ; ideoque hunc Scriptorem in præallegato *cap.* 26. nequaquam loquutum eſſe de Jonio quod *cap.*11. Hydrunto diſcriminaverat ab Adria, ſed de alio *interiori* quod Diomedis inſula (ſi ei credimus) ab eodem Adria diſtinguit. Atque hoc mare *interius inferi* nomenclatione a Plinio indigitari ille contendit. Mecaſtor abyſſus abyſſum invocat : nempe noſter Tergiverſator pro tuendo primo errore plures alios admittit. Et ſane primum, rogo, unde nam ille colligat, Plinium *lib.* 2. *cap.* 1. Jonium mare haud ultra quam ad Diomedis inſulam protendere ; ibique illud ab Adriatico diſcriminare? Quandoquidem Plinius *loc. cit.* non niſi hæc profert : Platanus *per mare Jonium in Diomedis inſulam, ejuſdem tumuli gratia primum invecta*. Deinde ſi Coſmographi, ut Adverſarius ipſe fatetur, vocant *inferius* quidquid in Septentrionem ; qui amabo, in hodierno ſinu Veneto, toto Boreali, ideoque ab ipſomet Plinio *Supero* appellato, *Inferum* mare ab eodem Auctore collocari dictitat? Inſuper ſi ipſe Adverſator alibi Plinium allegat, tamquam diſcriminantem Hydrunto Jonium, & Adriaticum ; qua fronte heic eadem duo maria ab eodem Scriptore, Diomedis inſula, adeo ab Hydrunto ſejuncta, diſcriminari contendit? Si illic Plinii auctoritate Adriaticum ad Hydruntem protendit, cur heic ejuſdem teſtimonio illud diminuit, & ad Diomedis inſulam retrahit? Profecto ſi jocari (*b*) licet, miſer Adria, adeo male ab Adverſario acceptus,

Inſp. 2. Diatr. 4. §. 46.

(a) Vulgo Iſola di *Tremidi*, Apuliæ adjacens, *Melete* obſerva. (b) Hunc jocum haud graviter accipiet Adverſarius, qui pariter jocans Siculum mare aſſimilavit Amatori ad oſtium Adriæ cantillanti : *Me tuo longas pereunte noctes, Adria dormis?* *Inſp.* 2. *Diatr.* 2. §. 4.

ceptus, nempe decurtatus, diſſectuſque, de ipſo queri jure poſſet, haud ſecus ac Polydorus ille Virgilianus in arborem converſus, qui ſibi frondes, fruticeſque a Trojano Duce divelli ſentiens, ſanguineaſque guttas effundens, querulas haſce voces edidit:

Quid miſerum, Ænea, laceras? Jam parce ſepulto:
Parce pias ſcelerare manus.

Ita plane diminutus Adria noſtro Antilegonti poſſet dicere: *Quid miſerum, Ignati, laceras?* Cur mihi ramos, ſeu brachia obtruncas, queis ultra Siciliam extendebar? *Jam parce ſepulto:* Parce Adriæ a primis uſque fæculis condito repoſitoque in univerſo totius Ionii tractu. *Parce pias ſcelerare manus* ſcriptitando tot vana, futilia, & a veritate aliena. Sed miſſos faciamus jocos, & revertamur ad ſeria.

§. VI. Plinius quidem *Inferum* appellat Ionium *exterius*, propterea quod hoc in Meridiem tendat, ſicut *interius* in Boream, ideoque *Superum* ab ipſo dictum: & vel in eo conſonat Straboni, qui *lib.* 7. Cerauniorum montium partes Meridiem ſpectantes ſupra id mare, extra Fauces effuſum, recognoſcit. Hunc autem locum ab Adverſario perperam allegatum in *ſequenti §.* producam. Quod autem Ionium mare in Illyrico, ſeu Veneto Sinu recognoverit Plinius; etiam atque etiam nobis favet: ſiquidem licet ipſe Adriam ab Ionio mari diſtinxerit; nihilotamen ſecius videns a Scriptoribus alterum pro altero uſurpari, Ionium mare pro Adria accepit. Et ſane ſi Geographorum Anteſignanus, ut evincebam, *exteriori* Ionio nomen Adriæ tribuit; cur Plinius *interiori* Adriæ nomen Ionii maris adtribuere non poteſt?

§. VII. Sed omiſſo Plinio, cujus alium locum nobis opitulantem in ſequenti *Diſſert.* proferam; ad Strabonem redeamus: huc enim me revocat refractarius noſter Antilegon, Theodoro Bezæ ſuccenſens, propterea quod iſte intrepide aſſeruerit, Ionium Sinum, Adriæ partem, extra Japygium ac Ceraunia, interque Italiam & Epirum a Strabone, aliiſque Auctoribus recognoſci. Quocirca ille de more ſuo poſt aliquot convicia adverſus Bezam producit ejuſdem Grεographi locum *lib.* 7. ex quo elicere conatur, Epidamnum, Apolloniam, aliaſque Illyricas urbes eis adjacentes ab ipſo ſupra Ionicum Sinum diſtribui. En ejus

N verba

verba ex ſupralaudata *Editione Amſtelædamenſi*, quando-Strab. lib. 7. quidem Adverſarii verſio nequaquam eſt doli expers. *Hi porro Epirotis admixtæ ſunt Illyriæ gentes, quæ ſunt ad montium partes Meridiei obverſas, & ſupra Ionicum Sinum accolunt, Circa enim Dyrrachium & Apolloniam uſque ad Ceraunios montes habitant Bulliones, Taulantii, Parthini, Phrygi*. At næ vafer iſte Veterator emunctæ naris Lectoribus imponere haud potis eſt. Quis enim non videt, ipſum e pumice aquam poſtulare? Iſte quidem locus Strabonianus magis nobis, quam illi aſtipulatur; etenim ſi Strabo Illyricas gentes Epirotis admixtas, & Meridionalis Cerauniorum partis accolas ſupra Ionium Sinum collocat; perſpicue declarat, hunc Sinum eſſe Cerauniis Auſtralem; Atqui hi montes ad Auſtrum ſpectant Ionium *exterius*, non vero *interius*: Ionius igitur Sinus ante Fauces, non intrinſecus, ut ſomniavit Adverſarius, poſt Fauces a Strabone deſignatur. Unde liquet quam minus recte ille affirmarit, eumdem Sinum Epidamno, & Apolloniæ a Geographorum Principe affundi; quandoquidem hic eum dumtaxat applicat populis a Dyrrachio, & Apollonia non longe quidem diſſitis, ſed Epiroticæ genti *admixtis*, & *Meridionales* Cerauniorum partes incolentibus. Conſulat, amabo, meus Lector Geographicas Tabulas, ut noſtri Critici præſtigias acu tangat.

§. VIII. Tandem ipſe urgentibus argumentis & auctoritatibus deſtitutus, hoc *paradigmate*, tamquam ſeptempli-Inſp. 2, Diatr. 2. §. 4. ci Ajacis clypeo, ſeſe tueri autumat. *Si Adverſariis* (inquit) *de Seji atque Sempronii habitatione interrogantibus reſponderem; utrique oſtium commune eſſe, ſed Sejum in prima parte degere, Sempronium in interiori: quid, rogo, ex hac mea narratione colligerent? Num Sejum ante oſtium, foriſque habitare? Non utique ſi ſani ſint. Igitur de Adria quoque, & Ionio Sinu non abſimilia colligant ex narratione Strabonis*. Aſt hercle ſi ſani adeo inepte ratiocinantur, hujuſmodi ſanitatem ſibi conſervet Adverſarius; neque ullus ei invidebit. Enimvero illius paradigmati hoc aliud, & quidem aptius opponam. Si quis Sempronii domum *(a)* in Cœlio monte ſitam eſſe, ejus autem oſtium in Quirinali; eamque non heic, ſed illic incipere; interque illius domum ac

(a) Heic mihi venit in mentem Neronis domus, adeo ampla, ut de ipſa cecinerit Martialis: *Unaque jam tota ſtabat in urbe domus*.

ac oſtium poſitas eſſe ædes Seji dixerit; nonne iſte delirationes loquutus fuerit meracas? Ita plane delirat qui inter Adriam, ejuſque oſtium collocat vaſtum Ionium Sinum; atque illius oſtium ad Japygium P. domum autem ad Garganum montem 175. M. P. ab illo diſſitum, deſignat. Verumenimvero nos ne turpem hanc notam Geographorum Dictatori impingamus, rectius iſtius ſententiam interpretamur. Nempe ipſe Ionium Sinum conſtituit ubi Trajectum Ionium recognoſcit Polybius, videlicet inter Cocinthum, & Japygium. Quæ vero utrimque ſunt pervia, ut fatetur Adverſarius, duplex habent oſtium. Itaque primus Ionii Sinus ingreſſus in Boream navigantibus patet ad Cocinthum, alter autem ad Japygium: & hoc ſecundum oſtium Adriæ & Ionio Sinui commune eſſe docet Strabo: ſiquidem in hoc Adriæ initium, ac illius Sinus terminum ipſe conſtituit; ut nobis aſſentiens affirmat Caſaubonus, qui in *Adnotationibus* ad eum locum hæc habet: *Ubi deſinit Sinus Ionius, incipit Sinus Adriaticus, ideo dicuntur habere commune oſtium*. Et quidem ridiculum eſt aſſerere quod Adria non incipiat, ubi ſitum eſt ejus oſtium, ſed 175. P. M. interius, ut incauto noſtro Critico arridet. Heic quoque perpendendum eſt, quod Polybius, fatente ipſo Adverſario (*loc. cit.*) bina ora Ionio Trajectui adſignat; Saſonemque inſulam agnoſcit prope iſtius oſtium quod & Adriæ commune eſt. Unde magis magiſque perſpicitur, Polybii *Trajectum* eſſe unam eamdemque rem cum Ionio Sinu Strabonis. Nec te detineat quod iſte *Sinum* vocet quem ille Trajectum appellat: hæc enim nomina *Sinus*, *Pontus*, *Trajectus* promiſcue a Scriptoribus uſurpantur. Teſtis eſt ipſe Strabo paſſim nobis conſentiens, qui *lib.* 8. ſic ait: *Subinde Sinus eſt Saronicus, qui & Pontus a quibuſdam vocatur, & a nonnullis Poros, ideſt Trajectus, a quo & Pelagus Saronicum dicitur*. Haud aliter ille maris Ionii tractus, ut in ſuperiori *Diſſert.* vidimus, a Thucydide, Lycophrone, Dionyſio Halicarnaſſeo *Sinus* vocatur; ab Apollonio autem, Polybio (quem Strabo ſæpe citat,) ac Diodoro Siculo *Trajectus*, & a nonnullis *Mare Ionium* appellatur. Straboni autem *Sinus* vocabulum magis arridet: quippe tum *Ionium*, tum Saronicum Pontum ipſe vocat *Sinum*, quem ab aliis *Trajectum* dici bene noverat.

In ſp. 1. Diatr. 1. §. 12.

N 2 §. IX.

§. IX. Necnon eximius iſte Geographus nobis ſuffragatur, quum *lib.* 5. Adriæ longitudinem Italiæ longitudini exæquet: quippe nedum Italiam ad Orientem alluit Sicilienſe pelagus; ſed etiam Sicilia Italiæ adſcribitur; ut ſcite animadvertunt Cajetanus, & Niderſtedius, quos tamen armis plumbeis pugnare dictitat noſter Ariſtarchus: ſed videamus cujuſnam metalli ſint arma, queis iſte adverſus illos decertat. Ipſe quidem non a Geographis, ſed a Legulejs, *ex Juriſdictione*, atque vicinia regionibus nomen accommodare conſuetis, Italiæ Trinacriam aſſeri contendit. Verumenimvero Imperatores Antoninus, & Conſtantinus, *in Italiæ diviſione*, huic Siciliam adſcribunt: & quidem juremerito, quum ea Inſula fuerit *aliquando continens*, & *agro Brutio annexa*, ut ait Pomponius Mela, cui aſtipulantur Seneca, Strabo, Virgilius, Plinius, Solinus, & inter plures Neotericos Tertullianus, Petrus Bertius, Lucas Ampelius, & Dominicus Georgius, forte Adverſarii conſanguineus. Attamen ille reclamat, & Strabonis, aliorumque Græcorum teſtimonia nobis opponit. Quum tamen hi cuncti idem diverſis verbis pronuncient; ipſis prætermiſſis Strabonem audiamus, & quidem ex ipſius Adverſarii interpretatione, ut ſaltem aliquando hunc ei morem geramus. *Etenim Thynnos, cum gregatim præter Italiam feruntur, poſtquam in Fretum inciderunt, & Siciliam attingere prohibentur* &c. Hæc habet Strabo; ſed ex his non bene ille colligit, Siciliam a Strabone Italiæ minime accenſeri. Rationem accipiat. Ita quidem loquitur Cornelius Nepos, ſive is ſit Æmilius Probus. *Eoque rem perduxit* (Dion) *ut talibus pactionibus pacem Tyrannus* (Dionyſius) *facere vellet: Siciliam Dion obtineret; Italiam Dionyſius, Syracuſas Apollocrates* &c. Numne hinc colligi debet, nec Siciliam Italiæ, neque Syracuſas Siciliæ adſcribi, propterea quod hæ regiones a Cornelio ſeparatim recenſeantur. Nihil tale. Neque igitur ex Strabone, aliiſque Italiam, ac Siciliam ſeorſim recenſentibus eliciendum eſt, eam Inſulam Italiæ nequaquam accenſeri. Equidem amant prudentes Scriptores aliquando partem a toto ſeparare, ut diſtinctius loquentes facilius intelligantur: Et ſane, niſi Strabo τὸ *Siciliam* ibi appoſuiſſet; neutiquam compertum haberent Lectores, quamnam Italiæ partem attingere prohiberentur Thynni; riteque dubitare poſſent quod iſti a Rheginorum

Mela lib. 2. c. 2. Sen. in Conf. ad Marc. c. 17. Strab. l. 6. Plin. lib. 2. c. 88. Virg. Æn. 3. Solin. c. 7. Tertull. Apol. c. 4. Petr. Bert. in Brev. Orb. Terr. &c. Dom. Geogr. de Metrop. Ital. Ant. c. 10.

Corn Nep. in Them. c. 2.

rum

rum ora, æque ac Sicilia, freto alluta, arcerentur. Sed quid opus eſt, Strabonis mentem rationibus, aut conjecturis perſcrutari; quandoquidem ipſe *lib.* 6. ſeſe nitide explicat, eamque Inſulam tamquam Italiæ partem agnoſcit? Siquidem ibi, expoſita Siciliæ præſtantia, hæc ſubnectit: Ὡσανεὶ γαρ μέρος τὶ τῆς Ιταλίας ἐςὶν ἡ νῆσος. *Ut enim Italiæ pars eſt Inſula* (Sicilia). Hunc locum fortaſſe non vidit, aut diſſimulavit callidus Adverſator.

§. X. Attamen ei liberaliter, licet immerito demus quod Geographorum Princeps Siciliam Italiæ minime aſſerat; Adriamque dumtaxat uſque ad extimam iſtius oram a Trinacria (*a*) vi terræmotus, ſeu freti divulſam, protendat; nonne vel inde, ut innuebam, ſatis ſuperque perſpicitur, Adriam cum Siculo mari eidem oræ affuſo ab illo permiſceri? Profecto Strabo non ſecus ac Tullius, & Livius, quos in *ſeq. Diſſert.* producam, hinc Adriaticum, illinc Tyrrhenum mare Italiæ applicat; ita ut totum id mare, quod ipſam, demto Tyrrheno, alluat, ei ſit Adriaticum. Neque te ſuſpenſum detineat quod ille *lib.* 2. affirmet, Italiam fieri peninſulam a Tyrrheno, Auſonio, & Adriatico mari: Namque ipſe Auſonium ſeu Siculum pontum collocat ubi & Jonium Sinum, hoc eſt extra Japygiam: Jonium autem ſinum Adriæ partem eſſe adſeverat, & per conſequens Auſonium mare cum Adria confundit. Mirari vero ſatis non poſſum Adverſarii petulantiam, quum contendat, Strabonem Auſonium a Siculo mari diſcriminare, illudque ad magnam Græciam, hoc autem ad Siciliam recognoſcere; quandoquidem ipſe Strabo clara plenaque voce pronunciat: *Quod Auſonium dictum eſt, nunc vero dicitur Siculum, cumque illo confluit, & continuatur.* Strabo lib 2. Ex iſtis autem verbis (quis credat?) hanc ille concluſionem elicit, quam exponere idem erit atque refellere. *Auſonium igitur* (inquit) *continuatum quiddam, & addita pars ponto Siculo, non totus ipſe.* Aſt mi Nugator optime, qui mare id eſt *pars addita* Sicilienſi pelago, ſi cum hoc non modo *continuatur*, ſed & *confluit*, ideſt ab initio uſque ad finem fluit ubicumque alternm exſpatiatur? Equidem Strabo non aſſerit Auſonium eſſe partem Siculi maris, ſed *Auſonium*, abſque ulla circumſcriptione, dici *Si-*

Inſp. 2. Diat. 1. §. 26.

(a) Ita opinatur Strabo Æſchylum ſequens, licet Pomponius Mela *freto maris Siculi* eam fuiſſe abſciſſam autumet.

Siculum : & utrumque pontum Italiæ fronti affundit. Ita plane præallegatum ipſius locum intelligunt, qui Geographos agunt. *Altera pars magni maris* (inquit doctiſſimus Brietius) *a Promontorio Japygia in Meridiem Auſonium mare prius dicebatur, poſtea vero Siculum, ut ait Strabo lib.* 2. Neque audiendus eſt Adverſarius, quum alterum ejuſdem Auctoris locum *lib.* 2. adverſus nos afferat, in quo quidem Adriæ longitudinem, latitudinemque ille deſignat : etenim ibi non de toto, ſed de interiori dumtaxat Adria loquitur; quem poſtea *lib.* 7. ut exponebam, cum Jonio *Ciſhydruntino*, ætate ſua, confuſum affirmat hiſce nitidiſſimis verbis : *Hodie totum mare hoc nomen Adriæ gerit*.

Phil Briet. in Paral. Geogr. Par. 1. lib. 6. c. 5. §. 4.

§. XI. Sed ut Veritas vel invito, & plane ad talia cœcutienti abunde eluceſcat, hoc etiam addo, & velut auctarium genuinæ noſtræ interpretationi iſtius Geographi de Adria ſententiæ conſtituo. Affirmat quidem noſter Antilegon, omnes fere Scriptores Strabone antiquiores Adriam hodierno Veneto Sinui, a Japygia ad uſque Aquilejam diffuſo, exæquaviſſe. Iſtorum autem ſententiam Straboni pernotam fuiſſe inficiari ipſe non poteſt, niſi Strabone, ut ita dixerim, *Straboniorem*, ſeſe reputet. Qui vero ſapientiſſimus iſte Geographus dixiſſet : *hodie totum mare hoc nomen Adriæ gerit*; ſi Adriam non amplius quam ad Japygiam protrahere intellexiſſet? Ille ſane redargui poſſet ut inepte loquens; quum jampridem Illyricum ſeu Venetum Sinum Adriæ nomine inſigniviſſent, ſi Adverſario credimus, Scriptores ipſo perantiquiores. Cur igitur ipſe tamquam ævo ſuo receptam (*hodie* inquit) ejuſdem pelagi prolatationem, ac nomenclationem profert : *Totum mare hoc nomen Adriæ gerit*. Nonne vides Adriam extra Fauces, intra quas eum coarctaverant quidam Veteres, a Strabone prolatatum? Enimvero ego arbitror, Strabonis ævo vigere cœpiſſe duplicis Dionyſii, videlicet Halicarnaſſei, & Characeni, aliorumque veterum Græcorum, Latinorumque de Adriæ prolatatione ſententiam; ita ut eam utpote communiorem factam, receptamque ſequi ille potuerit, qui Geographiam exacte profitebatur, ac edocebat. Huic autem ſententiæ facilem aditum præbuiſſe videtur Polybius, a Strabone perlectus atque notatus; quum Adriam cum Jonio *Trajectu* (qui, ut vidimus, idem eſt atque Jonius ſinus Strabonianus) extra Ceraunia diffuſo

com-

continuatum dixerit. Reapſe idem, licet aliis verbis, docet Strabo quum eumdem ſinum eſſe Adriæ partem aſſerat: pars enim cum ſuo toto *continuatur*. Neque eſt in cauſſa, cur mihi argumentum, ut Scholaſticorum phraſi utar, retorqueat Adverſarius, reponatque: Si hujuſmodi ſententiæ promotor fuit Polybius, necnon Auctores alii Strabone antiquiores, quare eam ceu nuperam iſte protulit? Nimirum jam dixi quod ea ſententia antea quidem prolata fuerit, ſed nondum a Geographiæ Doctoribus omnino adprobata; donec Geographorum Dictator eam penes Scriptores invaluiſſe videns, ipſam recepit, adprobavit, edocuitque. Etenim aliud eſt Poetam aut Hiſtoricum agere, aliud Geographiam profiteri. Si a Geographiæ regulis parum aberrant Poetæ, aliique Scriptores, veniam merentur; non ita Geographi, qui ſi vel leviter ab illis deflectunt, merito reprehenduntur. Quippe, ut ait idem Strabo, *Geographus ſuas deſcriptiones non incolæ loci accommodat, aut tali civili viro, qui nihil curet ea quæ proprie dicuntur mathemata. Non enim foſſori ſcribit, aut meſſori, ſed ei cui poſſit perſuaderi totius terræ eam eſſe, qualem tradunt Mathematici, conditionem, & reliqua ad propoſitum hoc pertinentia*. Lucas vero noſter omnigenæ laudis ſummam conſequutus eſt, quum in Adriæ ſitu recognoſcendo tum Hiſtoriographis, Poetiſque, tum Geographis conſenſerit. Strab. l. 2.

§. XII. Etiam atque etiam aſſertionem meam ejuſdem Strabonis auctoritate confirmo. Quippe ipſe *lib.* 2. ita loquitur: *Timothenes, & Eratoſthenes, & qui eos ætate anteceſſerunt .... magna ignoratione præditi fuerunt rerum Italicarum, Adriaticarum, Ponticarum, aliarumque deinceps Septentrionalium*. Profecto heic Geographorum Coryphæus adſeverat, veteres Scriptores, inter cetera Adriæ ſitum ignoraviſſe: quinam vero, ipſo Judice, iſtum ignorarunt? Plane qui hunc pontum intra Ceraunia clauſere. Rem invidioſam me dixiſſe contendet Adverſarius: attamen aſſertio mea ne latum unguem a veritate deſciſcit; eamque duplici ratione fulciam. I. Strabo tamquam *rerum Adriaticarum* ignaros notat Timoſthenem Eratoſthenem, & alios antiquiores, puta Dicæarchum, Theopompum, Timæum, alioſque a ſe citatos, quorum ſcripta deſiderantur: hi autem ubi Adriam recognovere? Haud

qui-

Digitized by Google

quidem alibi, quam intra Veneti ſinus fauces. Equidem de Eratoſthene ipſe Strabo hæc tradit: *Eratoſthenes enim tria retulit* (Europæ Promontoria), *unum quod ad columnas pertinet, in quo ſita eſt Hiſpania: ſecundum ad Fretum, in quo Italia: tertium ad Maleam, in quo omnes gentes incolunt, quæ ſunt inter Adriam, Euxinum mare, & Tanain*. Iſte ſane Scriptor prætermiſſis populis, inter Jonium magnum, & Ægeum mare incolentibus, rationem eorum habet, qui ſunt inter Illyricum ſinum, & pontum Euxinum, amnemque Tanaim, *noviſſimum*, ut ait Cluverius, *inter Europam, Aſiamque terminum*. (a) Theopompus autem intra eaſdem fauces Adriam agnovit, ut teſtatur Scymnus Chius hiſce verbis: *Theopompus deſcribit vero hujus* (Adriæ) *ſitum: ut quod faucibus junctum Jonico inſulas habet Cycladibus ſimillimas, &c.* Unde perſpicuum eſt, Strabonem nedum veterum Scriptorum Adriam intra Japygiam agnoſcentium, ſententiam calluiſſe, ſed etiam eam ut ineptam habuiſſe. II. Si Strabo non judicaſſet, Adriæ ſitum eos ignoraviſſe qui poſt Fauces illum intruſere; utique iſtorum ſententiam amplexus eſſet: atqui ea contempta ſubſcripſit Dionyſio Characeno, & aliis qui Adriam extra Fauces Jonio ſinui communes protraxere; ergo &c.

Cluver. Introd. Geogr. l. 1. c. 12.

Scymn. in Orb. Deſcri. v. 369.

§. XIII. Tandem, ut Adverſarii os undequaque retundam, ipſum rogo, ut mihi explicet, ubinam Jonium mare Strabo conſtituat? Ita enim melius aſſequi poterimus quem Jonio ſitui ſitum ipſe adſignet. Aſt ille ſtupenti ſimilis nihil reponere mihi videtur, neque vero ullum hujuſce Geographi locum, in quo *Jonii* mentionem hic faciat, abſque *ſinus* additamento. Qui vero Geographorum Dictator Jonium magnum ſilentio prætermiſiſſet, ſi vel *Jonii parvi*, ut vult Adverſarius, nempe *ſinus* intra Japygium, & Garganum concluſi meminiſſet? Anne tantum Geographiæ Doctorem, qui vel minora quæque æquora ſedulo recenſet, ejuſmodi prætermiſſioni obnoxium eſſe arbitreris? Si autem ipſum *Jonii ſinus* nomine intellexiſſe putes *Jonium Mare*, ab omnibus Scriptoribus, Adverſario minime reluctante, extra Ceraunia longe lateque diffuſum; qua ratione hoc poſt eaſdem Fauces ab ipſo intrudi.

(a) Demiror quod ii Scriptores ſummam Adverſarii in congerendis antiquis ac rancidulis auctoritatibus diligentiam fugerint.

di aſſeras? Nemo igitur cordatus in dubium revocare amplius debet, Adriam a Strabone extra hodiernum Venetum Sinum eſſe recognitum, quum *totum id mare*, nempe Ioninm *interius*, & *exterius*, *Adriæ nomen gerere* pronunciaverit.

§. XIV. Quæ quum ita ſe habeant, Strabonem a nobis ſtare juremerito cenſuit doctiſſimus noſter Cajetanus, conſentiens pluribus aliis Scriptoribus; quorum auctoritates ſingillatim proferre ſi vellem, vereri poſſem, ut Lectores meos tædio afficerem. Præterquam quod tantum nobis Geographum rationibus vindicare malui, quam Auctorum teſtimoniis. Attamen quinque producam forte a nemine noſtrum adhuc allegatos. Hi ſunt erudititiſſimi Viri, Carolus Jangolinius, Hieronymus Ruſcellius, Iſaacus Caſaubonus, Petrus Bertius, & Philippus Brietius. Quorum primus ita loquitur: *Queſto mare Adriatico non ſolo comprendeva il ſeno Veneto, ma anche i mari Siculo & Ionio, come teſtifica Strabone; per cui navigò il noſtro S. Paolo* &c. Alter *in ſuis Adnotationibus ad Appiani librum de bell. Hannib.* hæc habet: *Si come ancora Strabone chiaramente (a) deſcrive che il ſeno, o il mar Ionio ſia non tutto l' Adriatico (come Appiano chiariſſimamente lo mette ſempre) ma una ſola parte di eſſo. Nel che Appiano ſegue i Greci più antichi, i quali vogliono, tutto quel golfo eſſer da principio ſtato detto Ionio, e che poi da Adria ſuo figliuolo foſſe detto Adriatico* &c. *Totum* autem *illum Sinum* (*tutto quel golfo*) Ruſcellius accipit pro univerſo mari quod a Venetiis ad uſque Siciliam, Cretamque diffunditur: ſiquidem de ipſo loquens paullo ante dixerat: *Et è quello che da Venezia fin in Sicilia verſo Ponente, & fin alla Morea, & a Corfù, e Candia verſo Levante*. Atque in hujuſce maris exteriori parte (*che è da Bari, o da quei contorni fin in Sicilia, & al mar Egeo*) Strabonis Ioninm recognoſcit. Cui conſonat Caſaubonus: quippe iſte quoque animadvertens, Ionium Sinum a Strabone ante Ceraunia, a Græcis vero antiquioribus interius retrahi, ſic ratiocinatur: *Mibi vero mirum aliquando viſum eſt antiquiſſimos Græcos Ionii ponti appellatione etiam intimum Adriatici Sinus (b) μυχὸν, ubi ſunt oſtia Padi, intellexiſſe. Sic enim appellat Phoronidis an-*

Car. Jangol. Hedengr. 3. cap. 83. Hieron Ruſcell.

Iſaac. Caſaub in Adnot. in lib. 7. Strab.

O *tiquiſ-*

(a) Et tamen in tanta luce cœcutit Adverſarius.
(b) *Receſſum*.

tiquiſſimi auctor apud Dionyſ. Halicarn. lib. 1. *c.* 28. Pone ille adſcribit iſtius Anonymi verba, qui in intimo ejuſdem pelagi receſſu Ionium Sinum agnoſcit. Hinc recolligas quod ſupra diſſerebam, ſcilicet Strabonem haud eſſe antiquiores illos ſequutum, qui Adriam intra Ceraunia intruſerant: ſiquidem Ionium Sinum ab illis Adriæ exæquatum, interiuſque recognitum, extra Ceraunios montes iſte collocat.

§. XV. Idcirco doctiſſimus Petrus Bertius *in ſuis Tabulis Geographicis editis Lugduni Batavorum Anno* 1616. *lib.* 4. in quo Europam deſcribit, ac Melitam delineat, *pag.* 567. Adriaticum mare ad hanc Inſulam a Strabone extendi affirmat. *In utra vero Melita* (inquit) *B. Paulus naufragium fecerit, quidam ambigunt: In Actis refert Lucas, Paulum Adriatico mari jactatum, poſt multos errores, navi fracta, cum ſuis in littus ignotum adpuliſſe; idque poſtea cognoviſſe eſſe Melitam: poſt tres vero menſes navi Alexandrina vectum Syracuſas veniſſe; ipſa narratio indicat Melitam fuiſſe illam Africani littoris, non Illyrici inſulam. Quid enim navis Alexandrina Syracuſas petitura faceret in littore Illyrico? At inquies; jactabatur Paulus Adriatico; at inquam, Adriaticum mare huc uſque extenditur, ſicut docent nos Strabo, & Ptolemæus. Cicero quoque fretum inter Melitam, & Siciliam periculoſum eſſe teſtatur, ut mirum non ſit, in eo fractam navem &c.* Necnon huic conſentiens Philippus Brietius ait: *Mare illud quod Græciam inter Italiamque diffunditur a Freto Siculo ad partem Occidentalem Cretæ, dictum eſt primo Cronium...... ſecundo Celticum...... Tertio Ionium...... Quarto Adrias & mare Adriaticum, ut agnoſcitur ex Strabonis lib.* 2. *& Philoſtrato* 2. *de Iconibus. Quinto Auſonium...... Sexto Siculum ab inſula Sicilia, cujus latus orientale alluit.* En qui loquantur Geographiæ Candidati. Sed jam tempus eſt in Latium de Græcia demigrare.

Phil. Briet. Paral. Geogr. Part. 1. l. 6. c. 5. §. 1.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA.

Latinos Auctores D. Lucæ Synchronos, vel ipſo antiquiores, in Ionio ac Sicilienſi pelago Adriam recognovere.

§. I. VEteres Latini Scriptores non minus quam ipſi Græci Cecropiam Minervam excolebant: plerique Athenas contendebant, ut in ea urbe, tum temporis florentiſſimo Literarum ac Literatorum Amphitheatro, liberales arteis edocerentur, ut Horatius Flaccus, Ovidius Naſo, & alii complures: nonnulli autem vel Romæ Græcos Præceptores, & quidem egregios, nanciſcebantur, ut ipſe Romanæ eloquentiæ Parens Tullius, qui Philonem Academicum in Philoſophicis, Diodorum Stoicum in Dialecticis Doctores habuit. Imo & Græcanicos mores tum viri, tum fœminæ affectabant: Juvenalem audi loquentem de ſui ævi mulieribus. Juven. Sat. 6. v. 187.

Nam quid rancidius, quam quod ſe non putet ulla
Formoſam, niſi quæ de Tbuſca Græcula facta eſt?
De Sulmonenſi mera Cecropis, omnia Græce,
Cum ſit turpe magis neſcire Latine.

Decius autem Ciceroni ſubſcribit, qui *in Bruto*: *Non tam præclarum eſt*, inquit, *ſcire Latine, quam turpe neſcire*: & in *Orat. pro Archia Poeta*: *Si quis minorem gloriæ fructum putat ex Græcis verſibus percipi, quam ex Latinis, vehementer errat: propterea quod Græca leguntur in omnibus fere Gentibus; Latina ſuis finibus exiguis ſane continentur.* Non eſt igitur quod miremur, Græcis ac Latinis Scriptoribus eruditiones ſententiaſque fuiſſe communes. Utrique plane in multis, & maxime in Geographicis conſentiunt, atque in proferendis Adriæ limitibus inter ſe conveniunt. Quum vero Græcos expoſuerimus, Latinos jam producamus.

§. II. Et primo prodeat perpetuus ille orationis Dictator, in quem Natura omnes eloquentiæ vires effudit. Is M. Tullius Cicero.

quidem *lib.* 3. *de Orat. c.* 19. Ionium mare *Superum* appellat, quod ſane cognomentum unanimi Scriptorum conſenſu Adriæ tribuitur: idque Græciæ applicat. *Hæc autem* (ille ait) *ut ex Apennino fluminum, ſic ex communi Sapientiæ jugo doctrinarum facta divortia: ut Philoſophi tamquam in Superum mare Ionium defluerent, Græcum quidem, & portuoſum: Oratores autem in Inferum hoc Tuſcum & barbarum, ſcopuloſum atque infeſtum laberentur, in quo etiam ipſe Ulyſſes erraſſet.* Quem Tullii locum ſibi valde refragantem videns, & ſerenitati, ut ajunt, nubem inducere affectans, hiſce verborum involucris eum extorquere conatur. *Verumtamen* (inquit) *rem facile expedies, ſi cogitaveris Ionium Sinum Græciam quoque aluiſſe: nam Illyrici tractus a faucibus Adriaticis ad uſque Dyrrhachium, etiam nomine Græciæ, vel Macedoniæ vocatus ſæpe eſt ab Antiquis. In eo duæ clariſſimæ cultiſſimæque urbes atque Academię, Dyrrhachium, atque Apollonia, dilectę admodum Ciceroni exulanti, & quarum ſimilem in tota Gręcię ora, Ionio mari obnoxia, reperire non erat. Hanc Tullius Gręciam innuit, &, ne cui facilis pręberetur erroris occaſio, Supero mari perfuſam inquit, quod utique vocabulum Ionio magno, & Ciſhydruntino non competit.* At quidem in hiſce dictis ne una gutta eſt ſenſus veri. Hac enim ratione contendere quis poſſet, Tullium ibi Græciæ nomine Siciliam innuiſſe: ſiquidem & iſta inſula Ionio mari obnoxia eſt; atque in eiplures Græcæ urbes erant, interque alias Syracuſæ, quam urbem Græcarum maximam fuiſſe teſtatur idem Cicero; necnon Lilybœum, ubi Græcanicas literas Verrem didiciſſe ille ipſe affirmat. Sed prius mare vitem ferre credam, quam Illyricum a Tullio Græciæ nomine indigitari. Novi equidem Romanos univerſam Græciam in duas provincias diviſiſſe, Macedoniam ſcilicet, atque Achajam: ſed novi etiam, ſub hac ſecunda, ut nos docet Cluverius, Græciam proprie dictam contineri; atque hanc ab Illyride haud ſecus, atque a Troglodītis apud Scriptores omnes diſcriminari. Quippe exundans ille Atticæ eloquentiæ fons, Demoſthenes, quem aſſidue legebat, interpretabatur, ac æmulabatur idem Tullius, ita loquitur: *Illyrios, & Triballos, & nonnullos etiam Græcorum ſubegit Philippus.* Quintus Curtius autem hæc habet: *Zoilus D. equites ex Gręcia adduxerat: tria millia ex Illyrico Antipater miſerat.* Sed quid opus eſt plureis Auctores allegare, ſi Ad-

In ſp. 2. Diatr. 1. §. 16.

Cicer. Verr. 6.

Cluver. Intr. Geogr. l. 4. c. 6.

Demoſth in Orat. pro Cteſiphonte.

Q. Curt. de reb. Alex. M. lib. 6.

In ſp. 2. Diatr. 4. §. 21.

ſi Adverſarius ipſe ſibi de more ſuo repugnans, Theophraſti auctoritate Græciam ab Illyride diſcernit, illamque extra Venetum Sinum agnoſcit? Theophraſtus vero ſic inquit: *Multa etiam in Arcadia, & agro Laconico exeunt: nam ea quoque regio medicaminibus ſcatet. At odoratorum nihil in his penitus, conſecratrice excepta, quæ in Illyride, & circa Adriam provenit: & laudata quidem, ceteriſque longe præſtantior.* Adverſarius autem in illis regionibus, ſcilicet Arcadia, & Laconia Græciam recognoſcit, quam modo in Illyridem transferre conatur: &, quod magis admiratione me complet, Ciceronem ipſum, nempe nitidæ, puræ, ac propriæ loquutionis Auctorem, quaſi neſcium quam diſtent æra lupinis, alteram pro altera accepiſſe contendit. Quandoquidem Tullius Græcum pelagus accipit pro mari veræ Græciæ affuſo: nimirum *eo loco* Athenas innuit; quo Philoſophi confluebant; illic enim Stoicorum, illic Academicorum celebres erant Paleſtræ. Quid quod ipſe Adverſarius alibi fatetur, Romanos Græci maris appellatione Ionium magnum inſigniviſſe? Quoniam vero memoria ille vacillat, ſua met verba a nobis accipiat. *Unumquodque mare (Siculum, Ionium) Græciæ affuſum, plebejo vocabulo Romanum vulgus Græcienſe appellavit.* Quis autem illius verſutias, & fruſtrationes mirari ſatis poteſt? Vides ut heic Ciceronianam plane ſententiam plebi vulgoque Romano ille adſcribat, ut nobis tantum Scriptorem abjudicet! Sed aquam in mortario tundit.

Theophr. l. 4. Hiſt. Plant. c. 6.

In ſp. 2 Diſſert. 1. §. 28.

§. III. Nec tamen ab inani ſuo conatu ille deſiſtit: quippe alium Ciceronis locum, tamquam Gorgonis caput, nobis objicit. Tullius enim *in Piſoniana* hæc habet: *Nocte intempeſta* (Piſo) *crepidatus veſte ſervili navem conſcendit, Brunduſiumque vitavit, & ultimas Adriani maris oras petivit.* Vides-ne, clamat geſtiens Adverſator, ultimas Adriæ oras non procul a Brunduſio recognoſci? Pol haud video. Cur autem videam? Anne quod aſſerat Tullius, Piſonem vitato Brunduſio ultimas illius pelagi oras petiviſſe? At quoque Lucas ait, Paulum e Melita profectum deveniſſe Syracuſas; & tamen Adverſarius contendit, tunc Apoſtolum diſceſſiſſe ab Inſula Dalmatenſi, longiſſime a Syracuſis diſtante: additque hunc eſſe breviſſimum loquendi modum Scriptoribus peruſitatum, interque alias auctoritates hanc allegat; *Elegit* (Jonathas) *viros, & miſit eos Ro*

Machab. 1 c. 12.

mam.

mam .... & abierunt Romam, & intraverunt Curiam, &
Inſp. 8. Diatr. 2. §. 10. *dixerunt &c.* Queis verbis hæc ille ſubnectit : *Si ſolis verbis inſiſtimus, nonne Roma in confinio Judææ, & Curia in Romæ januis poſita fuiſſe videtur?* Cur ergo, mi Tergiverſator, *ſolis verbis inſiſtens*, ex eo Ciceronis loco elicis, Adriæ finem in Brunduſii confinibus ab ipſo conſtitui; quandoquidem ille, ut ſupra oſtendebam, Jonio magno *Superi*, ſeu *Adriani* maris nomen adtribuit? Ætatem autem, qua Tullius, aliique Scriptores floruerint, quos *in hac Diſſert.* ex ordine producturi ſumus; exprimere ſupervacaneum exiſtimo, quum ea vel Semieruditis innoteſcat.

Julius Cæſar. §. IV. Cajus Julius Cæſar, Ciceronis homochronus, Græciæ quoque Adriam affundit. Nempe *lib.* 1. *bell. civ.* hæc ille ſcribit : *Neque certum inveniri poterat, obtinendi-ne cauſa Brunduſii, ibi remanſiſſet* (Pompejus) *quo facilius omne Adriaticum mare cum extremis Italiæ partibus, regionibuſque Græciæ in poteſtatem haberet, atque ex utraque parte bellum adminiſtrare poſſet.* Attamen talis tantaque eſt Adverſarii adrogantia, ut & hunc Auctorem in ſuas partes advocet : nimirum ad eumdem offendens lapidem, Græciam in Illyrico agnoſcit; quamvis de Græcia *extremis Italiæ partibus* oppoſita nitide loquatur Cæſar : cujus tamen ſenſa
Inſp. 2. Diatr. 4. §. 35. ſic ille detorquet. *Commode* (inquit) *mari univerſo Adriatico potiebatur quiſquis Brunduſii cum claſſe aderat : in proximo enim, ceu ſub cuſtodia, habebat Oſtium vel Fauces Adriæ, cujus obtinendi ergo, Cæſar quoque circa eaſdem Fauces, ut pridem ex Floro cognovimus, Dolabellam cum claſſe locaverat.* Sed ex Floro quoque, ac Tullio cognoſcere debebat Adverſator, quod Cæſar locaverat etiam Antonium in Corciræo littore, hoc eſt in Jonio magno, Græciam præterfluente; & Curionem in Siculo mari. *Exea-*
Cicer. lib. 10. ad Attic. Ep. 6. *mus modo* (inquit Cicero) *quod ut meliori tempore poſſimus, facit Adriatico mari Dolabella, Freto Siculo Curio.* Florus
Florus lib. 4. cap. 2. autem ſic ait : *Quippe cum fauces Adriatici maris juſſi occupare Dolabella & Antonius, ille Illyrico, hic Corcyræo littore caſtra poſuiſſent, jam maria late tenente Pompejo* &c. Vides ut Corcyreum littus, Græco allutum pelago, ab Illyrico diſcriminet quoque Florus! Vides τὸ *omne Adriaticum mare*, quod a Pompejo occupatum iri ſuſpicabatur Cæſar, convenire hiſce Flori verbis; *maria late tenente Pompejo*! *Maria* quidem *late tenebat* qui Adrianum ma-

re,

Digitized by Google

re, Ovidio teſte, *late patens*, Siculoque immixtum occupabat. Quid quod Dio Caſſius quoque teſtatur Pompejum cum Illyricum, tum Sicilienſe pelagus tunc occupaſſe? Dio Caſſius Hiſt. lib. 48.

§. V. Latinorum Hiſtoricorum facile Princeps Titus Livius abſque ulla dubitatione Siculum pontum ut Adriæ partem habet: ſiquidem *lib.* 5. *capp.* 98. & 99. Italiæ duo tantum maria applicat, nempe Inferum ſeu Tyrrhenum, Superum ſeu Adriaticum, iſtoque vocabulo comprehendit omne id mare quod Tyrrhenum non audit. Accipe nitidiſſima ipſius dicta: *Tuſcorum ante Romanum Imperium late terra marique opes patuere: mari Supero, Inferoque quibus Italia inſulæ modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento, quod alterum Tuſcum communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum mare ab Adria Tuſcorum colonia vocavere Italicæ gentes. Græci* (nota ut Latinis conſentiant) *eadem Tyrrhenum, atque Hadriaticum vocant. Ii in utrumque mare vergentes, incoluere urbibus duodenis terras, prius cis Apenninum ad Inferum mare, poſtea trans Apenninum totidem quot capita originis erant coloniis miſſis, quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt maris, uſque ad Alpes tenuere.* Eadem ferme ſenſa ipſe confirmat *lib.* 23. *cap.* 29. Necnon eodem *lib. cap.* 26. Jonium mare cum Adria perſpicue confundit, quum illud in Veneto ſinu recognoſcat: quippe ibi aſſerit, Philippum Macedoniæ Regem aliis Regibus *propiorem Italiæ, ac mari tantum Jonio diſcretum* ab iſta fuiſſe. Inter Italiam autem, & Macedoniam fluere Adriam, nemo ignorat; ideoque Jonium mare, & Adriam, tamquam duo nomina, unum vero pelagus a Livio haberi nemo ibit inficias. T. Livius

§. VI. Q. Horatius Flaccus non unico in loco Adriam cum Jonio magno, ſeu Siculo mari confundit. Quippe *lib.* 1. *epiſt.* 18. illum Græciæ applicat: celebrem illam navalem pugnam inter Cæſarem & Antonium ad Actium Epiri Promontorium, in Adriano æquore commiſſam fuiſſe adſeverat:

.... Actia pugna
Te duce per pueros hoſtili more refertur.
Adverſarius eſt frater: lacus Adria ....

Et *Od.* 33. *lib.* 1. illum Italiæ fronti, ſeu Magnæ Græciæ, Calabriæ vulgo dictæ affundit:

.... fretis

Digitized by Google

.... fretis acrior Adriæ
Curvatis Calabros ſinus.

Heic autem noſter Zoilus Calabriam pro Japygia ab Horatio uſurpari contendit: ſed miſere fallitur: quandoquidem Flaccus enucleate loquitur de tribus Magnæ Græciæ ſinubus, quos Auſonio mari perfundi tradit Plinius *lib. 3. cap.* 10. Atque in iſtos ſinus dividit Adriaticum mare doctiſſimus Geographus Philippus Brietius, nempe *in Tarentinum, Scyllaceum, & Brutium*. Quid plura? Non-ne Horatius ipſe, ut nuper oſtendi, Adriam Epiro applicavit? Qui ergo ipſum Magnæ Græciæ non aſſuderit, ſi tum hæc, tum illa regio ſeſe invicem ſpectant, & Sicilienſi pelago æque alluuntur?

Phil. Briet. Parall. Geogr. part. 1. l. 6. cap. 5. §. 5.

Sex. Propertius.

§. VII. Sextus Propertius Adriam Jonio magno exæquat: ſiquidem illum adusque limites Ægæi maris producit: *lib.* enim 1. *eleg.* 6. ita canit:

Non ego nunc Adriæ vereor mare noſcere tecum
Tulle, neque Ægeo ducere vela ſalo.

Adverſarius tamen autumat, Propertium figura Poetis uſitata Jonium magnum diffuſum inter Adrianum ſinum, & Ægæum mare prætermiſiſſe; ſed ille valde allucinatur; nam Poeta in ipſo Jonio magno Adriam recognoſcit: Tullus enim iſte ex Italia per Adriam migrabat Athenas, Siculo ponto adjacentes; perque Ægæum pelagus Aſiam petebat, ut ipſemet Propertius in eadem Elegia (quam falſo ut octavam habet Adverſarius) Tullii iter exponit hiſce verſibus:

At mihi ſi tanti doctas cognoſcere Athenas,
Atque Aſiæ veteres cernere divitias.

Nec nobis obſunt ejuſdem carmina ab Adverſario allegata, videlicet hæc:

Ergo ego nunc rudis Adriaci vehor æquoris hoſpes
Cogor, & undiſonos nunc prece adire Deos.
Deinde per Jonium vectus, cum feſſa Lechæo
Sedarit placida vela phaſelus aqua.

Nimirum heic de Adriano ſinu enucleate is loquitur, Adriam totum per ſuas partes, uſitatiſſima cum Poetis, tum Oratoribus figura, deſcribens. Revera Oratorum Princeps de toto Adria loquens, eum cum Siculo mari confundit, ut *in* §. 3. *hujus Diſſert.* oſtendi; ejus vero partes recenſens, ſcilicet interiorem, ac exteriorem, *banc*

Si-

Siculi Freti appellatione indigitat, & ab illa interiori, nempe ſinu Veneto, diſtinguit, ut *in Diſſertat.* 5. *§.* 5. oſtenſum ibo.

§. VIII. Publius Ovidius Naſo Adriæ, & Ionii maris jura confundit, utrumque iiſdem additamentis deſignans: quippe *lib.* 4. *Faſt. ait: Adriacumque patens late, bimaremque Corinthum*: atque eodem *lib. Ionium capax* dixit: quod etiam conſonat illi Juvenalis: *Tyrrhenos etiam fluctus, lateque ſonantem pertulit Ionium*. Recte igitur animadvertit Samuel Bochartus, *late patentem* a Naſone dici Adriam, propterea quod iſte vel Siculi maris jura obtineat. Sed Adverſarium audio, velut in Tragœdia, exclamantem: *Veſtram fidem Hydrographi, anne ulli homini nato id hactenus viſum, quod Adriatico mari a Faucibus per quingenta amplius millia paſſuum in interiora uſque ad Aquilejam diffuſo, nomen late patentis non congruat!* Congrueret plane, ſi Adriaticus Sinus Ionium mare ſibi adhærens, latitudine ac longitudine excederet, aut ſaltem exæquaret: quum tamen ille intra Ceraunia coerceatur; alterum vero ad uſque Cretam, & Africæ oras expatietur; nequaquam illi, ſed iſti ampliſſimum *latepatentis* nomen competit. Et ſane ridiculum eſſet, e duobus maribus contiguis, quorum alterum altero majus, minori *late patentis* nomen tribuere, aut majus æque ac minus eadem nomenclatione inſignire. Nonne vides, a Scriptoribus cum Adriam, tum Ionium univerſum *late patentis*, ſeu *late ſonantis* nuncupatione promiſcue indigitari, quod duo ſint nomina, unum mare? Et quidem ſapientiſſimus Geographus Abramus Ortelius ita inquit: *Apud Ptolemæum Hadriaticum mare aliud eſt ab Hadriatico Sinu: hunc enim inter Italiam, & Illyricum concludit; illud autem inter Siciliam, & Peloponneſum, cui ſubſcribere videtur Ovidius* 4. *Faſt.*

Ovidius. | Juven. Sat. 6. | Inſp. 2. Diatr. 3. §. 6. | Abr. Ortel. in Theat. Geogr verb. *Hadriatic. Sinus.*

§ IX. Sed Adverſarius noſter, Cæcia rixoſior, tumultuatur, ac reclamat, allegans Pomponium Melam, ac Marcianum Heracleotem, quorum auctoritate Illyrico Sinui *late patentis* nomen aptare conatur; ſed fruſtra: Nimirum Marcianus *in Periplo* maximos omnium Sinuum recenſens nonum locum Adriæ, ſeu Ionio Sinui aſſignat: ſed noſter Antilegon, ut eſt in Adagio, ſuum irritat, ſiquidem Auctorem advocat ſibi reluctantem. Quidpe Marcianus duplici ratione nobis aſtipulari dicendus eſt. I. Quod

Ionium Sinum pro univerſo Ionio accipit. II. Quod eum Adriæ æqualem facit. Et quidem haud maximum inter alios Ionium Sinum is diceret, niſi hunc, tum interius tum exterius Ionium complecti arbitraretur. Reapſe Pomponius Mela, qui etiam ipſum inter maximos Europæ Sinus adnumerat, eum accipit pro mari, quod ab Aquileja ad Cretam uſque diffunditur, ut *in ſequenti §.* videbimus. Quid quod ipſe Naſo mentem ſuam aperit *lib.* 1. *Triſt. Eleg.* 10. ubi a Brunduſio aduſque Peloponneſum, nonniſi Adriaticum pelagus agnoſcit? Audi qui ibi canat:

Litera quæcumque eſt toto tibi lecta libello,
Eſt mihi ſollicito tempore facta viæ.
Aut hæc me gelido tremerem cum menſe Decembri,
Scribentem mediis Adria vidit aquis.
Aut poſtquam bimarem curſu ſuperavimus Iſthmum,
Alteraque eſt noſtræ ſumpta carina fugæ.
Quod facerem verſus inter fera murmura ponti,
Cycladas Ægæas obſtupuiſſe puto.

Ut Antilegonti noſtro morem gererem, & in aliquo conniverem, conſulto omiſi alteram minime contemnendam hujus loci interpretationem a nonnullis acerrimi judicii viris factam, qui Ovidium (*) e Tuſco mari ad Iſthmum Corinthiacum trajeciſſe autumant. Sat enim eſt mihi, quod vel illius interpretatio nobis ſuffragetur. Hoc tamen ferre non poſſum, quod ille, quum ſeſe perſpicuis, ſolidiſque rationibus victum videat, ad fallacias, doloſaſque fruſtrationes confugit. Nempe eo loco Naſonem ex figura Poetis familiari poſt Adriæ mentionem Siculum pelagus ſilentio involviſſe ille contendit. Aſt cui bilem non moveant hujuſmodi tergiverſationes? Quis unquam gravis ac ſeverus Diſceptator adeo fallacibus argumentis pugnare velit? Plane hoc pacto cunctos ferme Scriptores ſententiæ noſtræ conſentientes, nobis abjudicare ille poſſet. Si nempe Ovidius poſt Adriam recenſuiſſet mare Sicanum, protinus illum, uti alterum ab altero diſtinguentem in ſuas partes advocaſſet Adverſator: quum tamen ille unico Adriæ vocabulo utrumque pelagus deſignaſſet; hanc eſſe figuram Poe-

(*) Ea ſane erat compendiaria Romanis Orientem petentibus, ut nempe Puteolos accederent, quo Ægyptiæ Onerariæ confluebant, indeque ſolverent &c. ut oſtendam *in Diſſert.* 14. §. 7.

Poeticam dictitat noſter Impoſtor : at iſte auribus Batavis ſimilia occinat.

§. X. Pomponius Mela duobus in locis ſententiæ noſtræ opitulatur : Nimirum *lib.* 1. *cap.* 2. Adriam interiorem ab Ionio, ſive Adriatico exteriori diſcriminat, ita loquens : *Mare quod primo Sinu accipit* (Europa) *Ægæum dicitur ; quod ſequenti in ore Ionium , Adriaticum interius : quod ultimo nos Thuſcum, quod Graji Tyrrhenum perbibent.* Vides ut Mela quoque Adriam dividat in Adriaticum *interius*, & Ionium, ſeu Adriaticum *exterius!* Quidquid enim interiorem habet partem, & exteriorem habere debet. Id forte advertens Adverſator τὸ *interius*, accentu affecit, ut adverbium videretur, quum tamen ſit purum ac putum nomen comparativum, ſi Grammaticos conſulamus. Porro nos hunc locum protulimus ex optima Aldi editione, in qua *interius* ſine accentu, veluti adjectivum, ponitur. Et ſane Pomponius in unico Sinu (ſic ille vocat univerſum Ionium) binas hujuſce maris partes, mutuam inter ſe relationem habentes, recognoſcit, & ſicut ex pictoria arte deſignat. Quod etiam atque etiam confirmat *lib.* 2. *cap.* 2. ubi Livio, Tullio, aliiſque inſignibus Auctoribus conſentiens, Italiam Adriatico, ac Tuſco mari circumlutam eſſe affirmat: itaque exteriorem Adriæ partem Italiæ fronti, ſeu magnæ Græciæ, quam Tyrrhenum minime pertingit, applicare procul dubio ille videtur: ſiquidem interiorem ejuſdem æquoris partem, *præcitato lib.* 1. *loco*, Illyrico Sinui exæquat. Cui conſonat Plinius, univerſum Ionium pariter Sinus nomine indigitans, ipſumque bifariam dividens, ſcilicet in Adriaticum interius, ſeu Superum, & in exterius, quod *inferum* appellat: & quidem recte ; nam ſicut interius ſine exteriori non ſubſiſtit, ita nec ſuperum ſine infero: & quum interius Adriaticum in Septentrionem vergat, exterius autem in Meridiem, merito illud *Superum*, hoc *inferum* a Plinio vocatur. Quum vero communiter Inferi maris nomine Tyrrhenum inſigniatur; iſtius Pliniani loci ſententiam haud omnino aſſequuti ii ſunt, qui non adverterunt *inferum* ibi a Plinio dici Adriaticum extra Fauces diffuſum ad diſcrimen Adriatici intra Fauces concluſi, ideoque interioris ac Superi appellati Sed de iſto Plinii loco ſatis egimus *in ſuperiori Diſſert.*

Pomponius Mela.

Plin. lib. 3. c. 26.

§. XI. M. Annæus Lucanus in quo mari Adriam agnoſcit? Si Adverſario credas, in Dalmatenſi; ſi vero ejuſdem

Lucanus.

P 2 Poe-

Poetæ mentem attendas, in Ionio magno, in Siculo, in Cretico mari. Dubitas? Ipſum audi:

Illic bellaci confiſus gente Curetum,
Quos alit Adriaco tellus circumflua ponto,
Clauditur extrema reſidens Antonius ora.

Heic ſane de Cretenſibus auxiliaribus loqui Lucanum adſeverat doctiſſimus Omnibonus in hunc locum. Cretenſes autem dictos fuiſſe Curetes (a) aſſerit Strabo lib. 10. *Suſpicantur etiam* (inquit) *Idæorum Dactylorum poſteros eſſe Curetes, & Corybantes* (τούς τε Κυρῆτας (b) καὶ τούς Κορύβαντας:) *primos C. viros in Creta natos* &c. Necnon Diodorus Siculus ita loquitur: *Primi, qui quidem memoriæ tradantur in Creta circa Idam habitarunt Idæi Dactyli, hoc eſt Digiti appellati...... Poſt Idæos Dactylos ſequuti ſunt Curetes*: a quibus, quum prudentia eminerent, multa ad vitam utilia fuiſſe inventa ipſe ſubjungit. Plura alia Lucani loca perperam allegat Adverſarius; hunc tamen locum, tamquam Syrtim, dirum naufragium ſibi minitantem, evitare ſatius duxit.

Diodor. Sic. l. 5. c. 15.

Plinius Secundus.

§. XII. Cajus Plinius Secundus, cujus ſententiam male detorquet Adverſarius, ut oſtendi *in Diſſert. præcedenti*; a nobis omnino ſtat. Is enim *lib.* 12. *c.* 1. Ionii maris nomen Adriæ tribuit. *Hæc* (Platanus) *per mare Ionium in Diomedis inſulam, ejuſdem tumuli gratia, primum invecta* &c. Necnon *lib.* 3. *c.* 26. Saſoni inſulæ Ionium mare affundit. *In Ionio autem mari* (inquit) *ab Orico M. M. paſſ. Saſonis, piratica ſtatione nota*. Utramque vero inſulam Illyrico æquore irrigari in controverſiam minime vocat humaniſſimus noſter Antagoniſta: qui enimvero inficiari id poſſit, ſi vel Oricum M. M. paſſ. ante Saſonem jacentem in Adriatico Sinu ipſe recognoſcit? Unde liquido liquet, Ionium ſeu Siculum mare, & Adriam a Plinio promiſcue uſurpari. Mirari autem ſatis non poſſum quod doctiſſimus Brietius aſſerat, Ionium mare a Plinio collocari *ex Apollonia ad Hydruntem*, quandoquidem iſte, ut exponebam, illud recognoſcat vel ad Diomedis inſulam interius poſitam.

Phil. Briet. Paral. Geogr. part. 1. l. 6. c. 5. §. 6.

§. XIII.

(a) *Curetes* etiam dicti ſunt Sabini: Ovidius 6. *Faſt. Sic voluere Cures.* Ætoliæ quoque populi a Scymno Chio vocantur Κυρῆτες.

(b) Ab iſtis progenitos novem Κορύβαντας ſubdit idem Strabo.

§. XIII. *C. Julius Solinus* (inquit Adverſarius) *de Adriæ finibus cum ſupralaudatis Mela, Plinioque conſentit*. Et ego conſentio. Quippe Mela, Pliniuſque; ut vidimus, Adriam cum Jonio, ſeu Siculo mari permiſcent; cum quibus & illum confundit Solinus. Nempe hic *Polyhiſt. cap.* 10. hæc profert electro lucidiora. *Sunt & alii duo montes* (in Sicilia) *Nebrodes, & Neptunius. E Neptunio ſpecula eſt in pelagus Tuſcum, & Adriaticum*. Io triumphe. Eat nunc noſter Contradictor, & Adriam intra Ceraunia concludat. Nobis tamen hunc pontum, monente Solino, licebit aſpicere e Neptunio, monte inter Nebrodilem ac Meſſanam & Tauromenium ſurgente. Qui vero id fieri poteſt? Neque enim ex iſto loco Illyricum cernere valeret ipſe (a) Lynceus. Aſt quod Illyricum ſomnias? Nonne advertis Siculum eſſe hoc mare, quod Adriaticum vocat Solinus? Et quidem hoc jampridem advertit eruditiſſimus P. Maſſa, qui in libro cui titulus: *Sicilia in proſpettiva*, hæc habet: *Dinnamare monte altiſſimo nel fianco di Mezzogiorno circa otto miglia diſtante da Meſſina, nella di cui cima fu in quei primi ſecoli edificata una torre di guardia, dove vegliavano di continuo le ſentinelle per iſpiare l'uno e l'altro mare, Tirreno, ed Adriatico, che da quell'eminenza entrambi ſi ſcuoprono: motivo di nominarſi dal volgo Diannamari, con voce per avventura corrotta dall'antica dizzione bimaris, quaſi ſi voleſſe ſignificare monte di due mari, mentre li ſignoreggia entrambi .... Nelle antiche iſtorie da Solino è detto Nettunio, e da Polibio, e da Diodoro Calcidio per quel che ne giudica il P. Placido Samperi* &c.

Solinus.

§. XIV. Sed quoniam bonis avibus, æſtuque ſequundo navigamus, quaſdam noſtri Critici animadverſiones in Solinum, Pliniumque examinemus, ipſumque Cluverii correctorem corrigamus. Inſuper adverte (ille inquit) men- ,, dum eſſe in Solino cap. 26. ubi ait: *Horum* (marium, ,, ſinuumque) *qui Hiſpanias perfundit, Ibericus fertur, &* ,, *Balearicus: qui Narbonenſem provinciam Gallicus: mox* ,, *Liguſticus: Ab eo ad Siciliam Tuſcus, quem Græci Jonium,* ,, *vel Tyrrhenum, Itali Inferum vocant*. Etenim Plinius ,, ,, lib. 3.

Iſag. 2. Diſſ. 1. § 7.

(a) Lynceus fuit unus ex Argonautis adeo mira oculorum acie præditus, ut, Varrone teſte, 130 M. P. proſpiceret, & exeuntes e Carthagine naves ex Lilybeja ſpecula dinumeraret, ut etiam tradit Strabo lib. 6. Eum fuiſſe monoculum aſſerit Solinus: Si hoc verum; minus recte dicitur: *plus vident oculi, quam oculus*.

„ lib. 3. cap. 5. unde hæc omnia Solinus prope ad verbum „ exſcripſit, pro *Jonio* habet *Notium*, hoc eſt pelagus Meridianum Italiæ. Itaque Plinianum nodum reſolvimus; „ nec quicquam cauſæ fuit, cur Plinii ſententiam non aſſecutus Cluverius, eidem iraſceretur, & inconſtantiæ, „ incuriæque argueret immerentem. En qui Scriptorum mentem perfecte aſſequitur! En qui Criticorum acerrimus audire promeretur! Attamen, bona tanti Critici venia, nec Solini mendum, neque Plinii nodum bene reſoluta eſſe arbitror. Nimirum pro *Jonio* Solini, & pro *Notio* Plinii ſubſtituendum eſt *Auſonium*, itaque exſcriptorum mendum corrigendum: namque Græci Tyrrhenum mare, non *Jonii*, neque *Notii*, ſed *Auſonii* ſynonimo vocabulo nominabant. Si mihi fidem adhibere Adverſarius recuſet, Dionyſii Halicarnaſſenſis audiat verba, quæ proferimus ex

Dionyſ. Halicarn. lib. 1.

ſupralaudata interpretatione Franciſci Venturi. *Ma Oenotro* (ille ait) *maggior parte d'eſercito menando ſeco venne nell'alto golfo, che dallo Occidente lungo l'Italia ſi ſparge, il quale allora certamente AUSONIO da quegli Auſonj, che abitavanlo, era chiamato; ma poſcia che i Tirreni ebbono la ſignoria del mare, preſe quel nome che al preſente ha.* Ubi quoque notandum a Dionyſio Tyrrhenum mare non ad Meridiem, ut vult Adverſator, ſed ad Occidentem Italiæ applicari. Atque hinc etiam colligas, quam minus recte is aſſeruerit, Auſonium mare ab antiquis inter Tuſcum pelagus, ac Salentinos fuiſſe concluſum. *Rari Antiquorum* (inquit) *maris Auſonii meminere, attamen hæc quantalacumque memoria ſemper apud ipſos cum Epiri, vel Italiæ, numquam cum alius remotioris oræ mentione conjungitur: unde etiam nec imprudenter colligo totum revera Auſonium intra quos dixi terminos* (nempe a Tyrrheno mari ad Salentinos) *& juxta Italiam (a) conſtitiſſe* &c. Quid autem dicam de malis dolis artibuſque iſtius Veteratoris? Siquidem ipſe nedum eum Solini locum callide diſſimulat, ſed etiam Cluverium, qui eum ut nobis ſuffragantem, innuit, allegatque, licet non expreſſa loci mentione injuſte ac temere objurgat, mendaciique inſimulat!

§. XV.

(a) Nempe ultra Siciliam, cui tantum Siculum pontum is applicat, Auſonium Italiæ fronti, ſeu Magnæ Græciæ affundens. Itaque nedum Dionyſio ille repugnat, ſed & ipſi quem allegat Straboni, Auſonium cum Siculo mari confundenti, ut in ſuperiori *Diſſert.* oſtendi.

§. XV. Papinius Statius pro nobis pugnat, & quidem ſtrenuiſſime: quippe hic maria per quæ navigaturus erat e Tuſco mari Metius Celer, ordinatim recenſens, ita canit *lib. 3. Sylv.* *Papinius Statius.*

.... Quis cuncta paventi
Nuncius, an facili te prætermiſerit unda
Lucani rapida ora maris? Num torva Charybdis
Fluctuet? Aut Siculi populatrix Virgo profundi?
Quos tibi currenti præceps ferat Adria mores?
Quæ pax Carpathio?

Attamen tanta eſt Adverſarii pervicacia, ut Papinii ſenſa perſpicue nobis opitulantia, in lævam partem, contra Sapientum interpretationem, torquere conetur. Porro inter alia futilia ac ridicula, aſſerit a Statio ibi non Adriam, ſed ipſius impetum (quem *la Fogara del Golfo di Venezia ille vocat*) indicari. Quis unquam talem ineptiam audivit? Nonne ipſe Adverſator nos exſibilaret, ſi D. Lucam *pro propagato ad Fretum Siculienſe Adriaticæ tempeſtatis impetu* Adriam accepiſſe diceremus. Æquo igitur animo nunc illa noſtra, omniumque Literatorum ſibila perferat. Ipſe quidem Æſopicam vulpem, pendulos e ſublimi trichila botros deſpicientem, æmulans, veram Statii ſententiam, quum hanc in ſuas partes trahere non valeat, tamquam novam, ſingularem, & a Latino Poeta prolatam contemnit. At quot ille ipſe Latinos Poetas, utut invitos ac reluctantes, advocat! Singulare autem ac novum haud eſſe Papinii teſtimonium, cuicumque legerit quæ diſſeruimus, ac diſſeremus, ſatis ſuperque conſtabit. Inſp. 2. Diatr. 3. §. 8.

§. XVI. Sed ut debiti Poetis honores perſolvantur, Geographorum Principis de eis judicium proferam. *Haud enim* (is inquit) *illud Eratoſthenis verum eſt, Poetas omneis non docendi, ſed oblectandi gratia conjecturis agere. Contra vero ſapientiſſimi, qui de Poeticis quicquam elocuti ſunt, primam quamdam Philoſophiam Poeticam eſſe aſſerunt.* Poſt quæ verba principem inter Geographos locum Homero ille adſignat. Platonicus vero Socrates Sapientiæ patres ac duces reputat Poetas. *Poetarum* (inquit) *adminiculis peragendum, hi namque nobis tamquam patres atque duces ſapientiæ ſunt.* Quid plura? Nonne ipſe Paulus & legebat, & allegabat Poetas? Profecto Athenienſibus verba faciens, inquit: *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus:* Strab. lib. 1. Plato de amicit. lib. 12. Act. 17. 28.

ſicut

Digitized by Google

ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt : Ipſius enim & genus ſumus. Quum igitur, Dorotheo, ſeu Synopſis Auctore atteſtante, ſub ejuſdem Apoſtoli ductum hiſtoriam ſuam conſcripſerit Lucas, & hic Poetarum eruditiones ſententiaſque minime neglexiſſe dicendus eſt. Equidem licet Vates quandoque non vera, ſed veroſimilia promant, proque propriis vocabulis impropria uſurpent; itaque certum pelagus pro quolibet mari accipere ſoleant; id tamen faciunt, quum aliquam proprietatem cuicumque ponto communem velint exprimere, puta æſtus, procellas, diſcrimina, inſtabilitatem &c. non ita vero quum regiones ac itinera Geographice deſcribant. Etenim quum optimos Poetas agere ſtudeant, nequaquam peſſimi Geographi audire affectant. Sed quid amplius heic inſiſto? Hoc idem fatetur, meritaſque Vatibus laudes tribuit noſter Antagoniſta: nempe is qui modo Statium, ut Poetam, parvipendebat: tanta quidem eſt ejus inconſtantia & verſutia. *Amant prae-*
Infr. 2. Diatr. 6. §. 7. *terea* (ipſe inquit) *Poetæ duorum marium limitibus nonnumquam* (nota captioſa verba) *ſed moderate abuti propter proximitatem, proindeque alterutrius confinia non magno nec magnifaciendo tractu in alterius ſpatia prolatare. Sic Horatius* (a) *lib.* 1. *epiſt.* 18. *Adriam ad Corcyram Epiroticam; & Ambracium ſinum protraxit*. Nimirum hiſce captionibus fruſtrari nos ille molitur, quum Poetas Adriam extra Illyricum ſinum prolatantes adverſus ipſum allegemus. At iſtis artibus nihilum ipſe præſtabit; namque ut vidimus, & amplius demonſtrabimus, Poetæ in proferendis Adriæ limitibus ceteris Scriptoribus, & maxime Geographis conſentiunt.

Juvenalis. §. XVII. Decius Juvenalis Adriam, ſive Jonium ſinum (qui Adverſario idem eſt atque Adria) in mari Siculo agnoſcit: quippe cujuſdam Hippiæ ab Urbe diſceſſum deſcribens, ita canit *Sat.* 6.

Tyrrhenos (*b*) *igitur fluctus, lateque ſonantem*
Pertulit Jonium conſtanti pectore, quamvis
Mutandum toties eſſet mare ....

Heic

(a) En cui recte iſtud tendat Adverſator, nempe ut ipſo Flacuum aucupetur, quamvis hic ſeſe ejus inſidiis extricet, & liber aufugiat in Auctorum nobis faventium turmam. (b) Pro *igitur* Adverſarius ibi ſubſtituit *etiam*; contra quam legitur in optimis Juvenalis editionibus.

Digitized by Google

Heic Ionium non pro *mari*, ſed pro *ſinu* ejus nominis a Poeta accipi non ibit inficias Adverſarius, qui Ionium *maſcula terminatione*, *& abſque ullo additamento* numquam pro *mari*, ſemper vero pro *ſinu*, quem Adriæ is exæquat, uſurpari contendit. Sed nos ſolidiori animadverſione moti credimus, Juvenalem ibi Adriam *Ionii* vocabulo innuere: quippe ipſum late ſonantem vocat, Ovidio ſubſcribens, qui *Adriacumque patens late* dixit. Reapſe antiquus illius Scholiaſtes in eum locum hæc adnotavit: *Navigatura de Tyrrheno mari ad Adriaticum, de Adriatico ad Ægæum tranſitura*, nempe Hippia. Vides ut nobis conſentiant non ſolum veteres Scriptores, ſed etiam antiqui eorum Interpretes atque Scholiaſtæ! Inſp. 2. Diatr. 1. §. 14.

§. XVIII. Quid aliud igitur reliquum eſt Adverſario, quam ut fidem ſuam liberet, nempe manus tollat, digitum exerat, pilamque nobis concedat? Non unum ſane, vel alterum, ut ipſe poſtulabat; ſed omnes ferme *Anteptolemaicos* Scriptores, qui Adriæ mentionem fecerint, cum Græcos, tum Latinos a nobis ſtare ſatis ſuperque demonſtravimus: & Antilegontem noſtrum, qui nec unum ex antiquis Auctoribus partes noſtras tueri dictitabat, eorumdem numero, ac virtute obruimus. Profecto tot tantique ſunt veteres noſtri Commilitones, ut ipſorum, tamquam Herculei agminis ope, ſententiæ noſtræ Veritas ſolemnem de ſuis Impugnatoribus agat Triumphum. Quot autem, qualeſque ſint Milites qui Adverſarii vexilla ſequantur, *in Diſſert. 5.* oſtenſum ibo.

Digitized by Google

DISSERTATIO QUARTA.

Quanti facienda ſit Claudii Ptolemæi, aliorumque, qui poſt eum ſcripſere, de Adriæ ſitu atque confinibus ſententia.

§. 1. CONſideranti mihi quid ſit in cauſſa, cur a noſtro Antilegonte haud tanti æſtimatur, quanti eſt, Claudii Ptolemæi de Adriæ limitibus ſententia; nulla alia ſane ratio occurrit, quam quod iſte Geographus illi ſtrenue reluctetur. Atque mecaſtor, ſi Ptolemæus Adriam extra Illyricum minime protuliſſet, quibus non eſſet laudibus ab Adverſario elatus! Jam jam Scriptorum ſapientiſſimus, Geographorum Coryphœus, Anteſignanus, Dictator, Princeps, & quaſi Deus ab illo audiret. Quum vero ipſe Adrianum mare Orientali Siciliæ oræ, atque occiduo Cretæ litori affundat; inter oſcitantes ignavoſque Scriptores a Zoilo noſtro adnumeratur. Verumtamen neque iſtius contemptionibus obſcuratur, neque encomiis illuſtratur Claudius noſter, qui apud Græcos per antonomaſiam *Sapiens* ac *Divinus* audiebat. Sed ille ait; ſeſe Ptolemæi de Adriæ finibus judicium parvipendere, propterea quod D. Lucas in recognoſcendo eo mari adhærere debuerit Scriptoribus ſuis coævis, aut antiquioribus, non vero iis qui ſequiori ævo ſcripturi erant: horum enim ſententiam aſſequi ipſe non poterat. Haud ibo inficias. Hoc tamen affirmo, quod nempe facer iſte Hiſtoriographus non quoſvis antiquos, vel quaſvis (*a*) Tabulas Geographicas

Ptolem. lib. 2. & lib. 3. c. 17.

(a) Tabulas Geographicas ab Anaximandro Mileſio fuiſſe primo in lucem editas aſſerit Adverſarius, qui non advertit, multo ante Anaximandrum, qui Olymp. L. floruit, illas Græcis in uſu fuiſſe. Quippe Socrates hujuſmodi Tabulam intuens Alcibiadem rogavit, ut ſibi oſtenderet magna ejus prædia; eoque reſpondente, quod iſta non erant ibi deſignata, ille ſubdidit: Quid igitur his tibi divitiis, quarum nullam Geographus rationem habuit, tantopere places? Ælian. *lib.* 3. *c.* 28. Eſſænos autem fuiſſe qui mundi ſitum expingere adorti ſunt, ait Cœl. Rhodigin. *Antiq. Lect. lib.* 5. *c.* 9. Neque deſunt qui pellem, in qua Ventos Æolus clauſit, ut eam Æneæ donaret (ut *in lib.* 10. *Odyſſ.*) fuiſſe membranaceam Tabulam, marina itinera, ventorumque Rhombos exprimentem, arbitrantur.

cas conſulere debebat, ſed illos dumtaxat Scriptores, quos errorum expertes, & Geographiæ peritis adprobatos eſſe noverat. Siquidem prudentiſſimus iſte Scriptor non eſt aſſimilandus illis quos arguit Polybius his verbis: *Sunt enim* Polyb. l. 3. *nonnulli qui non tam ſcripta ab Auctore, quam ipſum amplectuntur Auctorem: & quia ille (* Fabius *) tempore quo hæc gerebantur, vixit, Senatuique Romano interfuit, nihil ab eo dici poſſe non verum exiſtimant.* Multa ſane a vero aliena antiqui Scriptores, ut Fabius iſte, protulere, & maxime Geographi; de quibus idem Polybius eodem *lib.* hæc ſcribit: *Omnes fere antiqui, vel certe quamplurimi Scriptores conati ſitus, & proprietates extremarum orbis regionum referre multis in locis aberrarunt a veritate...... quos non dubitamus ſi hac tempeſtate fuiſſent, ipſos errorem ſuum fuiſſe emendaturos. Siquidem ſuperiori ætate raro quiſpiam inter Græcos (a) reperiri potuit, qui extremas orbis partes ſcrutatum proficiſci quiverit, ob periculoſum atque inſuperabile iter* &c. Idem confirmat perpetuus aſſertionum noſtrarum Propugnator Strabo, qui de Timoſthene, Eratoſthene, aliiſ- Strab. l. 2. que prioribus Geographis loquens; *ad multam quoque*, inquit, *ignorationis partem de Italia, de Adria (b) de Ponto, & de reliquis Septentrionis partibus pervenerunt*. Quod Extat in etiam advertit Gaſpar Varrerius *in cenſura in Beroſum*, ubi Bibl. Vet. Plinium, Strabonem, ac Joſephum allegans quoſdam erro- Patr. Tom. res in Geographicis (c) ab Æſchylo, Euripide, Ariſtote- 2. part. 1. le, aliiſque admiſſos recenſet, quos & nos in ſequenti *Differt.* carptim notabimus. Præ cunctis autem allucinatus eſt Ponticus Heraclides, qui *in lib. de Anima* ſcribit, *famam eſſe, Gentem ex Hyperboreis profectam cepiſſe Romam Græcam urbem, Oceano adjacentem*, ut refert Cl. V. Bene- Bened. Ave- dictus Averanius. ran. Differt.

§. II. Quibuſnam igitur Scriptoribus aſſentiri D. Lucam 3. in Thucyd. in recognoſcendis Adriæ limitibus, par erat? Iis plane qui Claudio Ptolemæo conſentiunt. Rem invidioſam dixi, ſi Adverſarium conſulas, magiſque abſonam quam ſolis pectines, & Lamiæ turres: attamen ſi eam ad trutinam ex-

Q 2 pen-

(a) Nota τὸ *Græcos*, in quibus Adverſarius adeo confidit.
(b) Nempe de eo mari, de quo præcipua nobis eſt quæſtio.
(c) Iſtos tamen Auctores in ſuam de Adria ſententiam advocat Adverſarius; ſed ſi cæcus cæcum ducit?

pendas, veram, & rationi conſonam eſſe fateberis. Profecto nihil habent antiquius de aliqua re ſcripturi quam ut eos conſulant, qui eamdem ſcite pertractaverint: quibus conſultis eos ſequantur qui veriora tradunt. Si enim ita ſe geſſiſſe D. Lucam autumat Adverſarius; cur non & eamdem diligentiam adhibuiſſe Ptolemæum credat? Præſertim quod ille gravioribus rebus, nempe heroicis Apoſtolorum geſtis deſcribendis intentus, Adriæ nomen obiter attigit; hic autem non perfunctorie curſimque, ſed ut Geographiæ Præceptor de eodem pelago ſcripſit. Reapſe nonne vel Strabo antequam ſua Geographica conſcripſerit, Timæum, Eratoſthenem, Poſidonium, Theopompum, Dicæarchum, Ephorum, Polybium, alioſque priores Geographos perlegit, atque examinavit? Quis igitur cordatus Claudium noſtrum idem feciſſe inficiabitur? Id ſane animadvertens Joachim Vadianus inquit: *Quot citat Strabo, qui tempore Chriſti Salvatoris noſtri fuit, qui ante illum in Coſmographia ſcripſerunt? Subſequutus Ptolemæum, babuit & is qui ante illum ſcripſerunt, quos in ſuo opere imitaretur, & rurſum quos carperet.* Verumtamen Vadianus ceteroqui vir eruditus, Ptolemæi ætatem minus recte aſſequitur: ſiquidem illum Strabone antiquiorem, & Pomponii Melæ coævum facit; quandoquidem poſt utrumque ille inclaruit.

Joach. Vadian. in Præf. in Pomp. Mel.

§. III. Sed quid opus eſt conjecturis, aut argumentis, quum aſſertionis noſtræ veritatem, veluti e ſpeculo contemplari poſſis. Quid enim ſentiunt de Adria Optimi Scriptores cum Græci, tum Latini, quos in ſuperioribus Diſſertationibus recenſuimus? Nonne idem quod noſter Ptolemæus? Seſe cor haud habere oſtendet, qui huic veritati reluctabitur. Equidem, ut *in Diſſert.* 2. demonſtravi, eorum qui Adriam in Sicilienſi pelago agnovere, ſententiam magnus Geographorum *Chorodidaſculus* jam ante Claudium noſtrum adprobaverat, receperat, promulgaverat. Præterquam quod, amabo, quota pars voluminum, quæ Ptolemæi tempeſtate extabant, ad noſtra tempora pervenit? Quot libri veterum Scriptorum, quos & legere & imitari Ptolemæus poterat, a nobis, ſexdecim ſæculis ab illa ætate remotis, deſiderantur? Quis igitur contendet, ſeſe illorum ſententiam magis aſſequi, quam Ptolæmeus. Haud alius plane quam adrogans noſter Criticus.

§. IV. Sed heic, quæſo, perpendamus, quonam tempore:

pore floruerit Ptolemæus? Iſte quidem natus eſt anno Ær. Vulg. 69. nempe quum Lucas Apoſtolicam texeret hiſtoriam. Antagoniſta vero noſter, qui tempora, prout ſibi lubet, modo protrahit, modo retrahit, Apoſtolicum Hiſtoriographum operi ſuo colophonem impoſuiſſe anno 58. ejuſdem Æræ, contendit. *Etenim* (inquit) *excedit fidem,* Inſp. 7.
quod Sacer hic, & Paulo addictiſſimus Scriptor quique rerum Diatr. 4. §.
Pauli per triginta annos geſtarum hiſtoriam ſtudioſe texuerat, ſi 3.
eam poſt mortem Pauli, vel poſt ejus e Romana cuſtodia, atque urbe diſceſſum conſcripſiſſet, octo vel novem illos annos (quotam portionem vitæ Pauli) qui ab ejus carcere ad Martyrium, obitumque defluxerunt, vel ſaltem ejus ex Urbe diſceſſionem ad exactius complementum hiſtoriæ, fuiſſet ſilentio prætermiſſurus. Sed Adverſario reponere poſſumus, D. Lucam Pauli geſta poſt primam hujus cuſtodiam ſilentio involviſſe, propterea quod ea Fratribus Romæ commorantibus, ſatis innoteſcerent, ut conjicit Maſſutius, vel Th. Maſſuet.
quod ille, ut indicat Chryſoſtomus, enarrare voluerit quæ in vit. S. Paul.
ad inſtruendos Evangelicis inſtitutionibus populos ſatis eſſent; & Eccleſiis verbum Dei annunciare maluerit, quam Chryſoſt. hom. 1. in
λογογραφεῖν. Hanc autem reſponſionem piam, ſed *vulgarem*, act.
& ad captum populi potius accommodatam eſſe dictitat Zoilus noſter, qui D. Hieronymum, Acta Apoſtolica a Luca fuiſſe in Urbe conſcripta opinantem, advocat. Verumtamen de Adverſario noſtro dicere ferme poſſem, quæ de Martino Luthero ſcripſit Ambroſius Catharinus. *Quomodo* Ambr. Ca-
(hic ait) *poſſim cum eodem contendere adeo iniquo, ut be-* thar. in ex-
ne dicat, ubi vult, & quos vult Auctorum, etiam cum ſum- cuſat. diſput.
ma laude, recipiat. Eoſdem vero mox, ubi in illum retor- contra Mar-
quentur, damnet, atque miris modis recuſet. Nimirum ille tin.
qui heic Hieronymum magni facit, ut ſibi opitulantem; eumdem alibi parvipendit ſibi refragantem. Quum enim eximius iſte Doctor, nobis conſentiens Quadratum Publii noſtri in Athenienſi Pontificio Succeſſorem, unum eumdemque fuiſſe cum Quadrato Apoſtolorum diſcipulo, affirmaverit; illum tamquam oſcitantem, & *ex vulgi rumo-* Inſp. 6.
re, non ex rigore Critico loquentem notat petulantiſſimus Diat. 3. §.
noſter Contradictor. 19.

§. V. Fatetur tamen ipſe, Auctorem quemdam Syrum, Bar Bahlul
cui nomen Bar Bahlul, aliosque non paucos aſſeruiſſe, A- in Lex. a,
poſtolicos Annales fuiſſe a Luca perfectos Alexandriæ; Caſ. cl.

ſed

ſed ejus auctoritatem incertam, rationem vero futilem eſſe ſubjungit. Ego autem illi aff·ram auctoritatis bene exploratæ Scriptorem, qui Lucam ſuam Hiſtoriam Antiochiæ exaraviſſe adſeverat. Bernardus Theſaurarius hic eſt, qui in Opere ſuo *de Acquiſitione Terræ Sanctæ cap.* 28. inquit: *Lucas Evangeliſta in ea urbe* (Antiochiæ) *Actus Apoſtolorum conſcripſit, qui fuit in ea Epiſcopus ordine* 7. Cui conſentit Guilelmus Archiepiſcopus Tyri *in ſua Hiſtor. Bell. Sacr. Jeruſal. lib* 4. *cap.* 9. Et quidem veroſimillimum eſt, divinum Hiſtoriographum operi ſuo abſolvendo operam navaſſe poſt glorioſum Pauli certamen, quum a tot tantiſque itineribus ac laboribus una cum Apoſtolo, cujus erat conſtans ac individuus comes, pro Chriſto exantlatis, in Epiſcopali ſua Sede feriaretur. Quid enim oſtii ad id perficiendum eſſe illi poterat, quum Sanctiſſimus Gentium Doctor ab illo admodum dilectus in manifeſto vitæ diſcrimine verſaretur in Urbe, aut tot alias regiones peragrans, Dei verbo gentibus, ἐν κύκλῳ, annunciando incumberet? Beatum vero Lucam Pauli Martyrio interfuiſſe, teſtatur Petrus Equilinus, atque ipſum uſque ad mortem nequaquam deſeruiſſe affirmant graviſſimi Scriptores apud Franciſcum Bivarium. Gentium autem Doctorem una cum Collega ſuo Petro generoſum pro Chriſto Sanguinem fudiſſe anno 68. tradit Flavius Lucius Dexter: licet in ſtatuendo eorum Martyrii anno diſcrepent inter ſe cum veteres, tum neoterici Scriptores, ut animadvertit acerrimi Criticus ingenii Honoratus a S. Maria. Quippe P. Alexander, attendens Euſebii Chronicon, Principum Apoſtolorum obitum conſignat in anno Chriſti 69. Tillemontius S. Epiphanium ſequens, eorum certamen ſtatuit in an. 66. Bollandus adhærens antiquo Pontificum Catalogo, S. Damaſo tributo, id refert ad an. 65. Baronius, poſt D. Hieronymum, aſſerit illos ad Cœlos evolaſſe poſt Senecæ mortem, nempe anno 67. Dupinius autem iſtorum nemini conſentiens, illorum Martyrium retrahit ad an. 64. Neque defuerunt qui iſtud conſignarint *in die* 22. *Februarii* ſiquidem Polemeus Silvius apud Tillemontium, in ſuis Faſtis, qui creduntur conſcripti Romæ anno 449. hæc habet ad eum diem: *Depoſitio SS. Petri & Pauli*: Contra quam evincunt omnia Eccleſiæ monumenta, quorum nonnulla ſunt Silvio antiquiora;

Ap. Collect. Rer. Ital. Script. Tom. 7.

Petr. Equil lib. 6. c. 41.

Franc. Bivar. in Comment. ad Flav. Luc. Dextr. ad an. 64.

Honor. a S. Mar. in Reflex ſup. Reg. Crit. Differt. 7. Art. 9.

Tillemont. not. 44. ſup. S. Petr. pag. 561. col. 1.

ra;

ra; namque Catalogus a Bucherio editus *ad diem* 22. *Febr.* refert, Natale S. Petri de Cathedra; obitum vero SS. Apoſtolorum conſignat *in die* 29. *Junii*. Unde perſpicitur quam minus recte noſter Criticus adſeveret Lucam Annales ſuos perfeciſſe anno 58.

§. VI. Sed licet demus quod inexploratum ſit quonam tempore ſuam iſte ſcripſerit Hiſtoriam; hoc tamen pro certo habemus, quod nempe Apoſtolorum ætate Adria vel pro mari Siculo accipiebatur. Siquidem Philo, Gajus, & Agathopus, comites S. Ignatii Martyris, Diſcipuli S. Johannis Apoſtoli, quorum uterque ſub Trajani imperium ad Cœlos migravit, Adrianum pelagus in Jonio magno, ſeu Sicano mari agnoverunt. Eorum genuina verba cum Græce, tum Latine protulimus *in Diſſert.* 1. *§*. 15. ex optima editione Theodorici Ruinart: in gratiam tamen commodumque mei Lectoris heic Latinam eorum interpretationem rurſus adſcribam. *Inde poſtea Neapolim ductus* (S. Ignatius) *Philippis tranſiens, Macedoniam præterivit, & ad eam Epiri partem, quæ ad Epidamnum ſita eſt, in maritimis locis nave inventa, Adriaticum pelagus navigavit, indeque Tyrrhenicum ingreſſus, inſulas & civitates percurrit, oſtenſiſque Sancto Viro Puteolis, ipſe quidem exire feſtinabat, Apoſtoli Pauli veſtigiis incedere cupiens*. Vides ubi Adrianum mare collocent Apoſtolici Viri! Plane in Jonio, Siculo, Græco æquore, ubi ipſum recognovit Lucas, tum veteribus, tum neotericis conſentiens.

§. VII. Et quidem nedum Ptolemæus, ſed & Pauſanias, & alii recentiores, quos allegatum eo, ſententiam iſtam amplexi ſunt. Quippe Pauſanias, qui Antonino imperante excelluit, mari Siculo Adriæ nomen tribuit; namque Alpheum fluvium ex Græcia erumpentem, *Adriaticumque mare ſubtermeantem in Ortigia, quæ pro Syracuſis eſt, ſe oſtentare, Aretuſæque miſceri* is adſeverat. Necnon *lib.* 4. *Apolloniatas Jonii maris accolas* ille facit, quos Adriam incolere nemo ignorat. Nimirum Græcus iſte Scriptor Adriam, & Jonium mare promiſcue uſurpat. Sed heic non eſt diſſimulandus error, ſeu malus Adverſarii dolus, qui Pauſaniam doſt Ptolemæum inclaruiſſe aſſerit, ut nempe huic tamquam Novatori, & ſingularis de Adria ſententiæ Promulgatori, fidem & auctoritatem deroget. Verum enim vero, ſi Pauſaniam anteceſſit Ptolemæus, ſatis manifeſto

Pauſan. 1. 8.

la-

labitur Adverſarius, quum hunc ſua Geographica edidiſſe circa annum 180. affirmet. Quo enim pacto qui anno 180. ſcribebat, præcedere eum dicatur, qui circa annum 138. *(a)* florebat?

§. VIII. Præterquam quod, ſi Plutarchum, ac Dionem Chryſoſtomum, tamquam Lucæ contemporaneos ille allegat; quum tamen iſti ſub Hadriano, referente Suida, inclaruerint, nempe paullo ante annum 138. *(b)* cur nos Claudium Ptolemæum jure merito allegare non poſſimus; quum hic anno 69. ortum habuerit? Inſuper, ſi Appianum illis poſteriorem, ſi Florum qui ſecundo ſæculo *(c)* expirante vixit tamquam idoneos teſtes ille advocat, cur non ſit aptiſſimum Claudii noſtri teſtimonium, qui primo ſæculo labente jam erat 31. annos natus? Quis non videt Adverſarium haud aliis armis, quam dolis, fallaciis, ac diſſimulationibus innixum?

§. IX. Tantum igitur abeſt, ut novator dicendus ſit inclytus noſter Ptolemæus, quum Adriam tum Siciliæ, tum Cretæ affuderit; ut potius ipſe Strabonis, aliorumque inſignium veterum de Adria ſententiæ Propugnator dici mereatur & ſit. Quæ quidem ſententia (quod magni faciendum eſt Apoſtolorum ætate, qua ſcribebat Lucas) erat receptiſſima ut oſtendebam. Quid mirum deinde, ſi eam propugnaverint tot illuſtres Scriptores qui ſequioribus ſæculis aduſque hæc noſtra tempora effloruere? Plane Adverſarius ipſe fatetur, eidem ſententiæ ſubſcripſiſſe Ælium Ariſtidem, Philoſtratum, antiquum Juvenalis Scholiaſtem, Aurelium Macrobium, R. Feſtum Avienum, D. Hieronymum, Paulum Oroſium, Æthicum Coſmographum, Aratorem Cardinalem, Procopium, Suidam, & alios inſignes Auctores, quibus conſonat eximius Recentiorum Chorus. Equidem tot ſunt inſignes ſententiæ noſtræ Propugnatores, ut ſi ſingulorum auctoritates referre heic vellem, Diſſertationis modum excederem. Quamobrem quoſdam ex præcipuis ac inſignioribus Græcis æque ac Latinis, qui poſt Ptolemæum uno vel altero ſæculo floruerunt; deinde nonnullos Recentiores graviſſimos producam.

§. X.

(a) Quippe Antoninus imperium conſequutus eſt anno 138. atque eo imperante florebat Pauſanias. (b) Eo anno Hadrianum ex Hydrope extinctum apud Bajas tradit Xiphil. Spartan. (c) Florus 200. annis poſt Auguſtum inclaruit, ut ipſe met ait *in Præfatione ſua hiſtor.*

§. X. Philoſtratus Græcus Scriptor apprime eruditus, qui Juliæ Auguſtæ, Septimi Severi uxoris, juſſu Vitam Apollonii deſcripſit; ita inquit: *Meſſanam navigarunt ad fretum, ubi commixta maria Tuſcum, & Adriaticum difficilem navigantibus efficiunt Charybdim*. Necnon *lib.* 4. ipſe aſſirmat, Neronem decreviſſe, ut diſſecaretur Iſthmus Corinthiacus, itaque permiſceretur Adrianum Ægæo mari: Et lib. 8. aſſerit, Alpheum fluvium e Græcia emanantem Adriatico, ac Siculo pelago miſceri.

§. XI. Dio Caſſius paſſim in ſua hiſtoria Adriam cum Siculo mari confundit; ſiquidem tum ſinum, tum mare Ionium uno eodemque vocabulo *Ionii*, abſque alio additamento, indigitat. Quippe *lib.* 48. is inquit: *Tum Cæſari Sardinia, & Dalmatia, Hiſpaniaque, & Gallia; Antonio reliquæ omnes trans Ionium regiones adſcriptæ ſunt: nam Africas provincias Lepidus habebat, Siciliam Sextus*. En *Ionium* pro ſinu acceptum a Dione: namque trans ipſum collocat Siciliam, quam *Ionio mari* allui non inficiatur Adverſator. *Lib.* autem 50. hæc ille habet: *Ibi* (Brunduſii) *quum juſſiſſet* (Cæſar) *ut certum numerum ſervorum ſinguli adducerent, alimentaque* (*excepti tamen hic ſunt milites*) *ſecum afferrent, Ionium* (τὸν Ἰόνιον) *cum omnibus copiis trajecit: ducebat autem non in Peloponneſum, aut contra Antoninum, ſed ad Actium, ubi claſſis Antonianæ major pars ſtationem habebat* &c. En *Ionium* pro Græco, ſeu Siculo mari ab eodem Scriptore uſurpatum. Unde perſpicitur, Ionio ſinui, tum mari unum idemque nomen a Dione attribui. Idem colligas ex ejus *libb* 42. & 47 Atque hinc inferas tum Adriatico ſinui, tum mari unum idemque pariter Adriæ nomen convenire. Huic autem Scriptori magna fides adhibenda eſt, uti rerum Adriaticarum maxime perito; namque ipſe Dalmatiæ præfectus fuerat, & multa refert ceu teſtis rei ſibi cognitæ, ac bene exploratæ. *Quod ego* (inquit lib. 49.) *non auditui tantum, aut lectione, ſed re ipſa cognitum, quum præeſſem videlicet ei nationi, ſcribo. Nam poſt Africæ præfecturam, Dalmatiæ, quam olim pater quoque meus aliquandiu adminiſtravit, & Pannoniæ ſuperiori præpoſitus fui: unde hæc, quæ ſcribo, explorata mihi ſunt*.

§. XII. Procopius autem graviſſimus Hiſtoriographus enucleate ac propalam nobis aſſentitur: nempe Adrianum

R mare

mare Melitæ, Gauloque applicat *lib.* 1. *Vandalicor.* ubi ſic ait: *Sublatiſque repente ma is Gaulum & Melitam inſulas velociter contingunt, quæ Adriaticum a Tyrrbeno dividunt pelago*. Ecce quid ſentiant de Adriæ limitibus prælaudati tres Scriptores, qui non ſecus, ac D. Lucas, *Græci Græcis Græce (a)* ſuas conſcripſerunt hiſtorias. Expendamus modo Latinorum ſenſa.

§. XIII. Magnus quidem Eccleſiæ Doctor Hieronymus, rerum Illyricarum peritiſſimus, ut pote ex Dalmatia oriundus, Adriam non ſoli Illyrico, ut contendit Adverſarius, ſed & Siciliæ affundit. Quidpe ipſe deſcribens D Hilarionis iter e Paretonio Libyæ urbe ad Siciliam, in mari noſtro *medium Adriæ agnoſcit*. Necnon *lib.* 3. *Epiſt. Fam. Epiſt.* 27. recenſens iter D. Paulæ Roma in Paleſtinam proficiſcentis, hæc ſcribit: *Inter Scyllam, & Charybdim Adriatico (b) ſe credens pelago, quaſi per ſtagnum venit ad Metonem* (Peloponneſi urbem.) Hic eſt ille Hieronymus, quem Judocus Clicthoveus appellat *vas plenum peritia linguarum, & ſacrarum literarum ſcientia; & de omnibus veterum diſciplinis quam optime meritum admiratur Petrus Crinitus*. Hic eſt ille Hieronymus, qui Apoſtolicos Actus, totumque novum Teſtamentum, ut in Vulgata Verſione legitur, ad Græcum fontem correxit, ut affirmant Auguſtinus Eugubinus, & Picus Mirandulanus. Sed quid opus eſt aliorum teſtimoniis, ubi ille ipſe loquitur? *Novum Teſtamentum* (inquit) *Græcę fidei reddidi, vetus juxta Hebraicum tranſtuli*. Quam translationem *Damaſus PP. I. authenticavit, cum uſque ad tempora illa Doctores translatione uterentur* 70. *Interpretum*; inquit Ptolemæus Lucenſis. Quam vero luculenter Geographicis fuerit ille inſtructus, perſpici poteſt ex ejus Scriptis, & maxime ex Epiſt. ad Dardanum, in qua Promiſſionis terram, hujuſque provincias, regiones, ac urbes, earumque diſtantias accurate ſciteque

D. Hieron. Ep ſ. lect. oper. P. Caniſ. lib. 3. Epiſt. 2.

Jud. Clicthov. in ſerm. 1. de B Hieron. P. Crinit. lib. 1. de honeſt. diſc.

Lib de Script. Eccl in fin. Prol. Lucens ap. Collect. Script Rer. Ital. tom 2.

(a) Alluditur ad verba Adverſarii, qui *Inſp.* 2. *Diatr* 4. §. 31. ita inquit: *In hoc* (Adria recognoſcendo) *Lucam duces habuiſſe Latinos credat qui volet, non ego: nam evidentia teſte Græcus Græcis Græce ſuam conſcripſit hiſtoriam*. Et tamen pluteis Latinos, vel invitos, ille advocat, ut veteris Adriæ ſitum oſtendat.

(b) Id mare bene noverat Hieronymus, ut pote is, qui Geographicis inſtructus erat, & per ipſum pluries navigaverat: quidpe Athenis verſatus fuerat; & Roma Jeroſolymam, & Jeroſolyma Romam demigraverat, ut ipſe fatetur *in Comment. in Zachar. cap.* 12. & *in Epitaph. Marcel* Nec non Peloponneſi promontoria is legerat, ut aſſerit Marianus Victor *in ejus vita*.

teque deſcribit. Eat nunc Adverſarius, & Geographos, Actuumque Apoſtolorum Codices Græcos alleget: nimirum iſti fortaſſe tantum Doctorem fugerunt; Criticum vero noſtrum non latuere. O ſomnia! O deliramenta!

§. XIV. Æthicus illuſtris Coſmographus de Sicilia loquens, ita inquit: *Ab Oriente cingitur mari Adriatico, a Meridie, Africo..... ab Occidente, & Septentrione habet mare Tyrrhenum, a Borea uſque Subſolanum, fretum Adriaticum, quod dividit Tauromenitanos Sicilię, & nobilis Italię Brutios*. Paullo ante deſcribens Cretam hæc protulerat: *Inſula Creta finitur ab Oriente Carpathio mari: ab Occaſu, & Septentrione, mari Cretico: a Meridie, mari Libyco, quod & Adriaticum vocant*. De Tripoli autem, vel regione *Arzugum* verba faciens, ſic ait: *Habet ab Oriente aras Philenorum inter Syrtes majores, & Troglodytas: a Septentrione, mare Siculum, vel potius Adriaticum, & Syrtes minores: ab Occaſu Bizantium uſque ad lacum Salinarum* &c. Vides quo Adriæ jura pervadant! Vides ut pelago Borealem Tripolis oram alluenti magis proprie *Adriatici* quam *Siculi* maris nomen adſcribatur! Quis igitur D. Lucam improprie loquutum eſſe contendat; quum hic Adriam in mari noſtro agnoverit? Porro Æthicus noſter Dionyſio Afro conſonat, qui ante plura ſæcula, ut *in Diſſert.* I. vidimus, Adriam eiſdem Syrtibus affuderat.

§. XV. Arator, S. R. E. Diaconus Cardinalis, qui Apoſtolicos Annales duobus heroicorum carminum libris complexus eſt, nedum Adriam in mari noſtro agnoſcit, ſed etiam hanc Inſulam ut Pauli naufragi hoſpitem deprædicat: quippe *lib.* 2. ſuæ Paraphraſeos ita canit:

His dictis ruit ira maris, ſublataque dudum
Lux revocata micat, velamine noctis aperto
Pandere viſa ſolum, quę prębuit hoſpita Nautis,
Sicanio lateri remis vicina Melitę.

Hujus quidem Scriptoris teſtimonium magni faciendum eſt: nempe opus iſte ſuum coram Vigilio ſummo Pontifice, adſtante illuſtrium virorum corona recitavit, tanto audientium plauſu, ut pluribus vicibus uterque liber ei fuerit repetendus: ita ut iſtius teſtimonium etiam aliorum Cardinalium, Præſulum, Literatorum, ipſiuſque Summi Pontificis teſtimonia quodammodo continere videatur: illi enim recitanti omnes adplaudebant, illiuſque dicta adprobabant.

Huc etiam accedit, quod ille rerum Dalmaticarum fuerit apprime gnarus: ſiquidem Dalmatarum ad Juſtinianum Cæſarem Oratoris munus cum dignitate ſuſtinuit. Et quidem ſi excepti naufragio Apoſtoli gloria Dalmatenſi inſulæ deberetur; haud eam Inſulæ noſtræ adjudicaret. Vir iſte tanta neceſſitudine Illyriis conjunctus: qui tamen candidi, piique Scriptoris laudem appetens veritati maluit, quam Clientibus ſuis obſecundare.

§. XVI. Jornandes, ſive Jordanus, Aratoris Synchronus, Adriam vel Rhodo inſulæ applicat: quippe *lib.* 1. *de Regnorum ſucceſſione* ipſe inquit: *Rhodus opinatiſſima inſula, & totius Adriæ inſularum Metropolis pene cum omnibus Cycladibus arma pertimeſcens Romana, jamdudum ſe fœderatam populo illi conjunxerat* &c. Verumtamen haud ibo inficias, hunc Scriptorem plus æquo Adriam prolataſſe, quum huic vel Ægæi maris jura tribuerit. Sed & hinc elici poteſt, quam recte ac moderate ſe gerant alii noſtri Fautores, quum Adriaticum mare tantum Ionio magno exæquent.

§. XVII. Neque prætereundus eſt (a) Anonymus Ravennas, cujus de Adria ſententiam neſcio an ullus e noſtris hactenus allegaverit. Ille quidem *Geograph. lib.* 1. *num.* 37. Italiæ limites ita deſcribit: *Completur etiam prædicta Italia habens finem ab ipſo latere excelſos montes quos quidam Titanos dicunt, qui pertingunt mare Gallicum, non longe a prædicta civitate viginti millia...... Qui montes finientes ipſam Italiam deſcendunt ex parte ad mare Adriaticum non longe a civitate Tarſatia provinciæ Liburniæ in loco qui dicitur Phanas. A ſecundo autem latere habet ipſa Italia finem prædictum mare magnum Adriaticum, cujus littore ponitur ipſa Italia uſque completam ſuperius dictam provinciam Iſtriam. A tertio vero latere habet ipſa Italia finem præfatum mare Gallicum........ A quarto vero latere habet ipſa Italia finem deſuper ſcriptum mare Ionium*

(a) Hunc Anonymum eſſe Guidonem Presbyterum Ravennatem autumant Fl. Blondus *Ital. Ill. in princ.* Gabriel Barrius *de Antiquit. Calabr.* & Antonius Galateus, ut aſſerit alius Anonymus Mediolanenſis (cujus tamen nomen apud Literatos clarior eſt quam ut abſcondi poſſit) *in ſua Diſſert. Chorographica de Italia medii avi præfixa Tom.* 10. *Collect. Rer. Ital. Script.*

Digitized by Google

nium (a) qui & Adriaticum dicitur, ſimul & fretum quod appellatur Rhegienſis qui dividit Siciliam, & præfatam Italiam, quod fretum non eſt in ſumma Italia, ſed magis rejacet ex latere ad partem maris magni Gallici. Antiquus iſte Geographus, Appianum ſequens, Rhegienſe fretum diſtinguit a mari Siculo, ſeu Jonio magno, quod & Adriaticum appellat.

§. XVIII. Quid vero dicendum eſt de recentioribus Geographis, qui noſtræ de Adriæ finibus ſententiæ ſubſcribunt? Hi ſane tot ſunt, quot, ut Theognidis utar adagio, non una vehat navis. Ne multus autem ſim, treis tantum producam. Et primo prodeant duo illi recentiorum Geographorum Anteſignani Raphael Volaterranus, Raph. Volater. Comment. urb. lib. 5. & Gerardus Mercator. Quorum primus Livium ſequitur, ipſiuſque verbis affirmat, *mari Supero, Inferoque Italiam inſulæ modo circumcingi*. Alter vero inquit: *A Septentrione mari Tyrrheno, ſeu Infero pulſatur* (Sicilia); *ab Ortu Adriatico, vel Supero, & Jonio; ad Auſtrum Africo mari, & ad Occidentem Sardoo*. Ger. Merc. in Atlant. Audiatur modo Cl. Petrus Bertius, qui in exactiſſimis ſuis Tabulis Geographicis *editis Lugduni Batavorum anno* 1616. adverſus eos qui Adriæ argumento in nos innituntur, ita ratiocinatur: *At inquies; jactabatur Paulus Adriatico; at inquam Adriaticum mare huc uſque extenditur, ſicut docent nos Strabo, & Ptolemæus. Cicero quoque fretum inter Melitam, & Siciliam periculoſum eſſe teſtatur, ut mirum non ſit in eo fractam navem*. Petr. Bert. Tab. Geogr. lib. 4. pag. 567. Unde perſpicitur quam inique adſeveret Adverſarius, Ptolemæum omnium primum produxiſſe Adriam extra Illyricum: quandoquidem inſignis iſte Geographus, ut vidimus, Strabonem, alioſque veteres Auctores ſequutus eſt: ideoque tot, tantorumque Neotericorum aſſenſionem, plauſuſque promeruit.

§. XIX. Sed neque prætereundus eſt Philippus Cluverius, qui quoque Ptolemæum, & Philoſtratum idoneos de Adriæ limitibus teſtes appellat, eorumque ſententiæ ſubſcribit. Cluver. Sicil. antiq. lib. 2. c. 16. Quum tamen ipſe *lib. 4. Ital. antiq. cap ult.* di-

(a) *Grammatici procul hinc*: diceret heic Martialis. Nempe *Qui*, *Rhegienſis* non bene conſonat mari, aut freto, quod neutri generi adſcribitur; niſi forte poſt *τὸ Rhegienſis* ſuppoſitus fuerit Trajectus, quod nomen illi recto congruit; ſed *Qui ad mare Jonium* referri nullimode poteſt.

dixerit, ſecundum quorumdam veterum (*a*) Scriptorum opinionem, Adriaticum mare intra Japygias fauces fuiſſe proprie comprehenſum; hinc noſter Antagoniſta ſumit anſam advocandi eum in ſuas partes: quinimo ſuæ adrogantiæ, maliſque, ut ita dixerim, artibus confidens, ac jactabundus inquit, *Philippum Cluverium a nobis ſtare* (*b*) *contra omnium expectationem patefaciam*. Pone allegato, quem ſupra citavimus, loco, nempe *lib.* 4. *Ital. antiq. cap. ult.* multiſque nugis, offuciiſque ſubnexis ita ille concludit: *Itaque ſi Cluverius noſtram ſententiam & argumentis & teſtibus idoneis ſtatuit, contrariam* (*c*) *ineptis, atque* (*d*) *præpoſteris auctoritatibus probat, noſtram ſerio tueri videtur, nugari autem in aſſerenda contraria. At certe ipſe Maltenſibus patrocinatur. Minime quidem, ſi Judices ex emolumento. Sed eſto: Palus vitem fruſtratus eſt: eorum male cauſam, noſtram accommodate defendit: per oppoſitam opinionem minus confirmatam noſtræ nil nocuit; per noſtram, quam optime probat, oppoſitam funditus evertit* .... Ne plura: huc uſque dicta ſatis ſuperque Zoili noſtri fallacias, & fruſtrationes demonſtrant. Iſte quidem æmulatur Tiſiam, Syracuſanum, qui non abſimili ratiocinandi forma ſuam cauſſam contra Coracem Præceptorem ſuum defendit. Huic nempe duplicem mercedem ille promiſerat, ſi tamen artem Oratoriam edidiciſſet: edoctus autem pactum pretium Coraci negavit. Idcirco in judicium vocatus Præceptorem ſuum interrogavit; quidnam eſſet ars Oratoria? Quum, eam eſſe perſuadendi artem, repoſuiſſet Corax; ita ille ratiocinatus eſt: Si perſuaſero tibi, Corax, tamquam perſuadens non ſolvam, nam vicero; ſi non perſuaſero, neque ſolvam, nam non perſuadens artem non didicero. Corax autem hoc ſophiſma in ejus Auctorem retorſit; &, imo dixit; ſi ſuaſero tibi, Tiſias, promiſſam mercedem capiam

Inſp. 2. Diatr. 3. §. ult.

(a) Nempe Ciceronis, Strabonis, Pomponii Melæ, Plinii, quos tamen in *Diſſert.* 2. & 3. nobis ſuffragari, tum rationibus, tum auctoritatibus demonſtravimus. (b) Adverſarius Circulatores & Agyrtas imitatur, qui quoque mira & inexpectata ſeſe facturos eſſe ſpondent, quum ludos adoriantur, quibus ſpectantium oculos fallere aſſolent. (c) Ineptas merito vocat auctoritates, quas ſententiæ ſuæ aptare non valet. (d) Quippe is non advertit, vel diſſimulat, quod Cluverius *eod. loc.* affirmat, Adriam adusque Cretam extendi a Thucydide, qui ſane Cicerone, Mela, Plinio ac Strabone antiquior eſt.

capiam ut victor; ſi autem non perſuaſero, eamdem mercedem ſolves, propterea quod talem te fecero, ut ſuadendi arte me ipſum ſuperes. Tunc vero Judices utriuſque verſutias demirati exclamarunt : *Mali Corvi malum ovum* (*a*).

DISSERTATIO QUINTA.

Tum Græcos, tum Latinos Scriptores ab Adverſario noſtro pro coarctando Adria perperam allegari.

§. I. UT quis hoſtem ſuum omnino viciſſe dicatur, neceſſum eſt, ut ipſum non modo vulneret, ſed etiam propriis armis deſpoliet. Itaque nos, quum Adverſarium tot argumentorum telis transfixerimus, eum auctoritatibus, queis, velut Ajacis armis, adverſus nos pugnabat, exuere aggrediamur. Plurimos equidem Scriptores in ſuas partes ille advocat, ſed iis, tamquam invitis militibus præliatur. Nimirum Adriam intra hodierni Veneti ſinus fauces a Scriptoribus *Anteptolemaicis* recognitum eſſe contendens, Græcos Auctores (*b*) Orpheum Crotoniatem, Sophoclem, Pindarum, Herodotum, Thucydidem, (*c*) Euripidem, Apollonium, Theocritum, Lycophronem; nec non Latinos Lucretium, Catullum, Livium, Virgilium, Horatium, Propertium, Lucanum, Valerium Flaccum, Martialem, Silium Italicum, & alios allegat, producitque. Si autem ab ipſo petas cur eos alleget? Haud alia de cauſſa, reponet, quam quod iſti Scriptores ad Siciliam mare Sicilienſe recognoverint. O inane ac futile argumentum! O plumbeos gladios

(a) Id effatum in adagium tranſivit. (b) Orpheus iſte *in Argonaut. verſ.* 1120. Riphæos montes, Calpen, Phlægram, Alpes in una eademque regione collocat, & ab illis Cimmeriorum terram includi ait. Quis deinde hunc Vatem rupes ac ſylvas ſuis verſibus moviſſe inficiabitur? (c) Euripides, & Apollonius Rhodanum in Adriam fluere crediderunt: unde perſpicitur, in quanta eorum Adriaticarum ignoratione verſati ii eſſent.

dios in eburnea vagina! Equidem ſimili ratione contra illum evincere poſſem, Siculum pelagus cum Jonio mari minime confundi, quantumlibet ab omnibus Auctoribus, vel ipſo fatente Adverſario, iſta invicem permiſceantur: ſiquidem Plinius mare Pelori oram ſpectans, non *Siculum*, ſed *Jonium* appellat: necnon Pomponius Mela inquit: *A Peloro ad Pachinum ora, quæ extenditur Jonium mare attingens, hæc fert illuſtria, Meſſanam, Tauromnium, Catinam, Megarida, Syracuſas* &c. Si autem vellem hinc elicere, quod pelagus iſtas urbes pertingens, Siculum haud ſit, nonne deliramenta loquerer? Sed quid opus erat, ut Plinium, ac Melam adducerem? Quandoquidem ipſe Adverſator Pindarum, Herodotum, Lucretium, Catullum, Propertium, Lucanum, Senecam Tragicum, alioſque in ſuam ſententiam advocat, quod mare Siciliæ affuſum *Jonium* vocaverint.

Plin. l. 3 c. 8. Pomp. Mela lib. 2. c. 7.

§. II. Enimvero ſicut non licet ita ratiocinari: *Mare Siciliam alluens ſecundum hos Auctores eſt Jonium, ergo non eſt Siculum*; ſive: *Hoc mare ab illis vocatur Siculum, ergo Jonium dici non debet*; ita nec ex eo quod hunc pontum *Siculum*, aut *Jonium* dixerint Scriptores, recte inferri poteſt, quod eidem *Adriatici* nomen, ac jura non competant. Etenim quum uni eidemque pelago tres iſtæ appellationes æque conveniant, Scriptorum arbitrio relinquitur, quanam ex tribus nomenclationibus illud velint indigitare. Quandoquidem de Adria dici poteſt quod de Oceano cecinit Dionyſius Periegetes:

Circuit Oceani gurges tamen undique vaſtus,
Qui quamvis unus ſit, plurima nomina ſumit.

Verumtamen Adverſarius ex prælaudatis Auctoribus inferre vellet, quod ſi *Adriatici* nomen *Jonio*, vel *Siculo* mari congrueret, utique a Scriptoribus hic pontus nonnumquam vocaretur *Adria*. Haud ibo inficias: quinimo *ſuperioribus Diſſertationibus* planum feci, quod *Jonio*, vel *Siculo* mari Adriæ nomen ac jura tribuerint cujuſvis ætatis Scriptores: &, quod magis aſſertionem meam confirmat, oſtendi hoc idem feciſſe non paucos ex iiſdem Auctoribus ab Adverſario productis, videlicet Thucydidem, Lycophronem, Livium, Horatium, & alios, qui licet mare Græciam, ac Siciliam interfluens, *Jonium* vel *Siculum* appellaverint; nihilominus ipſum aliquando cum Adria permi-

miſcuere. Quinimo magis ac magis ſententiæ noſtræ veritas ex eo emergit, quod idem mare a variis Scriptoribus varie nuncupetur, nempe modo Adriaticum, modo Jonium, & modo Siculum dicatur. Etenim hinc perſpicuum fit quod ea maria ab antiquis Auctoribus confundantur, immiſceantur, & alterum pro altero uſurpentur.

§. III. Itaque bene licebat Lucæ, pelagus in quo naufragium perpeſſus fuerat Paulus, deſcribenti, iſtud una e prædictis nomenclationibus deſignare. Ei vero Adriæ vocabulum viſum eſt magis accommodatum, magiſque arriſit: namque ipſe affectans multiplices Apoſtoli ærumnas, labores, ac vitæ diſcrimina ob Chriſtifidelium oculos ponere, eam maris nomenclationem ſelegit, quæ ad exprimendum diſcrimen, in quo tunc Paulus verſabatur, eſſet magis idonea & accommodata. Hoc inficiari non poterit urbaniſſimus noſter Criticus, qui hæc protulit: *Cur autem Lucas expreſſe Adriam nominaverit, cum conticuerit de Ionio, aut Siculo; non ſine eximia cauſa id factum eſſe conjicio. Nempe poſtquam (ut in exemplar primævæ illius Eccleſiæ cederent) Pauli labores, ſuoſque accurato ordine memoraviſſet, addere voluiſſe calamitati coronidem: tradendo nimirum, quod poſt tot infauſtæ navigationis diſcrimina, in gravius adhuc diſcrimen inciderint, ſcilicet in procelloſiſſimum ac naufragum Adriam: ut hoc terribili additamento imago ac magnitudo periculi tota explendeſceret, & legentium animi tantarum Apoſtoli ærumnarum ſacra quadam commiſeratione percellerentur.* Quam quidem conjecturam pone ipſe confirmat D. Joh. Chryſoſtomi auctoritate, qui *Hom.* 27. *in cap.* 27. *Act. Apoſt.* iſtuc collimare videtur, dicens: *Hæc autem patiebatur* (Paulus) *in Adria, ubi ſervari difficile.* Inſp. 2. Diatr. 5. §. 11.

§. IV. Attamen Adverſarius ad alios Græcanicos Scriptores provocat, videlicet ad (*a*) Æſchylum, Polybium, Scylacem Caryandenſem, (*b*) Ariſtotelem, Theophraſtum, Dio-

(a) Æſchylus adeo fuit Geographicorum ignarus, ut crediderit Eridanum fuiſse in Hiſpania, eumdemque Rhodanum appellari, ut animadvertit Plinius. (b) Ariſtoteles quidem fuit optimus Philoſophus, ſed peſſimus Geographus: quippe is *Meteor. lib.* 1. Tanain Araxis partem eſse, pudendo errore, affirmat, & Paromiſum montem Parnaſsum facit, atque ex eo erumpere Araxem adſeverat; necnon ex Pyrenæis montibus oriri Danubium aſſerit. Et is deinde erit aptior de Adria teſtis, quam noſter Ptolemæus? Quid quod ipſe *l.* 8. *hiſt. Anim.* Adriam interiorem enucleate *ſinus*, vocabulo indigitat,

Diodorum Siculum, Dionyſium Characenum, Dionem Chryſoſtomum, & Plutarchum; nec non ad pleroſque Latinos, ſcilicet M. Tullium, Propertium, Valerium Max. Pomponium Melam, Senecam Philoſophum, Plinium Secundum, Jul. Solinum, Cornelium Tacitum, & *(a)* L. Ann. Florum; propterea quod Adriam, ſeu ſinum Ionium intra Japygium P. Cerauniosque montes ipſi agnoverint. Verumtamen ſi acriori judicio eorum auctoritates ille perpendiſſet, nequaquam eos in ſuas partes advocaſſet. Etenim illos de Adria interiori, nempe ſinu Illyrico, non vero de toto Adriatico mari loquutos eſſe conſtat cuicumque ad Veritatis lumen minime cœcutit. Vaniloquum me eſſe non ſinunt ipſimet Auctores, quorum teſtimoniis aſſertionem meam comprobabo. Qui enim melius ipſorum mens enucleari poterit, quam alia eorumdem dicta cum verbis ab Adverſario allegatis conferendo, aut utraque expendendo? Et quidem Dionyſius Periegetes, vulgo *Afer*, Adriam interiorem, nempe Sinum Adriaticum deſcribens, eum intra Japygias Fauces comprehendit; Adriam vero exteriorem, ſive Mare Adriaticum exponens, ipſum Libycis Syrtibus affundit. En ejus verba ab Adverſario producta, quæ tamen nos proferimus ex interpretatione Cl. Priſciani, ſive Rhemnii Fannii:

Hoc mare (b) Gargani concludit Japygis ora.
Illinc incipiens extenditur Adria vaſtus (c)
Ad Boream penetrans pelago, ſolemque cadentem:
Ionius pariter Sinus hic perhibetur ab orbe.

Heic ſane de ſinu Adriatico, ſeu Ionio expreſſe, ac enucleate loquitur Dionyſius; ſed ut omnem dubitandi anſam cuicumque moroſo Lectori adimat, in eodem libello ſic ipſe canit:

Æquoris at Siculi, quod vaſtis funditur undis
Ad Noton eſt pontus Libyæ, ſyrtiſque vadoſa
Major, at ulterius ſi pergas, cerne minorem
Occiduam, juxta quam Meninx inſula fulget

Et

(a) Florus poſt Ptolemæum effloruit, nempe tota duo ſæcula poſt Auguſti imperium; & tamen illum allegat Adverſarius qui Claudium noſtrum, uti Scriptorem ſecundi ſæculi, parvipendit, reſpuitque. (b) Siculum.

(c) Ἀδριάδος ἅλμην Ab Adverſario vertitur *Adriaticum ſalum*. Græca quidem dictio ἅλμην ſalſilaginem, ſive aquam ſalſam ſonat. De ſinu autem Adriatico ibi loqui Dionyſium conſtat ex eo quod eumdem vocat *ſinum Ionium*.

Et Cercina ſimul, Libyca ſtatione patentes,
ADRIA quas penetrat......

Vides quos Adriæ exteriori, ſeu Adriano Mari, limites tribuat idem Scriptor, qui Adriam interiorem intra Japygium concludit! Quid nunc reponet noſter Tergiverſator? Quibus offuciis ipſe recurret? Aliud ſane conſilium inire non valens, iſta Dionyſii verba callide ac doloſe diſſimulat. Quam vero dedeceant honeſtum Virum, qui ſeſe Veritatis ſtudio flagrare jactat, hujuſcemodi fruſtrationes, ipſemet Adverſarius dijudicet. Profecto Græcorum Oratorum Dictator ſimiles Æſchinis calumnias & diſſimulationes ferre non valens, his eum verbis inſectatur: *Quid ergo miſer calumniaris? Quid verba fingis? Quid te ipſum helleboro non purgas? Nonne erubeſcis, Æſchines, invidiæ cauſa, non injuria cujuſquam accuſare, & legum verba partim commutare, partim abſcondere, quas totas recitare oportuit, ut qui judicaturi ſunt, ſententiam recte ferre poſſent.* Demoſth. in Orat. de coron.

§. V. Neque aliter ſentire Tullius videtur: ſiquidem is *lib.* 10. *ad Atticum epiſ.* 6. & aliis in locis ab Adverſario productis, Adriam a Siculo mari diſcriminat: idem autem *lib.* 3. *de Orat.* ut *in Diſſert.* 3. oſtendi, Adriam cum Sicilienſi pelago confundit. Heic enim de Adria exteriori loquitur, ipſumque vocat *mare Superum*, Græciæque, Siculo æquore allutæ, applicat; illic vero de ejus parte interiori, ſeu ſinu verba facit. Aliter, amabo, qui interpretari poſſunt allegatæ Tullii auctoritates? Numne ſapientiſſimus iſte Orator in recognoſcendis Adriæ limitibus ſibi contradicere cenſendus eſt? Nemo quidem cordatus ita judicabit: quandoquidem ejus dicta recte ac ſine vi poſſunt intelligi, ut nos ea interpretamur; atque ita intellecta ſibi conſtant, congruunt, conſonant. Magni vero iſtius Auctoris de Adriatico mari ſententiam, necnon inanem operam, qua ipſum in ſuas partes trahere conatus eſt vafer noſter Antagoniſta, fuſius in præmemorata *Diſſert.* 3. §. 2. & 3. expoſuimus.

§. VI. Pomponius Mela, quamvis *loco* ab Adverſario allegato Adriam intra Ceraunios montes concludat; tamen ibi de interiori Adriæ parte, non de toto Adriatico ſeſe loquutum eſſe ipſemet aperte declarat *lib.* 1. *cap.* 2. ubi poſt Ionium mare (quod idem eſt atque Adriaticum *exterius*, ut evici *in Diſſertationibus* 2. & 3.) collocat Adriaticum

 inte-

interius. Ejus verba in gratiam Lectoris heic repetamus. *Mare* (inquit) *quod primo ſinu accipit* (Europa) *Ægeum dicitur: quod ſequenti in ore Ionium: Adriaticum interius* &c. Cui conſonat Plinius, quum *interiorem* hujuſce maris partem *Superam* vocet, *exteriorem* vero *Inferam* appellet; atque hanc ante Hydruntum, illam autem poſt idem Promontorium conſtituat: ut ſatis ſuperque *in Diſſertationibus modo memoratis* oſtendebam. Sed affatim aſſertionem noſtram confirmat Solinus, qui ſuas ex Plinio ſententias exſcripſit. Nempe ille *in Capp.* 8. & 26. ab Adverſario allegatis de Adria interiori loquens, iſtum intra Japygias fauces comprehendit; ſermonem vero habens de Adria exteriori, hunc Siciliæ affundit, hæc habens *in cap.* 10. ſecundum Aldi editionem (in aliis enim editionibus id caput ponitur in ordine XI.) *Sunt* (in Sicilia) *& alii montes duo, Nebrodes, & Neptunius. E Neptunio ſpecula eſt in pelagus Tuſcum, & Adriaticum*. Idem colligas de aliis Scriptoribus ab Adverſario productis. Nempe hi quoties Adriam Illyrico exæquant de *Sinu*, non de *mari* Adriatico loquuntur: hoc enim cum Sicilienſi ponto confundi cujuſvis ævi Scriptorum teſtimoniis jam ſatis demonſtravi.

§. VII. Veterum quidem Geographorum mentem aſſequutus Claudius Ptolemæus Adriaticum mare ab Adiatico ſinu, ut ſcite animadvertit ſapientiſſimus, &, ut Adverſarii

Inſp. I. Diatr. I. §. 2. epitheto utar, *oculatiſſimus* Abramus Ortelius, qui *in Theſaur. Geogr. verbo Hadriat. Sinus* inquit: *Apud Ptolemæum Hadriaticum mare aliud eſt ab Hadriatico ſinu: hunc enim inter Illyricum & Italiam concludit; illud autem inter Siciliam, & Peloponneſum, cui ſubſcribere videtur Ovidius* 4. *Faſt.* Hinc eſt quod inſignis Græcus Auctor Procopius Adriaticum mare huic Inſulæ applicat; Adriaticum vero ſinum intra Japygium coarctat. Quippe *lib.* I. *Vandal.* ipſe inquit: *Sublatiſque repente malis Gaulum, & Melitam inſulas velociter contingunt, quę Adriaticum a Tyrrheno dividunt pelago*. *Lib.* autem I. *bell. Goth.* ait: (*a*) *Adriaticum pelagus in longum continentis receſſum ſeſe effundens, ſinum Ionium efficit, haud tamen ut in aliis locis, in quibus maris procurſus finitur Iſthmo* &c. Unde magis magiſque perſpicitur,

(a) Ita vertit hunc locum Cl. V. Claudius Maltretus apud inclytos Collectores *Rer. Ital. Script. Tom.* I.

tur, Jonium ſeu Adriaticum ſinum eſſe Adriæ partem, non vero totum Adriam, ut Strabonis, aliorumque illuſtrium Scriptorum auctoritatibus evici. Ita plane cum antiqui, tum recentiores Geographi, Hiſtoriographi, Oratores, ac Poetæ aſſertioni noſtræ conſentiunt. Hinc eſt quod Joh. Raviſius Textor, qui ſedulam verſandis veterum Auctorum voluminibus operam navavit, *Adriam* tum pro *ſinu*, tum pro *Mari* Adriatico accipi adſeverat. Præ cunctis autem recentioribus audiendus eſt Philippus Brietius, qui Geographum agens, enucleate, ſciteque inquit: *Quem alii dixere Jonium ſinum, ille* (Plinius) *Adriaticum nominat, & quod illi mare Adriaticum, hic Jonium: in parte autem inferiori hujus maris collocat Jonium, & ſiculum* &c. Equidem id requirit, docetque ipſa ratio: nam ſi Jonius ſinus a Jonio mari efficitur; cur non & ſinus Adriaticus a mari Adriatico efficiatur? Si Jonius ſinus Jonio mari nomen dedit; cur non & Adriaticus ſinus mare nomine Adriaticum fecerit? Si duplex Jonium pelagus, *interius* ſcilicet, ac *exterius* ipſe Adverſarius agnoſcit; quare duplicem quoque Adriam, nempe *interiorem* atque *exteriorem* non recognoſcat? Et quidem ſicut Jonius ſinus Adriatico ſinui exæquatur; ita & Jonium mare Adriatico mari exæquandum: utrumque ſane æquor ante communem ſinum, velut in procætone, excubat.

Inſp. 2. Diatr. 1. §. 10.

§. VIII. Præterea quoſdam ex Auctoribus ab Adverſario allegatis Adriam a Siculo mari diſcriminaſſe, ex eo ipſe conjicit, quod ii utrumque pelagus ſeorſim ac diſtincta nomenclatione indigitaverint. Exempli gratia, Seneca Philoſophus ait: *Nihil erunt Adriatici, nihil Siculi maris fauces*. Tullius haud abſimili loquendi modo inquit. *Exeamus modo, quod ut meliori tempore poſſimus, facit Adriatico mari Dolabella, freto Siculo Curio*. Veruntamen ſi colligi hinc rite poſſet, Siculum pontum ab Adriatico minime comprehendi; facili negotio quis evinceret, vel Illyricum ab Adria diſſitum, ac Syracuſas eſſe a Sicilia ſejunctas. Quandoquidem Theophraſtus ita loquitur: *Odoratorum autem* (in Græciæ regionibus) *nil provenit præter Iridem: quæ in Illyrico, & circa Adriam utilis, ceteriſque multo præſtantior* Cornelius autem Nepos, ſive ille ſit Æmilius Probus, hæc habet: *Eoque rem perduxit* (Dion) *ut talibus pactionibus pacem Tyrannus* (Dionyſius) *facere*

Senec. lib. 2. nat. qq.

Teophr. lib. 4. hiſt. Plant. c. 6.

Corn Nepos in Themiſt. c. 2.

vel-

vellet : Siciliam Dion obtineret ; Italiam Dionyſius ; *Syracuſas Apollocrates* &c. Nec diſſimili loquendi modo dixit Mart. lib. 7. Epigr. 63. Martialis *Sicanias urbes*, *Ætneaque regna petiſti* . Numne hinc elicias, neque Illyricum (*a*) circa Adriam eſſe; neque Syracuſas , Ætnamve a Sicilia comprehendi ? Haud arbitror , ſi micam habes ſalis. Quid quod ipſe Adverſator ſimilibus loquendi modis utitur ? Nempe *Inſp.* 8. *Diatr.* 2. §. 5 inquit : *Aliqua de cauſa potuerit* (Pauli navis) *in Siciliam*, *& Syracuſas deflectere*. Quid plura ? Nonne piis illis fœminis Jeſum in monumento quærentibus ſimiliter loquutus eſt Angelus : Marc. 16. 7. *Dicite Diſcipulis ejus*, *& Petro*, *quia præcedit vos in Galilæam ?* Ergo-ne hinc colliget Adverſarius, Petrum Jeſu Diſcipulis minime accenſeri ? Itaque nemo non videt, quam minus recte a Senecæ, Tullii & aliorum ſimiliter loquentium auctoritatibus ille eliciat, Siculum pelagus haud eſſe Adriæ partem . Etenim amant quandoque Scriptores partes a toto diſcriminare, totumque per partes recenſere; non quod iſtæ ab illo nequaquam comprehendantur ; ſed ut ipſorum ſenſa ſint magis perſpicua, & legentibus obvia, conſtetque, in quanam parte, aut loco fuerint geſtæ res ab ipſis enarratæ. Et ſane niſi Tullius exprimeret, Curionem Siculum mare occupaſſe, ſed minus diſtincte diceret, Dolabellam, & Curionem Adriaticum æquor tenuiſſe ; nonne illum in interiori, hunc in exteriori ejuſdem maris parte verſatos tunc eſſe, neſciremus?

§. IX. Necnon Euripidem ac Iſocratem in ſuas partes advocat noſter Antagoniſta ; propterea quod ille *in Hippol. Act.* 3. verſus Eridani fluenta Adriam recognoſcat ; iſte autem *in Orat. ad Phil.* hæc habeat : *Magnetas*, *Perrhebæos*, *ac Pæonas ſubegit* (Philippus) *omnemque in ditionem accepit : prævaluit quoque Illyriorum populis*, *& præter eos qui ſuper Adriam incolunt*, *ceterorum victor & dominus effectus eſt* . Attamen Adverſarius heic cum larvis luctatur : quis enim cum ipſo contendit , aut inficiatur, tum Eridani fluenta , tum Illyricas oras Adriam præterlabi ? Nemo plane. Hoc tantum denegamus, quod nempe extra Illyricum Adria non excurrat; idque Critico noſtro erat evincendum, ſed non præallegatis auctoritatibus, quæ nullatenus quæſtionem dirimunt. Nec minus ipſe allucinatur, quum extremo Italiæ litori affuſum a quibuſdam aliis anti-

(a) *Adriatici latus Illyris occupat*, inquit Mela.

Digitized by Google

tiquis Scriptoribus Adriam videns, hunc nequaquam ad uſque Siciliam, Melitamque productum eſſe contendat; perinde ac ſi ejus terminos illi conſtituerint ubi id mare exſpatiari agnoverint: itaut ſi Adverſarii interpretationes attendas, tot Adriæ fines eſſe dices, quot Inſulis, ac regionibus varii Scriptores eum affinxerint. Hinc eſt quod modo ad Garganum montem, modo ad Saſonem inſulam, nunc ad Cocinthum P. nunc ad Japygium, modoque ad Leucopetram a veteribus Auctoribus extendi ille dictitet. Quandoquidem, ſi rem, uti ſe habet, reſpiciat; aſſertionis noſtræ veritatem comprehendes. Nimirum ideo Adrianum mare extra Japygias fauces quidam Scriptores protulere, quod iſtud unam eamdemque rem eſſe cum Jonio magno cenſuerint; nonnulli autem Adriam intra eaſdem Fauces concluſerunt, propterea quod ipſum pro ſinu hujus maris accepere.

§. X. Quid autem nobis dicendum eſt de Scymno Chio, qui ſi Adverſarium conſulas, miſerum Adriam adeo reſtringit, retrahitque, ut hodiernum Venetum ſinum duplo majorem illo faciat! Sat eſſet dicere quod vel Adverſarii judicio parvipendendus ille ſit. Quippe ſi unanimi veterum Scriptorum conſenſu Adriam Veneto ſinui exæquatum eſſe contendit noſter Antagoniſta; quidni Scymnum extra chorum ſaltare ille ipſe fateatur? Prætereo, iſtius Scriptoris ſententiam magis Adverſario, quam nobis refragari. Si enim ille, ut iſti placet, Adriam poſt Diomedis inſulam intrudit; ad *Meletam*, quæ illi Inſulæ e regione eſt, enatare Paulus non potuit: ſiquidem iſte, referente Luca, jactabatur in Adria, antequam Melitæum littus adpelleret: Atqui Adria, ut e Scymni verbis ille colligit, non ante *Meletam*, ſed interius, poſt ipſam diffundebatur; ad eam igitur naufragus haud evaſit Apoſtolus. De iſto autem Scriptore fuſius *in diſſert.* 1. egi ubi ejus de Adriæ limitibus ſententiam eſſe perplexam & obſcuram, atque in ea perpendenda Zoilum noſtrum caligaſſe oſtendi.

§. XI. De Appiano autem Alexandrino, quem quoque in ſententiam ſuam advocat Adverſarius, etſi dicere ſufficeret, illum fuiſſe homochronum noſtri Ptolemæi, cujus teſtimonium reſpuit noſter Zoilus; hoc tamen addam, quod nempe illius verba, ab iſto allegata, nobis minime obſunt. *Ab Jonio* (inquit Appianus) *ſinus eſt maris Ægeus, & al-* Appian. in Præf. ad ſuas hiſt.

ter

ter Jonii maris, *& ſiculum fretum*, *& Tyrrhenum mare uſque ad Herculeas columnas* .:.. *Ipſaque Italia cum nemine omnium gentium longiſſima ſit*, *ab* Jonio *mari late præter Tyrrhenum protenditur uſque ad Gallos*. Heic primo animadvertendum eſt, Appianum reſtringere Sicilienſe pelagus ad pontum illum, ab Anonymo Ravennate, ut in Superiori *Diſſert.* exponebam, Rhegienſem appellatum, qui Italiam a Sicilia ſejungit; namque ipſum vocat fretum, *porthmon*, ideſt æquor anguſtum, quæ quidem nomenclatio non convenit Siculo mari, a Strabone, aliiſque Geographis deſcripto. Itaque reliquam magni hujus pelagi partem, & quidem majorem, Appianus comprehendit ſub ſinu Jonio: hoc autem nomine a veteribus Auctoribus Adriam inſigniri pluries demonſtravi; neque Adverſarius repugnat. Quid igitur aliud ex Appiani dictis colligi debet, niſi quod Siculum mare, excepta ipſius minima portione, hoc eſt Mamertino freto, Adria complectatur? Hunc ſane ſcopulum advertit, timuitque Adverſarius; utque ipſum evitaret, ad conſuetas fruſtrationes, offuciaſque confugit: idcirco Lectores ſuos monuit, ne ipſis ſcrupulum injiceret nomen *Sinus*; ita enim *generatim Geographis dici ſpatium certi maris* ille ſubjungit. Attamen mox, licet invitus, veritatem fatetur: quippe inquit: *Proprie ſinum vocant*, *qui interior quidem*, *ſed pervius non eſt*. Sed ſi propriam hujuſce vocabuli ſignificationem habemus, cur ſenſui minus proprio inhæret noſter Criticus, qui tamen Adriæ nomen in præſenti controverſia proprie accipiendum eſſe contendit? Ceterum Appianus tum interiorem, tum exteriorem totius Jonii maris partem *Sinus* vocabulo indigitat, quum utrique Adriæ nomen competat. Eum vero loquutum eſſe de toto Jonio perſpicuum eſt; nam poſt Ægæum mare, quod etiam *Sinum* vocat, Jonium collocat (in Occaſum tendendo), mox Siculum fretum, quod inter Italiam, ac Trinacriam agnoſcit. Neque in hoc ab aliis antiquis ille diſſentit: etenim licet ii *Sinum* a *mari* Jonio, vel Adriatico nonnumquam diſtinxerint; tamen Adriæ jura in utroque recognoſcentes alterum pro altero perſæpe uſurparunt. Et quidem cum interior, tum exterior totius ejus maris pars promiſcue dicitur Dionyſio Halicarnaſſenſi, ac Thucydidi *Jonius Sinus*, Livio, Plinioque *Jonium mare*; Ciceroni, Dionyſio Afro, Straboni, Solino, & aliis *Adria*

Inſp. 2. Diatr. 4. §. 39.

Adria-

Adrianum, vel *Superum mare*, ut ſatis ſuperque ſuperioribus *Diſſert.* demonſtravi.

§. XII. Quæ quum ita ſint, nemo non videt, quam minus recte cum Græcos, tum Latinos Scriptores in ſuas parteis adſciſcat noſter Antagoniſta. Quandoquidem nemo illorum pro ipſo libenter, ac valide pugnat: quinimo fere omnes relictis ejus caſtris vexilla noſtra ſequuntur. Lugeat ergo tot tantoſque Militiæ ſuæ, ut ita dicam, deſertores; & qui a nobis nec unum ex *Anteptolemaicis* Scriptoribus ſtare contendebat; jam agnoſcat, cunctos ferme veteres Auctores ſententiæ noſtræ ſuffragari; ſuæ vero male fultæ opinioni vix & ne quidem vix unum plene aſſentiri. Quod ſi, ſolutis oppoſitionum noſtrarum nodis, vel unius idonei Scriptoris, Lucæ contemporanei, auctoritate is oſtenderit, *Adriam exteriorem, ſive Adriaticum mare a Naſone late patens dictum cum Siculo mari, ſeu Ionio magno, a Juvenale late ſonante appellato, minime permiſceri*; me illi pilam ceſſurum ſpondeo; eritque ille mihi magnus Apollo. Interim vero ipſe, ut Arabis Vatis parœmia utar (a) *loco prædæ contentus ſit reditu.* Abu-Iſmaelis Tograi carm. cui tit. *Lamiatol Ajam.*

DISSERTATIO SEXTA.

Haud eſſe reprehendendam eorum ſententiam, qui Adriæ nomen apud D. Lucam haud certi maris proprium, ſed appellativum eſſe autumarunt.

§. I. HAnc quidem concluſionem minime inſtituiſſem, videlicet Adriæ vocabulum ab Apoſtolicorum Annalium Scriptore delectum fuiſſe ad vividius exprimendam periculoſam pelagi, in quo Paulus jactabatur, efferveſcentiam; niſi & Adriam proprie ſumptum a graviſſimis cujuſvis ævi Scri-

(a) Ea verba protuli ex interpretatione Eduardi PococKii, inſignis Linguarum Hebr. & Arab. Profeſſoris.

ptoribus in noſtro mari recognitum fuiſſe, totis quinque ſuperioribus Diſſertationibus jam ſatis ſuperque demonſtraſſem. Etenim rite vereri potuiſſem, ut Zoilus noſter hiſce, vel non abſimilibus dicteriis eſſet nobis inſultaturus: *En quo confugere conantur miſeri Philomaltenſes: ad extorquendam ſcilicet Sacri Scriptoris ſententiam, impropriȩ Adriȩ ſignificationi inhȩrentes, quum propriam ſibi refragari viderint*. Quoniam vero nos ita inſectari non valet; hanc Diſſertationem inſtituere operæ pretium duxi, ut ſui opinamenti imbecillitatem, noſtræ ſententiæ robur undequaque emergere vel invitus dignoſcat.

§. II. Profecto quamplures fama & eruditione clariſſimi viri Adriam pro quocumque impetuoſo, periculoſoque mari uſurpari a Sacro iſto Hiſtoriographo potuiſſe arbitrantur. Inter alios Walafridus Strabo, ac Eminentiſſimus Hugo de S. Charo Adriam pro mari, ſcopulis, cautibuſque pleno acceptum ab ipſo fuiſſe autumant. Hos tamen eſſe allucinatos aſſerit, ſed venia dignatur clementiſſimus noſter Criticus; quod nempe primus ſcripſerit ætate qua Cecropia Minerva nihil aut parum excolebatur; alter autem ex primo fuerit ejuſmodi interpretationem mutuatus. Ecce itaque quam facili negotio a repugnantibus ſibi tantis Auctoribus ſeſe tueatur moroſiſſimus noſter Antagoniſta. Quinimo & pari facilitate a Magni Hieronymi teſtimonio ſe extricare putat: quippe ille fatetur, Sacrum hunc Doctorem ita exponere Judaicum Adriæ nomen: *Adrias continens mala*; tamen hanc expoſitionem nihilum nobis opitulari, nihilque ſibi officere opinatur. Sed non ita judicant æqui rerum æſtimatores. Revera eam in pretio habuit prælaudatus Hugo, qui verius D. Hieronymi, quam Walafridi auctoritatem ſequutus eſſe videtur: ſiquidem ille *loc. cit.* hæc habet: *Pluraliter accipitur* (Adria) *pro ſcopulis .... In libro Hebrȩorum nominum, Adrias continens mala, vel locus malorum dicitur*. Et quidem *locus malorum* fuerat Romanis Siculienſe pelagus: nimirum ducibus M. Æmilio Paulo, & ſervio Fulvio Nobiliore Coſſ. ex Punica claſſe circa Hermæam P. profligata remeans in Italiam victrix Romana claſſis formidabile in hoc mari naufragium perpeſſa eſt: *& tanta* (referente Eutropio) *tempeſtas fuit, ut ex quadringentis ſexaginta quatuor* (a) *navibus octoginta ſervari vix*

Wal. Strab. in Gloſ Ordinar. Hug. a S. Char in Act. c. 27.

D. Hieron. de nom. Hebr.

Eutrop. Hiſt. Rom. lib. 2.

ri vix

(a) Claſſem eam fuiſſe 350. navium ait Benedictus Averanius *in Anthol.*

ri vix potuerint. Neque ullo tempore tanta maritima tempeſtas audita eſt. Idem refert Polybius *lib.* 1. licet in recenſendo navium numero nonnihil ab Eutropio diſcrepet. Nec non idem mare ut *ſatis latum periculoſumque* habuit Romanæ Parens eloquentiæ *Verr.* 4. Quid igitur mirum, ſi D. Lucas cum tot Romanis navigans, adeo impetuoſum pelagus expaveſcentibus, ipſumque *mala continens* expertis, vivida Adriæ appellatione iſtud exprimere voluerit?

§. III. Huc accedit quod Arabicus Codex *Ven. Collegii* Propagandæ Fidei, Latio donatus ab eruditiſſimo noſtro Dominico Macro, & ab iſto collatus Joh. Franciſco Abelæ, pro *Adria* habet *Hadrair*: quo quidem vocabulo non certum mare, ſed quodcumque generatim, ſævis procellis, periculiſque obnoxium, indicatur. Sed reclamat noſter Antagoniſta, vocemque *Hadrair* a Gabriele Sionita Arabici Textus Interprete, *viro docto, & Indigena*, non *mare periculoſum*, ſed expreſſe *Adriam* reddi adſeverat. Eſto. Quid tamen inde? Numne ſi Gabriel Sionita propriæ ac genuinæ vocabuli *Hadrair* ſignificationi inhærere noluit; colligi hinc debet, eam vocem Arabicam minime denotare pelagus impetuoſum, ac periculis plenum? Quid ſi hoc ipſum *appellativo Adriæ nomine* ſatis indicari ille cenſuerit? Nonne vero & noſter Macer, qui Arabicum illud vocabulum, ſicut exponebam, interpretatus eſt, doctrina, linguarumque Orientalium, & maxime Arabis, peritia erat luculenter inſtructus, & Sionitæ minime poſtponendus? Id plane ejus opera, typis mandata, & a Literaria Republica haud parvo in pretio habita, teſtantur. Sed inquit Adverſarius: *Utique Lucas non Arabibus Acta Apoſtolica, ſed Græcis ſcripſit, apud quos Adria certum mare ſignificat: utut deinceps pro incerto pelago uſurpaverit Arabs, certe perperam uſurpavit.* Ita-ne mi Sycophanta! An-ne oblitus es, te alibi aliter ratiocinatum eſſe? Nonne tua hæc alia ſunt? Inſp. 1. Diatr. 6. §. 6.

T 2 Tan-

thol. Diſſert. 66. forte Polybium ſeqoutus, qui aſſerit, Romanos in illa expeditione 350. naves in mare deduxiſſe; & inito cum Punica claſſe certamine, quæ ex ducentis navibus erat conflata, ex his 114. cepiſſe, cæteris in fugam verſis. Sed heic Polybius haud ſatis ſibi conſtat; nam paullo poſt affirmat, naves Romanas fuiſſe 363. quandoquidem ſi 350. navibus addas 114. Punicas captas, numerum 464. conficies. Mendum autem eſſe arbitror apud Caruſium ex Polybio referentem, eas naves fuiſse 600.

Digitized by Google

Inſp.5. Diatr. 1. §. 2. *Tandem vero quidem ſimillimum eſt Lucam Judæum (a) Judaico hic uſum idiotiſmo, apud quos Typhonis, vel quod idem eſt, Turbinis vocabulum paſſim pro violentia procellæ, vel quolibet vento atrociore uſurpatur.* Aſt mi Tergiverſator optime, ſi Lucas licet Græcis, ut aſſeris, non Judæis Apoſtolicam conſcripſit hiſtoriam, tamen Hebraicis uti potuit idiotiſmis in *Typhone* indicando; cur & in Adriæ appellatione Judaicam, vel Arabicam iſtius nominis etymologiam, attendere, nempe *Adriam* pro *mari procellis ac periculis obnoxio*, vel *mala continente* accipere non valuit?

§. IV. Hinc perſpicuum fit, quam temere ac inique Abelæ ſucceuſeat noſter Zoilus, aſſerens eum *pervulgatam Adriæ ſignificationem contra omnium ſententiam ſubvertere tentaviſſe*. Quandoquidem ille non modo Arabico Textui præmemorato, ſed etiam ſupra laudatis Scriptoribus in *Adriæ* interpretatione conſentit. Porro noſter Cenſor feſtucam ex Abelæ oculo dejicere affectat, trabem vero, quam in oculo ſuo habet, non intelligit. Nimirum præter alios pudendos lapſus, erroreſque graviſſimos, quos ſæpenumero ipſe contrahit; pro Syracuſis, a divino Apoſtolicorum Annalium Scriptore memoratis, *Ericuſas*, vel *Racbuſium portum* ſubſtituere tentavit. Quis autem ſive Græcus, ſive Arabs, ſive Latinus, vel Hebraicus Scriptor rem adeo ineptam abſurdamque ſomniavit?

§. V. Præterea aſſolent Scriptores, præſertim Poetæ, certum mare, ſeu flumen, aut ventum, ſeu montem pro Virgil. lib. 1. Georg. quolibet mari, flumine, vento, ſive monte uſurpare. Sic Latinorum Poetarum Coryphæus Acheloum (b) pro quolibet fluvio accepit, quum cecinit:

Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis.

Idem Vates Eurum pro quolibet vento uſurpavit: quippe *lib.* 1. *Æn.* inquit:

.....*volucremque fuga prævertitur Eurum.*

Horatius autem Flaccus ipſum Adriam pro quocumque pelago accepit *lib.* 1. *Od.* 16. ubi ita canit:

O matre pulchra filia pulchrior,
Quem criminoſis cumque voles modum

Po-

(a) Lucam fuiſse Proſelytum, & Hebræas litteras ignoraſse tradunt plerique, ut ait Iſidorus Epiſcopus Iſpalenſis apud Aloyſium Lipomanum *in SS. Hiſt. Part.* 1.

(b) Achelous fluvius a Pindo monte oritur, Ætoliamque ab Acarnania dividit; primuſque omnium e terra erupiſse dicitur.

Digitized by Google

Pones jambis, ſive flamma,
Sive mari velis Adriano.

§. VI. Necnon amant Poetæ rerum confinia protendere, & quibuſdam locis nomen vicinorum locorum adſciſcere. Ita Euripides Sicilienſe Fretum, Scyllam adlambens, Tyrrheni nomenclatione indigitat: quippe *Med.* 5. ait:

Καὶ Σκύλλαν, ἢ Τυρρηνὸν ᾤκησεν πέδον (a)

Eamdem Scyllam, vicinamque Charybdim in proximo Jonio mari agnoſcit Seneca Tragicus, qui *Med.* 3. inquit:

Quæ Scilla, quæ Charybdis Jonium mare,
Siculumque ſorbens . . . .

Sic idem Poeta Thraciam pro vicina Theſſalia accepit, quum Pindum Theſſaliæ montem dixit *Thracem in Herc. Fur. Aut omne Pindi Thracis exſcindam nemus* &c. Sicut Marco Strymonem Macedoniæ flumen (b) in vicina Theſſalia recognovit *Georg. lib.* 4. ubi cecinit, Orpheum ſeptem menſes continuos *rupe ſub aerea deſerti ad Strymonis undam fleviſſe;* quandoquidem flumen, ad cujus undam adeo longos ploratus edidit Threjicius Vates, fuit Hebrus Thraciæ fluvius.

§. VII. Hæc non inficiatur noſter Criticus; verumtamen Sacrum Hiſtoriographum Lucam hoſce loquendi modos Poetis uſitatos amplecti minime decuiſſe contendit. Nimirum Adverſator profanæ eruditioni ſummopere intentus, fortaſſe Sacris Codicibus nocturna, diurnaque manu verſandis minus incubuit. Nempe ſi eos bene evolviſſet, ſimiles loquendi formas tum in Veteri tum in Novo Teſtamento nactus eſſet. Equidem ipſe Paulus, ſub cujus ductum, ut auctor eſt Dorotheus, Apoſtolicos Actus Lucas conſcripſit; hæc habet *Epiſt. ad Hebr. cap.* 9. *Tabernaculum factum eſt primum, in quo erant* .... *Poſt velamentum autem ſecundum Tabernaculum quod dicitur Sancta Sanctorum: aureum habens Thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti* &c. Et tamen in Arca non adſervabantur niſi ſolæ

Doroth ap. Calmet. diſſert. 4. in Nov. Teſtam. tom. 4.

(a) *Et Scyllam, quæ Tyrrhenum occupat mare.* (b) *Vulgo Stromona.*

ſolæ Legis tabulæ, ut conſtat ex 3. *Reg.* 8. 9. & 2. *Paralip.* 5. 10. Manna autem, & Aaron virga non in Arca, ſed in Tabernaculo, in conſpectu Domini, ideſt ante Arcam, collocata erant, ut legitur *in Exod.* 16. 33. *Num.* 17. 4. Quod expendens Eminentiſſimus Urſinus qui nuper audiebat Benedictus XIII. *Lect.* 45. *ſup. Exod. num.* 125. aſſerit, Apoſtolum ibi pro Arca locum accepiſſe iſti aſſignatum, ubi repoſita fuere vas mannæ, & virga Aaron; ſecundum S. Scripturæ ſtilum, quo quidpiam eſſe dicitur in loco nominato, quum tamen haud ſit, niſi in loco ei proximo.

§. VIII. Et quidem Jeremiæ *cap.* 35. *verſ.* 2. habentur hæc verba ad ipſum facta a Domino: *Vade ad domum Rechabitarum: & loquere eis, & introduces eos in domum Domini in unam exedram theſaurorum* &c. Et tamen exedra erat extra Templum, & huic tantummodo conjuncta. Peæterea *Joh.* 10. legitur, quod Chriſtus Dominus *ambulabat in Templo in portico Salomonis*; tametſi porticus erat ſita extra Templum. Eapropter ſi Ethnicos Auctores, præſertim Poetas, æmulari gravaretur divinus Hiſtoriographus; certe Pauli, Jeremiæ, & Johannis locutiones imitari ipſum non dedeceret. Reapſe iſtos ſequutum eum fuiſſe perſpicitur ex ejus *cap.* 9. ubi de Sacratiſſimis Reparatoris noſtri morte loquens hæc habet: *Dicebant exceſſum, quem completurus erat in Jeruſalem*; quum tamen hujuſmodi exceſſum non in Jeroſolyma, ſed ſuper Calvariæ locum, illi urbi proximum, Redemptor noſter compleverit. Si ergo Paulus, Jeremias, Johannes, & ipſe Lucas, *Arcam, Templum, Jeruſalem*; pro locis *Templo, Arcæ, Jeroſolymæ* vicinis, conjunctiſque uſurpavere; cur idem Sacer Hiſtoriographus Adriam pro Siculo mari Adriæ proximo, contiguoque accipere non potuit? Et maxime quod Sicilia olim Italiæ continens fuit, cui, vel Adverſario fatente, Adriam affuderunt antiqui Scriptores. Hæc autem dicta ſunt in gratiam moroſi noſtri Antilegontis, qui ſubtilibus animadverſionibus, argutiſque acuminibus adeo gaudet paſciturque, ut non niſi hujuſcemodi armis nos, haud ſecus ac utre, territare conatus ſit: quandoquidem nos omni armorum genere illum non modo abſterremus, ſed etiam profligamus, obruimus, exinanimus.

§. IX. Heic autem diluenda mihi ſeſe offert alia oppo-

ſitio,

Digitized by Google

ſitio, quam iſte (*a*) Philautus magnificat, ac tamquam novam, inauditam, & inexpectatam jactabundus eructat. Apoſtolicus Hiſtoriographus (hoc eſt Achilleum ipſius argumentum) enarrat quod Apoſtoli navigium e Creta verſus Italiam iter direxerit, ac Typhonico Euroaquilone correptum Claudam inſulam prætercurrerit; indeque flatibus, fluctibuſque jactatum per tredecim dies incerta navigatione in jacturam certam irruerit. Pone hæc ille ſubnectit: *Sed ſteaquam quartadecima nox ſupervenit, navigantibus nobis in Adria, circa mediam noctem ſuſpicabantur nautæ apparere ſibi aliquam regionem* &c. Atqui cuncta iſta ſubdit Adverſarius *in Adria Ptolemaico a Creta incipiente* eveniſſe aſſerunt Philomaltenſes: Adriam autem adeo late patentem (*b*) omnibus pernotum fuiſſe fateantur oportet. Ergo ipſi ineptiæ, ac inſipientiæ diſſimulant Lucam, veluti ſerius ac intempeſtive ſignificantem, quod in Adria navigabant, poſtquam ſuæ per id mare navigationis decimamquartam noctem ſuperveniſſe dixerit: *Quis enim non inepte* (inquit noſter Criticus) *non inſipienter in conſcribendo ſuo Itinerario dixerit; ſe Neapolim adiſſe, Romam, Florentiam, tandemque cum in Italia eſſet, acceſſiſſe Mediolanum? Vel hoc modo: Ravenna diſceſſimus, præterivimus Anconem, & navigantes in Veneto ſinu, decima quarta die pervenimus Brunduſium. Nonne frivola foret, & irridenda hujuſmodi ſupervacanea atque importuna Italiæ ac Veneti ſinus inculcatio, quæ nemo homo ex memoratorum locorum ſitu, ac celebritate inibi reſidere ignorabat?* Inſp. 2. Diatr. 5 §. 10. Act. 27.

§. X. Vides quam bene in texendis aranearum telis verſatus ſit noſter Zoilus. Nonne ſtrenue cum larvis ipſe luctatur? Mecaſtor Lucæ ſenſa is non intelligit. Siquidem Sacer iſte Scriptor non appoſuit ea verba; *navigantibus nobis in Adria*; ut ſe tunc primum Adriam ingreſſos, ſed ut ejus maris limites nondum prætergreſſos eſſe indicaret: cam-

(a) Philauti dicuntur qui valde ſibi placent: quod vitium φιλαυτία vocatur, & ab Horatio graphice deſcribitur *cæcus amor ſui*. (b) Nota inanem Adverſarii operam, vanamque eloquentiam. Adriam *Ptolemaicum* omnibus innotuiſse contendit, propterea quod late patens fuerit. Ergo-ne Adria *Georgianus* nulli eſse notus debuerit, quod fuerit minus diffuſus? Et Venetus quidem ſinus omnibus innoteſcit, utut Adria *Ptolemaico* multo minor ſit.

eamque *pericopen* opportune ac prudenter ab ipſo factam nemo bene oculatus non videt. Etenim licet abſque illa Adriæ inculcatione aſſequi Lector poſſet, quod iſtius navigationis initio Adriam ſulcaverit Pauli navis; tamen divinare non poſſet, quod poſt tredecim dies validæ tempeſtatis terminos ejuſdem pelagi, longeque ultra Melitam haud excurriſſet. Neceſſum igitur erat, ut id prudens Hiſtoriographus ſignificaret hiſce verbis, aptis quidem, ac vivide exprimentibus: *navigantibus nobis in Adria*; ideſt, quum adhuc navigaremus in Adria, vel nondum Adriæ confinia prætergreſſi eſſemus. Neque aptius iſtius procellæ ac navigationis curſum exprimere valebat ſapientiſſimus iſte Scriptor, quam deſignando ejus initium, ac finem. Initium quidem ipſe deſcripſit, quum ſeſe e Creta profectos dixit; finem vero deſignavit, quum ſeſe paullo ante factum naufragium, quo navigatio terminata eſt, in Adriæ confinibus (*a*) prope Melitam, ad quam mox enatarunt, jactatos fuiſſe tradidit. Unde vel ad hæc cæcutienti perſpicuum fit, quale quantumque mare emenſi ipſi fuerint ab initio uſque ad finem iſtius procelloſæ navigationis. Thomas autem Maſſutius arbitratur, Lucam, ſociosque non niſi tum temporis, nempe ſuperveniente quartadecima nocte, advertiſſe ſeſe in Adria jactari. Sed ingenuus Lector videat, utra interpretatio ſibi aptior contingat, noſtra ne, an Maſſutii?

Maſſut. in Vit. S. Paul. l. 11. c. 9.

§. XI. Si vero Adriæ vocabulum ut appellativum Lucas adhibuit, ut ſupra diſſerebam; etiam atque etiam futilis iſta Adverſarii difficultas evaneſcit. Nimirum Sacer Hiſtoriographus, ſeſe decimaquarta nocte in Adria navigaſſe, juremerito aſſirmavit; quum tunc jactarentur in pelago Romanis, quorum ingens erat in navi numerus formidabiliore, ac veteribus Scriptoribus, ut periculoſiore habito: ſiquidem tunc id emetiri cœperant mare, quod Siciliam inter & Africam diſſunditur, a Tullio *ſatis latum, periculoſumque* dictum; ubi contigerat ſupramemoratum horrendum naufragium Romanæ claſſis; eo quod Conſules ejus Ductores Meridionalem Siciliæ

(a) Melita ſane, Gaulusque Procopio teſte, *Adriaticum a Tyrrheno dividunt pelago.*

liæ oram, nempe (a) *Camarinæorum ditionem* prætерlegere voluerunt, *gubernatoribus (b) ſæpe multum obteſtantibus, ne* Polyb. lib. 1. *ſecundum exterius Siciliæ latus, quod mare Africum ſpectat, navigare vellent; quoniam profundum ibi pelagus eſt, & tota illa ora importuoſa*. Vides ut antiqui Navarchi ancipitem hujuſce maris effervеſcentiam, profunditatem, lituſque portubus deſtitutum perhorreſcebant! Jam igitur Lucam appoſite, prudenterque ipſum appellaviſſe Adriam intelligis.

§ XII. Hoc denique animadvertendum Lectori meo propono, quod nempe divinus iſte Hiſtoriographus nomina propria pro appellativis uſurpare conſuevit: quippe ventum, quo fuerat Pauli navis abrepta, Typhonicum ipſe dixit; quum revera Typhon haud eſſet, ut in ſequenti *Diſſert.* §. 3. exponam; ſed violentus ac impetuoſus inſtar Typhonis. Quocirca noſter Criticus aſſerit, Lucam ſecundum Judæorum ſtilum accepiſſe Typhonem *pro violentia procellæ, & quolibet vento atrociore*, ut ſupra ajebamus. Quid igitur eſt in cauſſa, cur & Adriam pro maris effervеſcentia, & quovis pelago ſæviore accipere idem Scriptor non potuerit? Cæterum ſi Adverſarius pertinaciter contendat, ipſum *Act.* 27. Adriæ nomen non ut appellativum, ſed ut certi maris proprium accepiſſe; nequaquam ei diutius reluctabor: quandoquidem ſatis ſuperque demonſtravi, & Adriam proprie ſumptum, a clariſſimis Græcis, Latiniſque Scriptoribus, tum Apoſtolici Hiſtoriographi contemporaneis, tum ipſo antiquioribus, necnon a graviſſimis Neotericis in hoc Sicilienſi pelago eſſe recognitum. Quapropter liberum eſt Antilegonti noſtro eligere, in utro e duobus, hoc eſt, an in *appellativo*, an-ne in *proprio* Adria, ratem ſuam philorechnis, dolis, captionibus, offuciis, erroribus, diſſimulationibus, calumniis, aliiſque id genus mercibus onuſtam velit immergere; quum ſane per neutrum Adriam ad optatum portum eam perducere incolumem valeat.

(a) Camarina, vulgo *Camarana*, a Melita diſtat 84. P. M. ut referunt Plinius, ejuſque Compilator Martianus Capella. Camarinæis autem victoriam ex Punica claſse recenter relatam oſtentare affectabant Romani Duces, ut eos perterrefacerent, & ad deditionem compellerent.

(b) Nota quam nimis metuebant hoc mare periti illi Navium gubernatores! Quidni ergo Lucas ipſum ut impetuoſum ac periculoſum habuerit?

DISSERTATIO SEPTIMA.

Flante vento Typhonico, a Luca deſcripto, D. Pauli navigium neutiquam in Meletam, utique in Melitam impelli potuiſſe.

§. I. Obtruncata prima Hydræ, ut ita dixerim, Adverſarianæ cervice, reliqua ejuſdem capita remanent nobis conterenda. Quum nempe Adriæ nomen tum proprium, tum appellativum Sicanio pelago congruere prorſus evicerim; diluenda mihi ſunt alia argumenta, queis noſter Antagoniſta Paulum Naufragum *Meletæ* adſciſcere conatur. Quidpe is Græcum quoddam Archetypum producens contendit, ventum, quo juxta Cretam correptum fuit Apoſtoli navigium, *Euroclydonem* fuiſſe, ideſt *Eurum procelloſum*; *Euri* autem nomine non niſi purum ac putum (a) vulturnum a veteribus Scriptoribus eſſe inſignitum; iſtoque vento perflante non in noſtram, ſed in Dalmatenſem Inſulam Pauli navem impelli potuiſſe. Perindeque ac ſi certandum ei foret cum ſolis Nautis Melitenſibus, aut vulgo literarum experte: Inſulares noſtros nupera Ventorum nomina, adſpirationeſque callere fatetur; eoſdem autem vetuſta illorum cognomina, & poſitiones ignorare adſeverat. Attamen ego effrontem hunc Zoilum non minus in veteri *Finitoris* diviſione, quam in priſcis Adriæ limitibus allucinatum eſſe oſtendam. Quamobrem heic duo nobis ſtatuenda ſunt. I. Ventum a D. Luca *Act.* 27. memoratum, fuiſſe *Euroaquilonem*, hoc eſt Cæciam (b); ut habet veneranda Verſio Vulgata. II. Quod etſi ventus ille fuerit *Euroclydon*, ut vult Adverſarius, nihilotamenminus hujuſmodi flatus Apoſtoli navigium non in Meletam, ſed in hanc noſtram Inſulam vexiſſet.

Hug. Grot. in not. ad Act. Apoſt.

§. II. Et quidem circa primum; Hugo Grotius, vir *Cecropiæ madidus*, *Latiæque Minervæ*, quamvis Acatholicus, Vulgatæ Verſionis lectionem adprobat: quippe *in not. ad Act.*

(a) *Vulgo Sirocco*. (b) Vulgo *Greco-Levante*.

Act. Apoſt. inquit*: Vera lectio eſt, quam ſequutus eſt Latinus Interpres,* Ευροακύλων*: pari modo dicitur Euronotus, & Eurocercius apud Vitruvium*. Ita quoque ſentiunt multi inſignes *Actuum Apoſt.* Exegetæ, Gloſſa Ordinaria, Codex Alexandrinus Regio-Anglicus, Verſioque Æthiopica. *Euroaquilonem* vero eumdem ventum eſſe atque Cæciam, arbitrantur Cl. viri, Lyranus, Gagnæus, Salmeron, Emanuel Sa, Tirinus, Sylveira, Menochius, aliique *Actuum Apoſt.* Expoſitores; nec non Scoglius *in Hiſt. Eccl.* Sanctorius, Maſſutius *in vit. S. Pauli*, & alii non pauci, quibus ſubſcribunt Heterodoxi Bochartus *in Chan. lib.* 1. *cap.* 26. Vadianus in *Epit. Geogr.* ubi *de Inſulis maris Mediterranei*, Cluverius *lib.* 2. *Sic. ant. cap.* 16. Scapula *in Lex. verb.* Εὖρος. Sed ne ſolis hiſce auctoritatibus, utut multis, & graviſſimis, inniti videamur; ſententiam noſtram rationibus argumentiſque fulciamus. Equidem in dubium minime revocatur, quod D. Lucas ea venti nomenclatione indicare voluerit flatum proceloſum & fluctuoſiſſimum: quæ proprietates magis in Aquilone, quam in Vulturno reperiuntur. Quocirca Æthiops legit *flatum Aquilonarem*. Nec aliter ſentiunt veteres Scriptores, qui fere cuncti Aquilonem, ut flatum violentum ac proceloſum habent. Horatius *Carm. lib.* 3.

Quod non imber edax, non Aquilo impotens (*a*)
Poſſit diruere.

Virgilius *lib.* 1. *Æn.*

Talia jactanti ſtridens Aquilone procella
Velum adverſa ferit, fluctuſque ad ſydera tollit.

Et *lib.* 4. *Æn.* idem ait*:*

Quid mediis properas Aquilonibus ire per undas?

Lucanus *lib.* 5.

Sed Scythici vicit rabies Aquilonis....

Statius *Theb. lib.* 8.

Cum Libyæ Boreas Italos niger attulit imbres.

Martialis *Epigr. lib.* 10.

Stridenteſque feram fluctus Aquilonis iniqui.

Claudianus.

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit.

(a) *Impotens*, ideſt valde potens: heic enim particula *In* vim habet augendi.

Pontanus.

Suſcitat horriſonas ſtridenti Aquilone procellas.

Vides ut *impetuoſus*, *rabidus*, *procelloſus*, *niger*, *iniquus*, *ſtridens* Aquilo dicatur! Quæ tamen adjuncta ferme numquam ab Auctoribus Vulturno tribui videris. Quinimo Plinius Vulturnum æque ac Favonium tepidos dicit. Aquilonis quidem rabies ac procella adeo erat antiquis metuenda, ut, licet omnes venti aris ſacriſque olim eſſent culti; hujuſmodi tamen honor nominatim ac ſolemniter Aquiloni Threjicio habitus fuerit, ut animadvertit Ezechiel Spanhemius *in Obſerv. in Callim. Hymn. in Del.*

Plin. Lib. 2. c. 47.

§. III. Neque nobis obeſt, quod Apoſtolicus Hiſtoriographus eum ventum dixerit *Typhonicum*; quum Typhonem e certa mundi regione, & maxime Aquilonari, ſpirare negaverit Ariſtoteles; & flante Aquilone potius diſſipari Typhonem affirmaverit. Etenim Lucas eum dixit *Typhonicum*, non quod vere Typhonem reputaverit, ſed ut ſignificaret, eum fuiſſe inſtar Typhonis violentum ac impetuoſum: quod fortaſſe vocabulum a Nautis ille didicit, qui ventorum nomina & proprietates non ex Ariſtotele, aliove Scriptore, ſed uſu edocti ſunt. Quid ſi Lucas genere Judæus gentis ſuæ idiotiſmum ſequi voluerit? Typhonem ſane pro quolibet impetuoſo ac violento flatu accepiſſe illum dices. Mihi fidem non adhibes? Audi Adverſarium id ingenue fatentem. *Vero quidem ſimillimum eſt* (inquit) *Lucam Judæum Judaico hic uſum idiotiſmo, apud quos Typhonis, vel quod idem eſt Turbinis vocabulum paſſim pro violentia procellæ, vel quolibet vento atrociore uſurpatur.* Quod pone ipſe confirmat Eſaiæ, Regiique Pſalmographi auctoritate.

Ariſt. l. 3. Meteor. c. 1.

Inſp. 5. Diatr. 1. §. 2.

§. IV. Sed reclamat noſter Tergiverſator, & Lucam e Judæo Græcum faciens, rurſus ipſum (*a*) e Græco Judæum facturus, ita ratiocinatur, ſeu verius cornicatur: *Græcum nomen eſt Eurus, Latinum Aquilo; unde apud Græcum Lucam portentoſa & Centaurica fuiſſet eorum complexio in vocabulo Euroaquilonis. Quis enim ex Græcis niſi pluſquam rudis diceret Notovulturnum, ſeu Libofavonium?* Aſt ipſum rogo; ſi Vitruvius Scriptor Latinus complecti potuit Græcum & Latinum nomen, nempe *Eurocercium*; cur & Lucas Græcus Scriptor conjungere non potuit Latinum.

Inſp. 5. Diatr. 1. §. 9.

(a) Vide Diſſert. 13. §. 10.

tinum & Græcum vocabulum, ſcilicet *Euroaquilonem?* Jam vero reſipiſcit noſter Criticus; tametſi de more ſuo ſibi contradicit. Nimirum, quum *Euronoti*, & *Eurocercii* exempla a Grotio ex Vitruvio producta ſibi refragari videat, hanc foſſam, ut ajunt, ſaltu tranſilire ſtudens, aſſerit, nil portentoſum in iis vocibus reperiri; propterea quod primum vocabulum eſt totum Græcum; alterum vero totum Latinum. Næ malecautus iſte Nugator, ut dici amat,

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim:

Ut enim portentoſam vocabulorum Græci ac Latini complexionem is evitet, in alind majus portentum offendit: nempe Eurum prodigioſa Protei (*a*) metamorphoſi modo Græcum, modo Latinum facit: quippe poſtquam dixerat: *Eurus nomen eſt Græcum;* affirmavit *Eurocercium* Vitruvianum eſſe totum Latinum; allegavitque hæc Senecæ verba: *ſed & Eurus jam civitate donatus eſt, & noſtro ſermoni non tamquam alienus intervenit*. Sed, amabo, ſi *Eurocercii* vocabulum eſt totum Latinum, cur tale quoque non erit illud Euroaquilonis? Sique Vitruvius, Latinus Auctor, *Euronotum*; nomen, ut ajebat Adverſarius, totum Græcanicum adhibuit; cur Græcus Auctor Lucas *Euroaquilonem*, vocabulum totum Latinum adhibere non potuit?

Senec. Qq. Nat. lib. 5. c. 16.

§. V. Dat manus Adverſator; attamen ait, hujuſmodi voces Latinas non bene ſonare in ore D. Lucæ, qui *Græcus Græcis Græce* ſcribebat. Sed ego ita illum retundam, ut ne muſſare quidem audeat. Ergo-ne divinus iſte Scriptor ejuſmodi Latinis dictionibus numquam uſus eſt? In ipſa plane Apoſtolica, imo in ipſo *cap.* 27. in quo Melitenſe Pauli naufragium deſcribit, Græcum *Argeſten* Latine *Corum* nominat. En ejus verba .... λιμένα τῆς Κρήτης βλέποντα κατὰ Λίβα, καὶ κατὰ χῶρον: *portum Cretæ reſpicientem ad Africum, & ad Corum.* Vides ut Lucas *Græcus Græcis Græce* ſcribens, Αργέστην dicit χῶρον, & Græcum *Liba* cum Latino *Coro* conjungit! Jam inanes futileſque Adverſarii oppoſitiones intellexiſti. Et quidem decebat Sacrum

(a) Quem Homerus introducit:
Omnia vertentem ſeſe in miracula rerum,
Ignemque horribilemque feram, fluviumque liquentem.

Digitized by Google

crum hunc Hiſtoriographum tum in Euro iſto, tum in Adria recognoſcendo cum Romanis ſuæ navigationis ſociis convenire. Reapſe eum in Euroaquilonis nomenclatione Romanis ſeſe accommodaſſe perſpicitur ex ipſius loquendi modo: ſiquidem ipſe non dixit: *Miſit ſe contra ipſam Typhonicus Euroaquilo*; ſed inquit: *miſit ſe contra ipſam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo*: perinde ac ſi exprimere vellet, *Euroaquilonis* vocabulum barbarum, & alienum eſſe, Græciſque parum cognitum. Revera & Latini quum Orationi ſuæ immiſcere velint vocabula parum Latina, vel alienæ linguæ, eo loquendi modo utuntur. Ita ſane loquitur Plinius, quum dicat: Flatus *qui vocantur Ornithiæ*; ventus *qui vocatur Olympias*. *Ab Occaſu Æquinoctiali Favonius, ab Occaſu Solſtitiali Corus, Zephyron, & Argenſten vocant*. Ecce ut Latinus iſte Scriptor, quum Græca vocabula proferat; *τὸ vocatur*, ſeu *vocant*; adjungit; haud ita vero quum Latina ipſe nominet. Idem feciſſe colligas Lucam Græcum in expromendo *Euroaquilonis* vocabulo Latino, Græciſque inuſitato. Quod autem Eurus apte Aquiloni conjungatur, etſi Lucæ auctoritate ſatis probetur, tamen & rationibus *in §. 10. & ſeqq.* confirmatum ibo, ubi Eurum ab Optimis Scriptoribus tum antiquis, tum Neotericis pro Subſolano acceptum eſſe demonſtrabo: itaut ventus inter hunc & Aquilonem ſpirans, rite dici poſſit *Euroaquilo*; ſicut recte dicitur *Libonotus* qui inter Λίβα, *Africum*, & Νότον, *Auſtrum perflat*.

Plin. l. 2. c. 47.

§. VI. Rurſus vero tumultuatur noſter Antagoniſta, nobiſque objicit omnes fere Græcos Codices, in quibus *Euroclydonis* nomen haberi aſſerit, Theophylactum, alioſque Græcos Scriptores allegans. Nos autem ei reponere poſſumus, omnia ferme Græca exemplaria eſſe vitiata; neque rem novam aut ſingularem proferemus; namque ita ſentiunt quamplures clariſſimi Auctores apud Melchiorem Canum hæc ſcribentem: *Græci quoque eadem* (qua Hebraici Doctores) *contentione multis locis, ut Scripturam ad ſuum ſenſum traherent, novum Teſtamentum violarunt: ut Tertul. 5. lib. adverſus Marcionem teſtatur, & Euſebius lib. 5. Eccl. Hiſt. cap. ult. & Iren. adverſus Hær. lib. 1. cap. 29. & Baſil. lib. 2. contra Eunom. D. quoque Ambroſ in Comment. ſup. Epiſt. ad Rom. & in proœmio ſuper Epiſt. ad Philemonem, & Origenes in Comment. ſuper Epiſt. ad Rom.*

Mel. Can. l. 2. de loc. Theol. cap. 13.

Nam

Digitized by Google

Nam in pleriſque Græcis exemplaribus deeſt tota illa clauſula, Ei autem qui potens eſt &c. *quam neque Theophylactus quidem babuit. Nec in ſacris Literis ſolum, ſed in Sanctorum codicibus fecere idem*. Si igitur Græci Sacræ Scripturæ loca, præſertim Novum Teſtamentum violare auſi ſunt; cur eorum exemplaribus adeo innititur noſter Criticus? Cur potius iis omnibus Vulgatam Verſionem, ut par eſt, ipſe non præferat? Nempe Verſionem illam, quam *ad Græcum fontem* correxit Magnus Hieronymus, ut ipſemet atteſtatur. Næ ſapientiſſimus æque ac Sanctiſſimus iſte Doctor novit Græca exemplaria tum vitiata, tum incorrupta: quum igitur *Euroaquilonem* retinuerit, *Euroclydone* rejecto; mendoſa reputanda ſunt exemplaria, in quibus *Euroclydon* legitur. Unde etiam perſpicitur, quod Codices a Grotio, Calmeto, aliiſque egregiis ſententiænoſtræ Propugnatoribus producti, haud ſint in hac parte vitiati, ut contendit Adverſarius; ſed ſinceri, atque incorrupti. Quod etiam duplici ratione confirmamus. I. Quod optimæ Hieronymi Verſioni ipſi conſonant. II. Quod ii perpauci ſunt, ideoque accenſendi paucorum numero, qui vitiati non fuere; quum, ut dictum eſt ſupra, major vitiatorum numerus fuerit. Eat nunc Adverſator, & ſuis Græcis exemplaribus, ut innumeris fidat.

D. Hieron. de Script. Eccl. in fin.

§. VII. Mirari autem ſatis non poſſum quod Nicephorum Calliſti, tamquam ſibi ſuffragantem, ipſe advocet; quandoquidem Scriptor iſte *lib.* 2. *cap.* 35. non niſi hæc habet: *Mox ventus exoritur Typbonicus, & turbulentus, quem procelloſum Eurum, ſeu Euroaquilonem vocant*. Heic quidem Calliſtus utramque refert lectionem, ſcilicet *Euroclydonis*, & *Euroaquilonis*; neutramque reſpuit; quinimo primam ſecunda corrigens huic potius quam illi inhærere videtur. Quod ſi autem Græci Codices Euroclydonis nomen habentes, ſibi de corruptela ſuſpecti non eſſent, hos quidem, uti numero, ſed multitudine præpollentes ſequutus eſſet Græcanicus iſte Hiſtoriographus, nulla habita ratione eorum, in quibus *Euroaquilo* legitur.

§. VIII. Sed quamquam Adverſario concederemus veriorem lectionem, & *primigenium*, Apoſtolici Hiſtoriographi *ſyngramma* eſſe *Euroclydonem*; nullo tamen ſecius aſſerere jure merito poſſemus, quod hujuſmodi vento adacta Pauli navis in hanc Inſulam pervenerit, non vero in intimum Il-

ly-

lyricum, quo illam Æolo renuente, adurget noſter Hydrographiæ Corrector. Nimirum *Euri* nomine nullum alium ſane ventum indicare Lucas voluit; quam eum qui flat ab Ortu Æquinoctiali, ſcilicet Subſolanum. Siquidem conſentire is debuit antiquis Scriptoribus, qui Eurum pro Cardinali vento accepere. Cur frontem contrahis, buccaſque inflas mi Ariſtarche? Rationes poſtulas? Accipe.

§. IX. Antequam vero argumenta, quibus ad id aſſerendum moveor, proferam; Lectorem meum de hoc monitum velim, quod nempe noſter Adeterſator, quum veteres Poetus tum Græcos, tum Latinos, Orientalem cardinem Euro aſſignaſſe noverit, eorum teſtimonia de more ſuo contemnit, reſpuitque. Atque ille ipſe, qui in recognoſcendis Adriæ limitibus Auctorum antiquitatem adeo magnifaciebat, eamdem in ſtatuenda Euri plaga parvipendit ac deſpicatur. Ergo-ne pro Adriæ ſitu idonei erunt teſtes Orpheus Crotoniates, Sophocles, aliique ab Adverſario allegati, qui multis ſæculis ante Lucam inclaruere; tamen pro Euri poſitione inepta erunt teſtimonia Homeri, Heſiodi, Muſæi, aliorumque ſequioris ætatis Auctorum? Ita plane judicat refractarius noſter Criticus. Sed aliter ſentiunt æqui rerum Æſtimatores. Et quidem, ut alios miſſos faciam, Homeri de veteri *Finitoris* diviſione ſententia majori in pretio habenda eſt, quam ceterorum Poetarum ab Adverſario allegatorum. Etenim ille non ſolum in ventorum cognitione, ſed in omni ſcientiarum genere humani ingenii modum exceſſit; itaut a Platone, & Ariſtotele *Divinus*, a Plinio autem *primus doctrinarum, & antiquitatis Pater* audire promeruerit. Attamen, ut Adverſario morem geram, licet innumeros Poetas, alioſque antiquos Scriptores a nobis ſtantes producere heic poſſim, eos tamen ſilentio involvam. Sed quis, amabo, moroſiſſimo noſtro Antilegonti ſatisfacere valeat! Quippe ſi quempiam Auctorem, Lucæ obitu vel paucis annis poſteriorem proferamus; protinus ille reclamat, ejuſque ætatem, ut parum antiquam, minuſque iſti quæſtioni idoneam, incuſat. O Cratera litium! O mirum technarum conſarcinatorem! Huc accedite Legulei (quibus æquum rectumque cordi non eſt) & a Zoilo noſtro cavillandi artem ediſcite. Quid quod ipſe Auctores D. Luca & multo antiquiores, & multo poſteriores in ſuas partes advocat?

Plat. in Jon. Ariſt. in Art. Poet. Plin. l. 25. c. 11.

cat? Homerum ſane is allegat, quem paullo ante reſpuerat; nec non Andronicum Cyrrheſten, qui magno temporis intervallo Lucam anteceſſit. Prudentium quoque ac Sidonium advocat, qui pluribus ſæculis poſt Apoſtolicum Hiſtoriographum inclaruere. Inſp 5. Diatr. 2. §. 2. Diatr. 3. §. 3.

§. X. Quæ quum ita ſe habeant, e quolibet ævo nonnullos Scriptores proferamus, nempe tum Luca antiquiores, tum iſtius contemporaneos, nec non alios qui ſequiori ætate floruerunt. Et primo audiatur Latinorum Poetarum Princeps, qui Æneæ ad Italiam navigantis iter, ac tempeſtatem in ipſum a Junone excitatam, haud abſimilem procellæ a tenebrarum Principe in Paulum commotæ (a) hiſce carminibus deſcribit:

Talia jactanti ſtridens Aquilone procella
Velum adverſa ferit, fluctuſque ad ſidera tollit.
Franguntur remi; tum prora avertit, & undis
Dat latus: inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi ſummo in fluctu pendent; his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit; furit æſtus arenis.
Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet;
Saxa vocant Itali mediis, quæ in fluctibus aras,
Dorſum immane mari ſummo. Tres Eurus ab alto
In brevia, & Syrtes urget (miſerabile viſu)
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.

Vides quo tres Ænejæ claſſis naves Eurus impulerit! Non equidem in Italiam, vel Illyridem, ſed in eaſdem Syrteis, quas timebant Pauli nautæ. Porro Syrtes haſce Africanas, Servius Honoratus, Badius Aſcenſius, Thomas Farnabius, aliique Virgilii Scholiaſtæ unanimi conſenſu adſeverant. Qui vero non adſeverent, ſi Maro ipſe poſt paullo hæc ſubnectit?

Defeſſi Æneadę, quę proxima littora, curſu
Contendunt petere, & Libyę vertuntur ad oras.

§. XI. Jure merito igitur Vadianus *in Epiſt. Geogr.* & Bochart. *in Chan. lib. 1. cap. 26.* Gagnæus, & Calmetus *in Act. cap. 27.* aliique non pauci contendunt, Lucæ Eurum nequaquam fuiſſe Adverſarii Vulturnum: hoc enim vento, ab Africa perflante, in Libycas Syrtes urgeri minime potuiſſet Apoſtoli navigium. Neque flocci facienda eſt Critici noſtri perſpicientia, quod nempe quæcumque *bre-*

 via,

(a) Ita opinatur D. Chryſoſtomus apud Sylveiram *in Act. 27.*

tia, ſeu *pulvinaria*, & *dorſa* ſub mari latentia, Syrtes appellentur. Quandoquidem Virgilius poſtquam hujuſmodi *dorſa* ſeorſim ac diſtincte *Aras* nominaverit: perſpicue indicat, Syrtes a ſe poſtea ſpeciatim nominatas, quibus Trojugenæ Ducis navigia Eurus illiſit, fuiſſe celebres illas Africanas, Libyæ oris adjacentes, ad quas iter vertiſſe Trojanos ille ipſe ſubnectit. Unde perſpicitur, de eiſdem Syrtibus loquutum eſſe Lucam *Act.* 27. Præſertim quod ibi ipſe non dixit, Nautas timuiſſe, ne in aliquam Syrtim inciderent; ſed abſolute inquit: *Timentes, ne in Syrtim inciderent:* quo loquendi modo nullam aliam ſane Syrtim indicare is voluit, præter Libycam, ut pote magis notam ac præcipuam. Ita enim, quum Poetam, aut Oratorem dicimus, Poetarum, aut Oratorum Principem intelligimus. Et quidem Eminentiſſimus Arator, qui Lucæ mentem optime aſſequutus eſt, eam Syrtim *vaſtam* dixit.

§. XII. Hinc etiam colligas, quam oſcitanter pro ſua ſententia allegaverit noſter Antagoniſta hæc alia ejuſdem Poetæ carmina:

Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Noſſe quot Ionii veniunt ad littora fluctus.

Siquidem heic non de Ionio *Sinu*, ut ille opinatur, ſed de Ionio *Mari* loquitur Maro, ut ex ſupra expoſitis perſpectum eſt. Etenim ſi Trojanos in Italiam navigantes ad Libycas Syrtes, quas Ionium magnum pertingit, Eurus impulit; qui, amabo, ventus iſte dici poteſt arbiter *Ionii Sinus*, nempe, ut vult Adverſarius, hodierni Sinus Veneti, centum paraſangis ab iſtis Syrtibus diſtantis, & Africanis litoribus obverſi? Niſi credere malimus, Poetam ibi *Ionium* pro quolibet mari & Eurum pro quovis vento accepiſſe; propterea quod non loquitur de certis navigiis certo flatu certum mare tranſmittentibus, ſed de quibuslibet generatim quovis vento quodvis pelagus navigantibus.

Livius §. XIII. Poetarum Principi conſentit Princeps Hiſtoriographorum, quum hæc ſcribat: *Duæ claſſes infeſtæ circa promontorium Pachinum ſtabant, ubi primum tranquillitas maris in altum evexiſſet, concurſuræ: itaque cadente jam Euro, qui per dies aliquot ſævierat, prior Bomilcar movit.* Hinc ſane perſpicitur, quod Eurus illius ævi Scriptoribus haud fuerit Vulturnus, ut Zoilo noſtro arridet: Vulturno enim flante tutam in Pachini ora ſtationem habere navigia

non

non poſſunt; imo nec ibi ſine gravi jactura, vel minimo temporis intervallo conſiſtunt, ut rei nauticæ peritis conſtat. Qui ergo per plures dies violento Euro perflante, ſeu, ut melius exprimit Livius, *ſæviente*, duæ illæ claſſes inibi ſtetere? Nonne quod *Eurus* Livii idem erat atque Subſolanus? Et quidem *adverſum Euro Zephyrum* dicit Seneca: Zephyrus autem ventus eſt cardinalis reflans Subſolano. Senec. in Agamen. Act. 3 verſ. 475.

§. XIV. Strabo autem Lucæ Synchronus, quem licet perperam interpretatur, tamen debita æſtimatione proſequitur noſter Criticus; atteſtatur ævo ſuo haud fuiſſe novam vel inauditam eorum ſententiam, qui Eurum in Ortu æſtivo, Subſolanum autem in Ortu brumali recognoverint. *Sunt quidam* (inquit) *qui primarios duos eſſe ventos aſſerunt, Aquilonem ſcilicet atque Auſtrum, reliquos vero modica quadam declinatione differre; ab Ortu quidem æſtivo Eurum, a brumali Subſolanum, ab Occaſu vero æſtivo Favonium, a brumali autem Caurum*. Vides heic quoque Eurum Favonio, ſeu Zephyro obverſum! Tametſi haud ibo inficias, hanc ſententiam eſſe aliquantulum ſingularem, quum Euro (*a*) Cæciæ jura tribuat; Favonio Cauri (*b*), Cauro autem Africi locum aſſignet. Ea tamen rectior haud eſt Ariſtotelis ſententia, qui Cæciam ab Auſtrali plaga ſpirare affirmavit, ut jampridem animadvertit Joh. Baptiſta Bernardi. Ariſtotelem autem in ſuas partes advocat noſter Antagoniſta, tamen ejus errorem diſſimulat. Strab. l. 1. Bern. Semin. Phil. verbo Cæcias.

§. XV. Rectius itaque Vitruvius, Strabonis, ac Lucæ coævus, Eurum collocat medium inter Cæciam & Vulturnum. Siquidem hæc ipſe habet: *Euri vero medias partes tenentis in extremis Cæcias, & Vulturnus*. Eique conſonat P. Statius, ejuſdem ætatis Scriptor, qui Euro non Auſtralem, ſed Orientalem plagam adſignat, ita canens *Theb. lib.* 2. Vitruv. lib. 1. cap. 6.

Qua latus Eoos Ephyres, quod vergit ad Euros,
Siſypheique ſedent portus &c.

Necnon *lib.* 1. ubi Eurum Aquiloni proximum & ab Au-

 ſtro

(a) Vulgo *Græcolevante*. Juxta eam ſententiam nedum Eurus bene jungitur Aquiloni, ſed eſt ipſiſſimus *Euroaquilo*. (b) Secundum iſtam ſententiam recte Caurum Auſtro conjunxit Homerus, quum dixit: Ἀργέςαο νότοιο, *Cauri-Auſtri*. Haud ſum tamen neſcius, quod Poſidonius apud Strabonem *lib.* 1. aſſerit, Poetam eo nomine appellare *Leuconotos*, ſive *Auſtros albos*, Cauti ſerenitatem referentes.

ſtro remotum, facit, nullum relinquens ambigendi locum, quin Orientalis ille flatus Aquiloni conjungi poſſit, contra quam opinatur noſter Criticus.

Sic ubi diverſis maria evertere procellis
Hinc Boreas, Eurusque, illinc niger imbribus Auſter,
Pulſa dies, regnantque hyemes &c.

En igitur, ut Scriptores Lucæ contemporanei haud ſecus ac illi, qui eum anteceſſerunt, Orientalem Euro cardinem tribuant!

§. XVI. Unde perſpicuum fit, quam inique Favorinum Philoſophum objurgat Adverſarius, aſſerens ipſum contra omnium antiquiorum ſententiam Euro Cardinem Orientis adſciviſſe. Quis autem effrænem noſtri Zoili impudentiam mirari ſatis poterit? Is nempe tantum Philoſophum ebrii ſcommate inceſſit; quod iſte, ventorum nominibus ac poſitionibus enucleatis, modeſte non minus quam argute ludens, hæc addidit: *Rationeſque omnium vocabulorum, quia plus paulo adbibi, effudiſſem, niſi multa jam, prorſus omnibus vobis reticentibus, verba feciſſem*. O utinam Lyæus eamdem, quam Favorino convivanti, prudentiam ac urbanitatem omnibus Potoribus infuderit! Siquidem ipſe haud alia de cauſſa inceptum de ventorum nomenclationibus ſermonem producere noluit, quam ne a bona morum inſtitutione deſciſceret, diutius nempe loquendo, ceteris convivis diutius tacentibus. Et quidem inſignis iſte Philoſophus haud tantam vini copiam hauſerat, ut inſanas, vel ineptas nugas proferre cogeretur; ſed utut vino paululum madidus prudenter, graviterque ratiocinabatur (*a*) quinimo quod *plus paulo adbiberat*, ſeſe *rationes omnium vocabulorum* afferre diffuſe potuiſſe adſeveravit. Etenim, monente Philone, duplex datur ebrietas: *altera vino madere ſignificat, altera vino delirare*. Hæc recte ſapienterque ratiocinandi uſum adimit; non vero illa: cui obnoxius erat Favorinus. Nec tamen hunc ſolum, ſed & Gellium ipſius verba referentem redarguit noſter Criticus: nimirum is hujus eſt mos, ut Scriptores ſibi repugnantes conviciorum plauſtris inſectetur. Idcirco Madaurenſem Philoſophum audiamus, ebrietati neutiquam obnoxium, qui Favorinum, ejuſque de

Favorin. ap. Gell. lib. 2. Noct Att. cap. 22.

Phil. Jud. lib de Plant. Noe.

(a) Etſi Favotinum ebrietatis inſimulat Adverſarius, ut illius teſtimonio fidem deroget; tamen in ſententiam ſuam advocare non dubitat Conſtantinum Porphirogenitum, qui, teſte Curopalate, erat vino deditus.

de ventorum poſitionibus ſententiam commendat his verbis : *At Favorinus , non ignobilis ſapiens , hæc de ventis refert . Quatuor Mundi plagas imparem numerum habere ventorum : eo quod Ortus & Occaſus mutentur terna vice cum Solis acceſſu : Meridies & Arctos iiſdem ſemper regionibus ſunt notatæ . Ortus quippe accepimus , Æquinoctialem , Solſtitialem , Brumalem : quibus Occaſus redduntur eadem intervallorum ratione converſa . Eurus igitur Æquinoctialis Orientis eſt* (ventus), *nec invenuſte nominis ejus fictus eſt , quaſi* ἀπὸ τῆς ἕωος ῥέων. *Idem* Ἀφηλιώτης *a Græcis ; Subſolanus a noſtris dici ſolet* . Hinc elicere jam potes, quanti fecerint Sapientes viri Favorini ſententiam , quem Zoilus noſter, tamquam ebrium, deſpicatui habet ; necnon quam bene congruat Orientali vento Euri nomen, atque Euro Orientalis cardo. Apuleius lib. de Mundo.

§. XVI. Et quidem D. Lucas eadem, quæ Favorinus, de ventorum plagis ac nominibus ſenſiſſe credendus eſt , duplici ſane ratione . I. Quod ille Africum, & Corum agnovit, ideoque Vulturnum, & Aquilonem illis reflantes agnoſcere, ac per conſequens Horizontem in octo partes dividere debuit. II. Quod cum Favorinus, tum Gellius eodem ferme ævo excelluerunt, quo Apoſtolicus Hiſtoriographus terrenam cum cœleſti vita commutavit : quippe illi, Hadriano imperante, floruere; Hadrianus autem imperium aſſequutus eſt Anno 117. Itaque anno 90. quo ad Cœlum demigravit Lucas; jam pueriles annos illi exceſſerant ; ideoque bene callere poterant , quænam de ventis ſententia fuerit , Sacri hujus Scriptoris tempore , recepta. Cur vero eamdem amplexi minime fuiſſe illi dicantur? Cur illorum ætate propugnari debuit nova , Lucæque tempeſtate , utut ab illa parum remota, inaudita ſententia ? Ergo-ne cum Ptolemæus , tum Favorinus ut Novatores habendi ſunt, eo quod ille in Adriæ ſitu , hic in ventorum poſitionibus Adverſario noſtro repugnant?

§. XVIII. Porro Favorinus in aſſignanda Euro plaga , ut vidimus , antiquos ſequutus eſt; eique ſubſcripſere ſequioris ævi Auctores , quibus occinit diſertus Neotericorum chorus . Et quidem Græcanicus Geographiæ Candidatus Agathemerus Orientalem Euro plagam attribuit . Agathem. lib. I.
Procopius , Græcus Hiſtoriographus , Beliſarii claſſem , flante Euro, e Melita verſus Africam ſolviſſe adſeverat .

Phi-

Cluver. Introd. Geogr. lib. 1. c. 8. Philippus autem Cluverius hæc habet : *Ceterum IV. Mundi regionibus , ſeu cardinibus , IV. Principes aſſignantur Venti; qui inde Cardinales vocantur. Nomina eorum atque regiones ſic referuntur ab Ovid. in Triſt. lib. 1. Eleg. 2. v. 27. & ſeqq.*

Nam modo purpureo vires capit Eurus ab Ortu;
Nunc Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt :
Nunc gelidus ſicca Boreas baccbatur ab Arcto,
Nunc Notus adverſa prælia fronte gerit.

Pone ille affirmat, Eurum Græcis dici quem Latini vocant Subſolanum. Ad quem locum hæc adnotavit eruditiſſimus Buno : *Eurus quaſi ἀπὸ τῆς ἕω ῥέων, ab Aurora procedens , calorem & ſiccitatem infert , adeoque ſaluberrimus eſt ; quia vis Solis , ut prima eſt ad Ortum ; ita quoque valde efficax eſt ad babitus corporis temperandos & purificandos . Italis dicitur Levante , Gallis Vent d'Amont, Germanis der Oſt Wind.* Cluverio tum nomine , tum opinione, imo & *libri capitiſque loco* conſonat Cl. Labbeus his Gallicis verbis : *Les quatre Vents, que nous appellons Cardinaux, partent de ces quatre principales Regions : Eurus, ſive Subſolanus, de l'Orient : Notus , ſive Auſter du Midy : Zephyrus, ſive Favonius, de l'Occident : Boreas , ſive Aquilo de Septentrion* . Præ cunctis autem audiendus eſt inſignis Hydrographus Georgius Fournier, qui ventum Gallis *Eſt , vent d'Amont*, dictum, Italice reddit *Levante* , & Latine *Eurum, Orientem, (a) Solanum :* & quem Galli vocant *Eſt Nordeſt* , Italice vertit *Levante-Greco* , Latine *Eurum Boream Eurum (b)* vel *Orientem Helleſponticum*, qui & *Carbas (c)* ab ipſo appellatur.

Phil. Labb. Geogr. Reg. lib. 1. c. 8.

Georg. Fourn. Hydrogr. l. 15. cap. 11.

§. XIX. Verumenimvero Diſſertationis modum excederem , ſi Auctores huic ſententiæ ſubſcribentes recenſere omnes vellem . Tametſi non inficior nonnullos Scriptores aliter ſenſiſſe : quinimo cum Cluverio pronuncio : *His ven-*

(a) Vitruvio quoque *Solanus* dicitur qui Plinio aliiſque *Subſolanus*.
(b) Nempe *Euroaquilonem*. Eat nunc Adverſarius, & cum Nebriſſenſi dictitet , *neminem Mortalium ſcire quid ſit Euroaquilo* : & Auctores idoneos , ſcilicet Hydrographos, conſulere perdiſcat. (c) Sic dictum eum ventum exiſtimat Brietius a Carba urbe minoris Armeniæ . Etenim a regionibus , & nonnumquam ab urbibus ventorum diſtinctio , ac nomenclatio arceſſitur. Sic *Japyx* dicitur a *Japygia* Apuliæ parte ; ſic *Altanus* ab Altano Calabriæ urbe , ut conjicit eruditiſſimus Buno *loc. ſupra cit.* & *Scyron* a montibus , ſeu Petris Scyroniis .

Digitized by Google

ventorum nominibus tam varios varii ſimul veteres, atque recentiores Auctores attribuerunt ſitus, uti unum certum typum ex univerſorum ſententiis componere nequeas. Quod nominatim de Euro aſſerit doctiſſimus Brietius, qui cum in veterum, tum in recentiorum Auctorum ſententiis inquirendis apprime verſatus eſt. *Confunditur* (Eurus) *aliquando cum Subſolano, & Vulturno. Immo & ab aliis affigitur Orienti æſtivo* (*a*) *ab aliis hyemali, ait Strabo.*

Phil. Briet. Geogr. Paral. part. 1. l. 2. cap ult.

§. XX. Hinc eſt quod ipſemet Adverſarius adeo variis opinionibus haud ſecus ac Pauli navis fluctibus & flatibus, huc illuc jactatus, certam Euro plagam adſignare neſcit: imo ſecum ipſe digladians, modo illum pro Vulturno (*b*), modo pro Euronoto (*c*) uſurpat; nunc cum utroque confundit; & nunc Eurum ab Euronoto diſtinguit, ut perſpicuum erit percurrenti ejus typum Anemologicum, & *Inſpectionem* II. *Diatr.* II. Equidem ille in ea Tabula, in qua quorumdam locorum, marium, ventorumque poſitiones expreſſit, hæc habet: *Vulturnus, Græce Eurus, vulgo Scirocco-Levante*, Euro adjacentem facit Euronotum, hac appoſita exegeſi: *Euronotus, vel Phœnicias, vulgo Oſtro-Scirocco. In Diatriba vero II. ejuſdem Inſpectionis* §. *XII.* inquit: *Hanc etiam veritatem* (*quæ Eurum, & Euronotum eoſdem eſſe indicat cum bodierno Scirocco*) *viderunt nobiſcum quidam* &c. Audiſtin' nova Hydrographiæ oracula, & inſolentem Euri metempſicoſin, qui modo *Scirocco-Levante*, nunc *Oſtro-Scirocco*. & modo purus ac putus *Scirocco* evadit! Viden' qui tres diverſi flatus conflent unum ventum! Quis poſthac Orientales flatus a Meridionalibus diſcriminet, ſi, ut vult Adverſarius, *Scirocco-Levante* idem erit atque *Oſtro Scirocco*? Qua tamen fronte Favorinum is objurgat, quod *in duobus viderit tria, & in Euro, quem unum babent reliqui, ille duplicem ſomniaverit*? Ita plane impudens iſte Criticus vitia vel errores ſuos aliis, utut inſontibus, impingit.

Inſp. 5. Diatr. 2. §. c.

§. XXI. Inſuper licet is in ſuo Typo, ſeu Pinace Vento-

(a) Quam rectius ergo ſentiunt, qui Eurum collocant in Ortu Æquinoctiali? Inter duo ſane extrema, nempe inter duas iſtas ſententias adeo diſcrepantes, *medio tutiſſimus ibis*. (b) Italis *Scirocco-Levante*, Gallis *Eſt Sudeſt*. (c) Vitruvius Lucæ Synchronus Euronotum infra Vulturnum, & Vulturnum infra Eurum collocat, ut videre eſt in exactiſſimo Brietii typo, in quo Ventos ſecundum veterem, ac novam diſpoſitionem is accurate expreſſit.

torum duodecim ventos recognoſcit ; tamen *Inſpect.* 5. *Diatr.* 2. §. 13. octo tantum Lucæ notos fuiſſe contendit. Cuinam inde bilem non movebit Adverſarii petulantia, qui hujus Sacri Hiſtoriographi mentem in Euro, aliiſque flatibus agnoſcendi ſeſe aſſequi cenſet, quum ipſe ſuam ſtatuere non valeat, nec ſibi ſatis in eadem re conſtet? Sed examinemus conjecturam, quam pro evidenti ratione is venditat *loc. cit* ubi hæc habet : *Si corum, cui* κατὰ διάμετρον, *& tranſverſim opponitur Eurus, tam belle novit* (Lucas) ; *conſentanea exurgit ratio, Cori non ignoraviſſe contrarium, eumque Eurum* κλύδωνα, *ſive excitatorem fluctuum nominaviſſe*. Noſter quidem Criticus non advertit, ſe ventos æmulari, nebulas diverberando. Etenim nos haud inficiamur, Sacrum Evangeliſtam noviſſe flatum Cauro ex diametro oppoſitum ; ſed hunc ei fuiſſe Euronotum, ſive Vulturnum, non vero Eurum, rite recteque contendimus. Et quidem ſi Lucas non duodecim ventos, ſicut Ariſtoteles, ac Plinius, ſed tantum octo flatus, ut Favorinus, ac Gellius, recognovit; cur in Euri poſitione illorum potius, quam iſtorum ſententiæ conveniſſe dicatur? Apoſtolici ſane Hiſtoriographi ſententiæ tum in ventorum numero, tum in eorum poſitione ac nomenclatura conſonat Favorinus, qui & octo ventos agnovit, & Eurum pro Subſolano accepit : prout eum jampridem acceperant Statius (*a*), aliique antiqui Scriptores a nobis ſupra allegati.

§. XXII. Et quidem hoc ſuadet ratio, ipſiuſque vocabuli Etymon : Eurus enim Græcis dicitur Εὖρος, quaſi ἀπὸ τῆς ἑώο ῥεῶν *ab Aurora procedens*, ut animadvertunt Albertus Magnus, Philippus Brietius, Joh. Buno, & ante illos Lucius Apulejus ; vel ut vult Euſtathius apud eumdem Brietium, & Alciatus *Embl.* 128. *fluidum* ſonat, quia ſudorem excitat præ nimia vi Solis, quæ præcipua eſt ad Ortum, ut aſſerit prælaudatus Buno. Quod non ignorare debuit Lucas, qui, Adverſario monente, *Græcus Græcis Græce ſcripſit*. Enimvero facetiſſimus eſt noſter Zoilus, qui omnigenam Sacri hujus Scriptoris eruditionem, ac idiomatum peritiam paſſim inculcat, & deprædicat; & tamen ipſum in patriæ linguæ ignoratione verſa-

Alb. M Meteor. 3. tract. 1. c. 23.

(a) Lucas quidem in Euri poſitione Statio, ſuo contemporaneo, conſenſiſſe videtur : ſiquidem vel in Adriæ ſitu ei conſonavit, ut vidimus *in Diſſert.* 3.

ſatum eſſe innuit, taciteque carpit, quum Eurum, ventum *Eoum*, pro Meridionali flatu acceptum ab eo fuiſſe contendat.

§. XXIII. Quamquam vero demus Adverſario (quæ noſtra erit erga immerentem liberalitas,) quamvis, inquam, demus, quod Eurum ab Ortu hyemali ſpirare cenſuerit Lucas; tamen illum pro cardinali vento, nempe Subſolano uſurpare is potuit, imo & uſurpaviſſe credendus eſt. Rem invidioſam dixi, & complurium (a) thriorum ſtrepitum audire mihi videor. Sed me audacem facit ratio, & Veritas formidinis neſcia. Etenim non tam profanis Auctoribus, quam Sacris Scriptoribus in Ventorum diſpoſitione aſſentiri Apoſtolicum Hiſtoriographum decebat. In ſacris autem Literis, licet Aquilo non ſit flatus Cardinalis, ſed inter Septemtrionem, ac Ortum ſpiret; nihilominus pro ipſo Septemtrione ponitur. Quidpe 1. *Paral.* 9. 24. hæc leguntur: *Per quatuor ventos erant Oſtiarii*: *ideſt ad Orientem*, *& ad Occidentem*, *& ad Aquilonem*, *& ad Auſtrum*. Nec non *Deut.* 3. 27. habentur hæc: *Oculos tuos circumfer ad Occidentem*, *& ad Aquilonem*, *Auſtrumque*, *& Orientem*. *Geneſeos* autem *cap.* 13. 14. ſic Abramo loquuta eſt Æterna Veritas: *Leva oculos tuos*, *& vide a loco*, *in quo nunc es*, *ad Aquilonem*, *& Meridiem*, *ad Orientem*, *& Occidentem*. Vides in cunctis hiſce locis Aquilonem Meridiei oppoſitum! Si ergo in Sacris Libris Aquilo, ventus collateralis uſurpatur pro Septemtrione, vento Cardinali; quid eſt in cauſſa, cur Lucas S. Scripturæ locutiones imitari, nempe Eurum, flatum ceteroqui Orientalem, pro Subſolano, qui ſi non idem, certe ipſi proximus eſt; accipere non potuit? Inſuper Sacra Biblia præter quatuor ventos Cardinales non agnoſcunt niſi Africum, ut ea percurrenti conſtare poterit; Africus autem neceſſario innuit Boream ſibi tranſverſim reflantem: necnon idem Africus, ſpirans ab Occaſu brumali, infert. Vulturnum, flantem ab Ortu hyemali; Boreas autem, flans ab Ortu Solſtitiali, Corum innuit ſpirantem ab Occaſu Solſtitiali; itaque Sacri Codices octo ventos admittunt. Reapſe Sacer Evangeliſta hujuſmodi Ortus & Occaſus vices agnovit: quippe Africum, &

Y Co-

(a) Nempe inanem minantis Adverſarii ſtrepitum. Quippe θρῖα Græcis dicuntur ficulnea folia, quæ dum comburuntur, ita perſtrepunt, ut pene minari videantur. Quem ſtrepitum *minacem* dicit Eraſmus.

Corum, Eurum, atque Aquilonem nominavit. Quinimo ſi, Sacram Scripturam ſequens, Aquiloni Septentrionis cardinem is attribuit; Aquilonis locum Cæciæ, ideſt *Euroaquiloni* attribuere, iſtoque nomine ventum flantem inter Orientem, & Septentrionem indicare debuit.

§. XXIV. Huc accedit, quod *Euroaquilonis* flatus Apoſtoli navim ab ora Cretæ Meridionali ad Claudam inſulam impulerit: ad hanc vero verſus Africam jacentem, eidemque Cretæ Auſtralem, non niſi Cæcias adigere poterat. Et quidem Pyrrhi naves, referente Plutarcho, Lucæ contemporaneo, in medio mari Ionio, quo Auſtrale Cretæ litus alluitur, Aquilonaris flatus vi correptæ, *rejectæ ab Italia uſque in Libycum, & Siculum pelagus expulſæ ſunt*. Itaque omnis dubitandi anſa tollitur, quin Lucæ *Euroaquilo* fuerit ipſiſſimus Cæcias, ſpirans inter Orientem, ac Septentrionem, non vero Euronotus, ſeu Vulturnus, flans inter Ortum, ac Meridiem. Attamen reclamat refractarius noſter Criticus, & verum Claudæ ſitum perturbare ſtudens, ita ratiocinatur, ſeu verius nugatur: *Phœnicem Cretæ oppidum (contra quod Claudam in pelago conſiſtere vix dubium eſt Lucæ narrationem conſideranti) Auſtrino Cretæ litori addixerat Ptolemęus. Ejus (a) malefidam facem ſequuti Ortelius, Sanſon &c. a recta ſententia deviarunt (b). Etenim ſi Auſtralis Phœnice, quomodo (teſte divino Hiſtoriograpbo Act. 27. 12.) illius portus ad Corum (Maeſtrale) & ad Africum (Lebeccio) nempe ad Occaſum Æſtivum, atque hyemalem reſpiciebat? Quomodo Phœnice Auſtralis; ſi ad eam ex Boniſportibus Paulus ſecundo Auſtro tendebat? Plurimi ſtatuerunt conſilium (ait Lucas) navigare inde, ſi quomodo poſſent, devenientes Phœnicem hyemare, portum Cretę reſpicientem ad Africum, & ad Corum. Aſpirante autem Auſtro ęſtimantes ſe propoſitum tenere &c. Act. 27. 12. 13. Itaque Clauda perinde ac Phœnice Occidentem ſpectabant, ita ut ad eas ducibus Auſtralibus ventis, pręſertim Euro (Scirocco) qui adverſus Corum, ſive Occaſum Solſtitialem flat, facillime pertingi poſſet.*

[Margin: Plutar. in Pyrr.]

[Margin: Inſp. 5. Diatr. 2. §. 18.]

§. XXV.

(a) Nempe Adverſario propoſitum eſt fidem Ptolemæo noſtro paſſim detrahere, idque non niſi calumniis præſtare ille conatur.

(b) Quis poſthac Geographiæ, aut Hydrographiæ operam navare ſtudens, alium ducem ſequatur, quam noſtrum Antilegontem, niſi a recta via aberrare velit?

§. XXV. In iſto brevi orationis curriculo pluries labitur noſter Criticus. Et primum inique carpit Ptolemæum, perinde ac ſi hic omnium Geographorum primus oſcitanter inſolenterque Phœnicem portum in Auſtrali Cretæ ora recognoverit ; quandoquidem prudentiſſimus iſte Geographus magni Strabonis ſententiam amplexus eſt . Quippe Strab. l. 10. hæc habet Strabo : *Exinde iſthmus eſt fere C. ſtadiorum , in quo ad latus Septentrionale eſt pagus maritimus , ad Auſtrinum Phœnix Lampei .* Ad quem locum hæc adnotavit Caſaubonus: *Iſthmum vocant anguſtam illam Cretę partem, quam vides in Ptolemaicis eſſe inter Amphimaliam & Phœnicem portum .* Geographorum Principi conſentit quoque Syriacus Interpres , qui Phœnicem ad Auſtrum ſpectare affirmat. Nec obeſt quod Lucas eum portum ad Africum, Corumque reſpicere tradat: ſiquidem licet Phœnix opidum, ſeu promontorium in Auſtrino Cretæ litore ſitum eſt , tamen ejus extremitas ſinuoſe flectitur Occaſum verſus , eaque ſinuoſa curvatura portum efficit reſpicientem ad Occidentales ventos ab Apoſtolico Hiſtoriographo memoratos , ut Ortelii Tabulam conſulenti conſtare poterit . Secundo allucinatur Adverſarius, ſibique turpiter contradicit, quum Phœnicem in Occidentali Cretæ ora ſtatuat *loc. cit.* & tamen in ſua Tabula majori eumdem portum in Meridionali ejuſdem Inſulæ litore deſignat. Tertio ille labitur, quum Claudam ad Cretæ Occaſum recognoſcat ; quandoquidem ſapientiores Geographi illam ad hujus Inſulæ Meridiem agnovere, eamdemque fuiſſe exiſtimarunt, atque eam, quam hodie Nautæ vocant *Gozo di Candia*. Sed forte Zoilus noſter Claudam illi ſimilem Inſulæ crediderit, quæ, referente Dionyſio Halicarnaſſenſi, a ventis ſenſim circumducebatur Dion.Halic. lib. 1. ; ita ut a Lucæ tempore ad uſque præſens ævum ab Occidua Cretæ ora ad Meridionalem paulatim proceſſerit. O ſomnia ! O deliriationes ! Et ſane , ſi Clauda , fatente ipſo Adverſario , contra Phœnicem ſita eſt ; Phœnix autem, ut oſtendi, in Auſtrino Cretæ latere collocatur; qui fieri poteſt, ut Cretæ ad Occaſum obverſa illa ſit ? Tandem fallitur Criticus noſter , quum Lucæ verba non bene intelligat, eiſque vim inferat. Etenim ſi ventus a Luca deſcriptus fuiſſet Auſtralis , cur ad Phœnicem non appulit Pauli navigium ? Quandoquidem Auſtralibus ventis illuc appellere commode poterat. Nonne videt noſter Antagoni-

ſta ſeſe tot errorum laqueis irretitum! Nonne e Sacri Hiſtoriographi verbis perſpicue conſtat, ventum ab ipſo deſcriptum, eſſe flatum centum paraſangis ab Auſtro diſtantem, ſi quo devenire, ſpirante Auſtro, Nautæ ſperabant, perflante illo *Euroaquilone* pertingere non potuerunt?

§. XXVI. Et quidem totum id luculentiſſime conſtabit cuicumque D. Lucæ verba perpenderit. *Aſpirante autem Auſtro* (is inquit) *æſtimantes ſe propoſitum tenere* (nempe Phœnicem appellere) *cum ſuſtuliſſent de Aſſon, legebant Cretam. Non poſt multum autem miſit ſe contra ipſam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. Cumque arrepta eſſet navis, & non poſſet conari in ventum, data nave flatibus ferebamur. In inſulam autem quandam decurrentes, quæ vocatur Clauda* &c. Notaſti! Phœnicem contendentibus reluctatus eſt *ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo*: & Phœnicem Pauli navis devenire non valuit, *cum non poſſet conari in ventum*, ſive ut legit Arabs, *ventum ſecare*. Qui vero navis Phœnicem in Auſtrino Cretæ latere jacentem contendens, *in ventum conari*, ſeu *ventum ſecare* diceretur, niſi flatus iſte eſſet ipſius navigationi contrarius? Si autem contrarius is fuit, a quo unquam primis Hydrographiæ elementis vel leviter inſtructo, ab Auſtro flaviſſe dicatur, & non potius ab Aquilone, unde Cæcias ſpirat? Quomodo igitur aſſerere non erubeſcit noſter Criticus, ventum a Luca deſcriptum fuiſſe Euronotum? Qua fronte Claudæ ſitum nos ignorare dictitat, ſi ipſe contra omnium Geographorum, imo & ipſius Lucæ mentem Occiduo Cretæ lateri adjacere illam facit, Apoſtoli navem illuc adurgens quo, atteſtante divino Hiſtoriographo, pervadere non potuit? Siquidem ex iſtius narratione perſpicitur, eam loca Cretæ Occidentalia nequaquam pertigiſſe. Et ſane ſi Clauda occiduo ejus Inſulæ lateri adjaceret, in quo Phœnicem agnoſcit Adverſarius, cur Pauli navis, ſicut ad Claudam, non ita & ad Phœnicem, portum adeo optatum, *decurrens* pervenit?

Act. 27. 13. & ſeqq.

§. XXVII. Sed inſurgit pervicax noſter Antagoniſta, criſtaſque, ut ex parœmia loquar, attollens, ſic nobis infit: Si ventus a Luca deſcriptus, fuiſſet, ut *Philomaltenſes* volunt, Cæcias; e Cretæ litoribus haudquaquam in Melitam, ſed in Africam Pauli ratem impuliſſet: ſiquidem Typhonicus ille flatus tanta eam violentia urgebat, ut neque

Inſp. 5. Diatr. 3. §. 1.

clavi

clavi ope, neque Gubernatoris virtute, Nautarumve ſolertia, iter deflectere illa potuiſſet. Attamen ejuſmodi oppoſitionem ne flocci quidem faciunt rei Nauticæ Pragmatici. Etenim Nautæ tale diſcrimen prænoverant: nempe, referente Luca, timebant, ne in Syrtim, ideſt Africanam majorem, apud Homerum, & Strabonem, *Græcos*, celebrem, Hom. Iliad. *Lotbophagorum*, inciderent, ut ſupra evincebam. Itaque 10. Strab. l. malefidum Africum litus clavi adjumento caviſſe, omnique 17. ſolertia effugiſſe dicendus eſt Paulinæ ratis Gubernator, quem ſane incautum ignavumque minime fuiſſe perſpicitur ex traditis a Sacro Evangeliſta. Equidem ille navem ſubcingi, vas ſubmitti, poſteaque jactum fieri, ipſaque armamenta projici in procelloſa ea navigatione curavit. Quod jamdudum animadvertit Venerabilis Beda, qui hac de re Beda in ita ſcripſit: *Funibus a medio latere navis, utrimque circa* Act. cap. 27. *ejus anteriora demiſſis, anchoras bis, quæ traberentur adjunxerunt: ſicut & in noſtro, ideſt Britannico mari, refrænandæ navi poſt tergum molaria ſaxa ſubjungere ſolent. Hæc enim ad retardandum navigium faciebant; ne præpropero curſu in Syrtes inciderent, ſolo etiam auditu terribiles, quod omnia de ſe rapiant.* Philippus autem Cluverius, qui quantum in Geographicis, ac Hydrographicis præſtiterit, eru- Cluver. Sicil. ant. lib. ditorum neminem fugit; hæc habet: *Verum ex D. Lucæ* 2. c. 16. *biſtoria ſatis aperte conſtat, in nullam aliam inſulam, quam in banc noſtram Africi maris Melitam adpuliſſe naufragio D. Paulum. Eroaquilone ab Creta inſula infra dextram Gaudum abrepti, quum metuerent, ne ulterius eodem curſu in Syrtim impellerentur; demiſſis velis ita ferebantur: nempe ex Ortu in Occaſum, verſus Melitam inſulam; gubernaculi adjumento eam Mundi regionem tenentes: tandemque, quum Melitæ, qua Ortum ſpectat* (a) *æſtivum, circa medium quartæ decimæ noctis adpropinquaſſent, anchoras tam prope eam jecerunt &c.* Videat nunc noſter Zoilus, & agnoſcat, quiſnam noſtrum excitet *riſus Peritorum*, an ipſe, quum contra omnium Geographorum ac Hydrographorum ſententiam *Euroaquilonis* flatu Pauli navem e Creta in intimum Illyricum deducat; aut nos, quum illinc, eo vento perflante, in hanc noſtram Inſulam deferamus?

§. XXVIII.

(a) Nempe Cæciam vulgo *Greco-Levante*; quo reapſe reſpicit noſter locus dithalaſſus a Luca memoratus.

§. XXVIII. Neque vero nobis deeſt ulterior ratio: namque licet violentus *Euroaquilonis*, ſive Cæciæ flatus Apoſtoli navigium infra dextram Melitam impellere debuiſſet (ſi tamen in adeo periculoſa navigatione Gubernator nihil aliud egiſſet, quam ſtertere); nihilominus rapidiſſimi ſinus Sidralis æſtus verſus hanc Inſulam illud repellebant: ſiquidem tanta eſt iſtius, quam vocant, *Currentis* vis, ut tribus venti quadrantibus æquipolleat, ſicut docent rei Nauticæ Pragmatici. Quid quod eidem *currenti* obſecundaverit clavi adjumento diligentiſſimus navis Gubernator?

§. XXIX. Quæ quum ita ſint, ambigere debet nemo, quin Apoſtoli navis, vento a Luca memorato abrepta, non in Dalmatenſem, ſed in hanc noſtram Melitam adpulerit, ſive ille fuerit *Euroclydon*, ſive *Euroaquilo*, ut habet Venerandus Interpres Vulgatus. Sed ut Adverſarium non modo convincamus, ſed etiam rationum numero ac pondere obruamus; ei liberaliter, etſi indebite concedam, quod flatus ille fuerit purus ac putus Vulturnus: numne ideo Paulum e Creta in *Meletam* devexiſſe ille dicatur? Nequaquam. Etenim Apoſtoli navis violento flatui omnino obſecundans, Tarentino ſinui recta applicuiſſet, aut iter clavi moderamine deflectens, ad aliquem ex innumeris Peloponneſi portubus, præſertim ad Methonem adpuliſſet. Tantum abeſt, ut Veneti ſinus fauces illa penetraſſet. Quod ſi autem eas pertranſiſſet; nonne potius Italo littori, aut alicui ex tot Inſulis ei adjacentibus, quam Dalmatenſi oræ, ac introrſum pene latenti Melituſſæ allapſa eſſet? Præſertim quod illius ſinus æſtus, ſeu, ut vocant, *Currens*, navigia verſus Apuliam magis, quam ad Illyridem repellit, ut qui tranſmittere id fretum conſueverunt, atteſtari poſſunt. Quid quod ante *Meletam* tot inſulæ, ut infra oſtendam, navigantibus occurrunt? Nonne ad aliquam ex illis offendiſſet Apoſtoli navigium, incerta, violentaque navigatione percurrens? Alias vero conſiderationes ad iſtam Pauli navigationem facientes invenies in Epiſtola huic Diſſertationi ſubnexa, a D. Mario Lama, viro omnibus diſciplinis, & maxime Mathematicis luculenter inſtructo, conſcripta ad nobiliſſimum æque ac eruditiſſimum Equitem Ferdinandum de *Baronibus* Stadl. qui inter præcipuos M. Magiſtri Aulicos ſupremus Stabuli Præfectus audit.

§. XXX.

§. XXX. Sed redeamus ad ſagaciſſimum noſtrum Veteratorem, qui ſeſe in aere piſcatum eſſe, ideſt Pauli navem in Meltam ſuam deducere fruſtra conatum, advertens, ſententiam mutat, & argumentum *Euroclydonis* flatui innixum Veritatis amori poſtponere, ac reſpuere ſeſe fatetur. At iſta confeſſio haud multam ſinceritatem ſapit. Quippe, quum ventum a Luca deſcriptum ſibi neutiquam prodeſſe noverit; eumdem nobis favere ille non patitur. Hoc autem eſt ingenue fateri in gratiam Veritatis? Mutata igitur ſententia ille aſſerit, eum flatum cunctis Paulinæ navigationis diebus minime perſeveraſſe, ſed poſt ipſum varios alios ventos alternis vicibus ſpiraviſſe: ſubnectitque de more ſuo nonnullas rationes, & maxime Vulgatæ Verſioni adhæret; quod hæc habeat: *Data nave flatibus ferebamur;* itaque ventorum pluralitatem videatur admittere, Autographum vero ab ipſo productum: *Concedentes ferebamur*. Ita-ne qui nuper *Euroclydonem* Græci ſui Codicis *Euroaquiloni* Vulgatæ præferebat, modo poſtpoſito ſuo Autographo ad Vulgatæ gremium revertitur! At næ ipſe uſitatam omnibus Scriptoribus figuram diſſimulat, qua numerum multitudinis pro ſingulari uſurpant. Ut miſſos faciam Poetas; Oratorum Princeps ita loquitur: *Ex ea die Septentriones fuere venti*: & alibi inquit: *Habere ventos ſecundos*. Ergo-ne Septentrio varios flatus complectitur, aut proſperæ navigationi minime ſufficit unicus ventus? Quid quod ipſe Lucas flatus illos unicum ventum fuiſſe declarat, quum illum eumdem flatum numero multitudinis deſignet, quem paullo ante ſingulariter nominaverat: *Miſit ſe contra ipſam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. Cumque arrepta eſſet navis, & non poſſet conari in ventum, data nave flatibus ferebamur*. Non-ne advertit noſter Grammaticus, heic *ventum*, & *flatus* relative ſe habere; & *flatuum* nomine a Luca indicari ipſiſſimum Euroaquilonem, qui ſe contra navem miſerat, & in quem conari navis non poterat? Id plane adverterunt, nobiſque conſentiunt eruditiſſimi viri, Calmetus, Cajetanus, Fazellus, Tillemontius, Niderſtedius, Cluverius, Erlmanus, aliique cum Orthodoxi, tum Heterodoxi.

Cic. ad Att. 138. Ep. 243.

Act. 27. 14. 15.

§. XXXI. Ille tamen reclamat, & Autographum ſuum rurſus producit, in quo legi ait: *Nobis in diverſa jactatis, & errantibus in Adria*: atque hinc elicit, ejuſmodi

ja-

jactationem unico flatu fieri nequaquam potuiſſe. Sed parum caute is ratiocinatur; nam vox iſta διαφερεσθαι in ejus Codice contenta optime etiam Latine redditur, *perturbate jactari*. Neque enim Græcanica ea dictio neceſſario ſignificat *jactationem in diverſa*, aliter enim hujuſmodi expreſſionem minime deſpexiſſet ſapientiſſimus Vulgatus Interpres, qui tantum reddit: *Navigantibus nobis in Adria*. Quam vero appoſite dicatur *perturbate jactata* Pauli navis, nemo non videt. Huic ſane interpretationi conſonat Verſio Syriaca, quæ habet: *In incertum ferebamur*. Et quidem ſæviente immoderata illa procella certum atque inſtitutum iter tenere Pauli navigium; præſertim quod nautica pixide haud erat inſtructum: nondum enim ea fuerat (a) inventa; ſed illius ætatis Navarchi curſum dirigere, ventoſque internoſcere, aſtrorum poſitura conſueverant; ut de Palinuro teſtatur Virgilius his verſibus.

Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus, & omnes
Explorat ventos, atque auribus aera captat:
Sydera cuncta notat tacito labentia cœlo.

Quid vero quod in cœca illa tempeſtate nec ſydera, neque ipſum Solem notare poterat Paulinæ ratis Gubernator, quum ea per multos dies latuiſſent? Equidem non abſimili navigatione incertæ jactabantur Æneæ naves, harumque Gubernator nec diem, neque noctem diſcernebat, ut canit idem Poeta.

Excutimur curſu, & cœcis erramus in undis;
Ipſe diem, noctemque negat diſcernere cœlo,
Nec meminiſſe viæ media Palinurus in unda.
Tres adeo incertos cœca caligine Soles
Erramus pelago, totidem ſine ſydere noctes.

§. XXXII. Quinimo neque nobis refragatur Adverſarii interpretatio. Etenim vel unico flatu abreptum Apoſtoli navigium

(a) Pixidis Nauticæ inventorem haud eſse omnino cognitum ait Polidorus Virgilius *de rer. invent. l. 3. c. 18.* Quod ego ſciam; ea dicitur inventa præter propter Annum 130. in Regno Neapolitano a quodam Flavio Melphitano, vel ut alii volunt, a Joh. Goja Amalphenſi: quamquam apud Sinenſes jam ab anno 1260. acus Magneticæ uſum invaluiſse quidam affirmant, necnon Cimbrorum artem eſse contendat Goropius apud Reinoldum CuricKe *de Jur. Mar. Hanſeat. pag.* 55. Georgius autem Fournier *Hydr. l. 11. c. 1.* aſserit, Pixidem (*la Marinette*) Gallis in uſu fuiſse 100. ante præmemoratum Flavium, ſive Johannem Goja.

gium poterat *huc illuc*, ſive *in diverſa jactari*: ſiquidem iſtud, ut ſupra differebam, verſus Africanas Syrteis impellebat *Euroaquilo*, ipſumque verſus Melitam repellebat ſinus Sidralis æſtus, ſeu *Currentis*, ut vocant, rapidus motus: & maxime quod flatus ille erat *Typhonicus*, qui, atteſtante Kircherio, ***uti mare immenſis fluctuum coacervationibus involutum rapida circa Horizontem vertigine rotat, aſſiduiſque incrementis impetu formidabili, ſæviſque procellis in circulum agitat; ita decumanis fluctibus inſurgentibus, ac inter ſe veluti arietantibus, colliſiſque, ſæviens halitus omnem ſalutis ſpem navigantibus adimit***. Athan. Kircher. Mund. Subt. tom. I. lib. 4. c. 5. Hujuſmodi agitationem, qua jactabatur Pauli navis, vivide expreſſit Æthiopicus Interpres, quum reddiderit: *Agitati de latere ad latus in girum verſabamur*. Præterquam quod ſedulus Gubernator clavi adjumento navem huc illuc deflectere debebat, ne in aliquam terram incidens ea effringeretur.

§. XXXIII. Proinde non eſt quod miretur noſter Criticus, Apoſtolum tot dies noctesque in ſua navigatione e Creta in Melitam inſumpſiſſe: quandoquidem, ut vidimus, ejus navigium fluctibus, vento, æſtuque inter ſe colluctantibus correptum, actumque, non recto ac ſequundo, ſed inordinato ac laborioſo itinere tranſmittebat, nunc procedens, nunc retrogrediens, modo ſurſum, modoque deorſum, de hoc ad illud latus, ut in talibus procellis evenire aſſolet, utque illi Trojugenæ fuerant experti, quos ita loquentes introducit ſæpelaudatus Poeta:

Tollimur in Cœlum curvato gurgite, & iidem
Subducta ad manes imos deſcendimus unda.

De vento autem æſtui obluctante ſic cecinit Papinius:

Ut Siculas ſi quando rates tenet æſtus, & ingens
Auſter agit, medio ſtant vela tumentia ponto.

De ipſo autem Apoſtoli navigio fluctibus, flatibuſque jactato, & in incertum acto audiendus eſt ſapientiſſimus Arator ita canens:

. . . . furit undique pontus
Attollenſque ſuas irato gurgite moles
Denegat abreptæ veſtigia certa carinæ.

§. XXXIV. Porro mihi videtur admiratione dignius Ulyſſis iter, qui a Melita, vel quæcumque alia fuerit Calypſus inſula, ſequundis ventis navigans, octodecim dies inſumpſit, ut perhibet Græcorum Poetarum Coryphæus: Hom. Odyſſ. 5.

V.n'um vero immiſit Calypſo innocuum, placidumque:
Lætus itaque vento ſecundo extendit vela divus Ulyſſes,
Ipſeque temonem gubernabat artificioſe,
Sedens, neque ei ſomnus palpebris incedebat,
Plejades contemplanti, & tarde occidentem Booten,
Urſamque, quam & currum cognomento dicunt:
Quæ ibidem vertitur, & Orionem obſervat,
Sola vero expers eſt aquarum Oceani.
Etenim ipſam juſſerat Calypſo excellentiſſima Dearum,
Ponto navigare ad ſiniſtram manum habentem.
Septemdecim quidem navigabat dies, iter faciens marinum.
Octodecima vero adparuerunt montes umbroſi
Terræ Phæacum: qua proximum iter erat illi.

Hoc ſane iter minori temporis curriculo peragi poterat, quam illud D. Pauli e Creta in hanc Inſulam, etiamſi Calypſus inſula fuiſſet *Meleta*, ut contendit Adverſarius. Eam vero fuiſſe noſtram Inſulam prudenter conjicit Cluverius, iſtum Homeri locum ita interpretans; *En ſeptentrionalia ſidera præ oculis habuit ad temonem ſedens, ad ſiniſtram declinantia. Is ſane rectiſſimus curſus erat a Melita verſus Corcyram naviganti; quamquam proximum ei iter fuiſſet recta a Melita ad Cephaleniam; cui ab Ortu æſtivo adjacebat* (a) *Ithaca.*

§. XXXV. Nec quidquam in cauſſa eſt, cur miretur Adverſarius, quod ventus a Luca deſcriptus totos tredecim dies perſeveraverit. Quinimo ex ipſa ejuſdem flatus perſeverantia colligere ille deberet, eum ventum fuiſſe Aquilonarem. Siquidem nos edocet Plinius, Aquilonares flatus, quos vocant, Eteſias, ceteris ventis eſſe conſtantiores, & vel quadraginta dies perflare ſolitos. Et quidem Philippus Macedo, referente Demoſthene, claſſem ſuam in Athenienſes adducturus, Eteſias captabat, ut nempe eorum ſecundo ac perſeverante flamine navigationem ſuam perficere poſſet, nequidquam Athenienſibus ſibi obviam ire valentibus.

Plin. l. 2. c. 47.

Demoſth. Phil. 1.

§. XXXVI. Quod ſi vero ex Lucæ verbis colligi deberet, quod Pauli navis pluribus fuerit ventis correpta; hi quidem inſimul, ac veluti agmine facto, non vero alternis vicibus conſpiraviſſe dicendi eſſent. Namque Apoſtolicus

(a) Ulyſſis Patria, vulgo *Iſola del Compare*; in qua lepores haud naſcuntur.

Digitized by Google

cus Hiſtoriographus ne *mu* quidem ait de tali ventorum mutatione. Plures autem ventos uno eodemque tempore perflaſſe tradunt paſſim Auctores: & præter alios Virgilius hiſce carminibus: Virgil. Æn. 4.

Hæc ubi dicta, cavum converſa cuſpide montem
Impulit in latus; ac venti velut agmine facto,
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a ſedibus imis
Una Euruſque, Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos volvunt ad littora fluctus.

Necnon *lib.* 2. inquit:

Adverſi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt Zephyruſque, Notuſque, & lætus eois
Eurus equis......

Idem habent Homerus, Horatius, Statius, & alii. Atque hæc dicta ſint in gratiam Adverſarii paſſim Poetas allegantis.

§. XXXVII. Quid quod eamdem Adverſarii oppoſitionem, in ipſum retorquere poſſemus? Nempe vel pluribus ventis actum fuit Apoſtoli navigium, vel unico tantum: ſi pluribus; ſicut in Melituſſam, ita & in Melitam pervenire potuiſſet; neque enim Lucas eos nominavit; multoque minus ex ipſius narratione colligitur, flatus iſtos, ſi qui fuerint, in hanc Inſulam per Ionium mare navigantibus fuiſſe contrarios: ſi autem unico, violento, &, ut Adverſario placet, ſequundo flatu illud fuit impulſum, vel in *Meletam* e Creta, trium, aut quatuor dierum ſpatio adpellere potuiſſet. Præterea ſi Apoſtoli navis in Veneto ſinu *huc illuc*, & *in diverſa* jactata eſſet; qui Paulus nullam ex innumeris (a) ejus ponti Inſulis vidiſſet in adeo longa navigatione, ſeu circumcurſatione? Nempe quartodecimo die ille dixit: *In inſulam autem quamdam oportet nos devenire*; ſcilicet nondum viderat ullam inſulam, aut regionem. Qui vero non vidiſſet Ceraunios montes adeo ingentes præcelſoſque, ut vel a cœcutientibus eminus diſcerni poſſint. Sed mihi reponit Adverſarius, inconſtanti- Inſp. 5. Diſſert. 3. §. 6.

Z 2 bus

(a) Præter plurimas Inſulas Italiæ litori adjacentes, *Illyrici ora mille amplius Inſulis frequentatur, natura vadoſi maris, æſtuariiſque, tenui alveo, intercurſantibus*; inquit Plinius *lib.* 3. *c.* 26. Et tamen in nullam ex tot Inſulis in *vadoſo* eo ponto jacentibus offendere debuiſſe Pauli navigium (ſi illuc tranſmiſiſſet) autumat Adverſarius.


bus ſuis dictis, magis quam Pauli navis, *in diverſa jactatus*, aſſerens cum Caſſiodoro, Apoſtolum, comiteſque ſuos in cœca illa tempeſtate nec ſolem, neque ſidera conſpicere per multos dies potuiſſe. Attamen ſibi ipſe contradicit, quum paullo ante Cornelium a Lapide objurgaverit his dictis: *Inſtat Lepideus, utque ſemet hiſce quomodolibet incommodis extricet, currit, ut dicitur, de fumo ad flammam. Ubi perventum eſt (ait) primo die ad Claudam* (a) *Afromelitæam, reliquo dierum ſpatio per irrequietas, ſed vicinas ambages circa Maltam prorſum, retrorſum, adpulſim, receſſim, circumvaga navis erravit; donec tandem ad inſulam illideretur. Si ſe ita res habuit, conſectaneum eſt, ut navigantibus in tam propinqua, & diuturna circumvectione (niſi Hypſæa cœciores fuiſſent) contigerit non ſemel Afromelitam conſpicari* &c. Itane mi Sycophanta! Cur autem Paulinæ ratis Nautæ, circumcurſantes inter mille amplius inſulas Illyrici oræ adjacentes, multaſque alias Italo litori adſitas, nullam ex iis conſpicari debuerint? Si Melitam noſtram, ut ut humilem, interque undas latentem, diſcernere illi potuerint, cur ad altiſſima Cerauniorum montium cacumina cœcutire iidem debuerint? Nonne quod non in Illyrico, ſeu Veneto ſinu, innumeris inſulis conſito, ſed in hoc noſtro mari, late patente, paucisque inſulis inſtructo, illi navigabant? Ita plane noſter Zoilus in foveas, quas nobis paraverit, incidere conſuevit.

Diatr. 2. §. 12.

EPI-

(a) Cornelius quidem Claudam Creticam cum Gaulo Melitenſi confudit; venia tamen dignior eſt, quam noſter Criticus, qui Syracuſas Siculas cum Ericuſa Epirotica confundere ſatagit.

Digitized by Google



Digitized by Google

EPISTOLA

DOMINI MARII LAMÆ

AD ILL. EQUITEM FERDINANDUM STADL.

Illuſtriſſimo Signore.

MOLTE mie, con tutto che picciole occupazioni mi an tolto sì il piacere di corriſpondere al mio debito con eſſo ſeco, Illuſtriſſimo Signor mio, ch'io ben m'avveggio di tardi paleſarle il mio ſentimento, quantunque egli rozzo, e malacconcio intorno al Libro fattomi capitare del tanto erudito Padre Benedettino D. Ignazio Giorgio: ed avvegna che così tardi, pure molto ſcarſamente al mio obbligo adempiere e ſoddisfare. Io avrei voluto per compiacerla, non che leggerlo, e riflettervi ſopra, ma divorarlo in un tratto ſe ſtato foſſe poſſibile; ma fui traviato in guiſa, e diſtolto da queſto mio penſiere, ch'io poſſo aſſicurarla non aver prima d'ora potuto mettere inſieme quel poco, che in leggendo l'accennato Libro, per quanto le mie dimeſtiche cure, come diſſi, il permiſero, mi venne fatto di tempo in tempo oſſervare.

Egli per mio avviſo, è tutto fondato ſulla incertezza del luoco, dove naufragò l'Apoſtolo S. Paolo: E quindi l'Autore preſa materia ben ampia, e vaſta da far conoſcere di quanta erudizione la di lui mente ſia vaga, con modi aſſai vivaci, e grazioſi ſi oppone agli argomenti de' ſuoi Avverſarj, i quali molto ſenſatamente vollero che nel baſſo Mare di Malta naufragaſſe l'Apoſtolo: Nè pretermette, così accorto è il Padre, neppur le menome coſe, che dir ſi poteſſero in favore del ſuo già prefiſſo parere. Io nondimeno per molte, e varie mie rifleſſioni pratiche fatte ſopra le coſe ſteſſe da lui aſſerite, tralaſciando di entrar nel vaſto Oceano delle ſue Erudizioni, che di farlo anche il tempo me'l vieterebbe, moſtrerò che naturalmente per le medeſime al ſuo ſentimento opponer mi debba.

Prima

Digitized by Google

Prima però di quelle manifeſtare, ſtimerei dirle che ſembrami l'Autore, ſe pur io non vada errato, eſſerſi ſoverchiamente laſciato traſportare dalla paſſione, direm così, di ſtabilire per vero l'Aſſunto ſuo, di ridurre con maggior lunghezza di viaggio nella ſua Patria, e nella Caſa ſua S. Paolo. Poi ugualmente affaſtella i buoni, e meno buoni Autori, li quali al ſuo ſentimento non fanno, e che del di lui ragionare ſi moſtran anzi contrarj: E di ciaſcheduno di eſſi, ſenza diſtinzion farne, par che ſcherzare, e rider ſi voglia. Sol di Strabone, e di Solino ſembra che una certa tale ſtima fare dimoſtri: Conciofiacoſache vuole addattare il primo al ſentimento ſuo; e del ſecondo, poichè parla queſti molto chiaro, e ſenza biſogno d'interpretazione alcuna, nega egli in tutto quel luoco, che ne rapporta il Cluverio. E meglio fora ſtato, ſe l'Autore poſto lo aveſſe con Tolomeo il miſerello, e con coloro tutti, che la Geografia malmenarono cotanto, com'egli ſteſſo aſſeriſce. Nè a ciò fare ritenuto eſſer dovea da riguardo alcuno per Solino, giacchè alla pagina 128. il riconoſce per non troppo fedele Compendiatore di Plinio. Ma recami forte maraviglia come ſia avvenuto che l'accorto Padre in leggendo tutto il Solino, e non ſenza molta diligenza, com'egli ſteſſo ne accerta, incontrato non ſiaſi nel paſſo, che il Cluverio ne accenna: Mentre sò che ſenza impegno di leggerlo tutto, e ſolo ricercandolo nel cap. 10. trovai per appunto il controvertito luoco. Quindi non poſſo abbaſtanza ammirare la libertà, colla quale l'Autore alla pag. 8. §. 8. non ſaprei da quale abbaglio ſorpreſo, così eſclama: (*a*) *Ma quanto* (*oh Dio immortale!*) ſono le parole ſue iſteſſe, *ſi moſtran facili i noſtri Avverſarj ad allegar falſamente le autorità degli Scrittori!* Soggiungendo di poi che'l Cluverio nel lib. 4. dell'Ital. Ant. al cap. ult. porti la teſtimonianza di Solino, ch'egli dice che diligentemente ricercatala, rinvenuta non l'avea.

In due luochi dell'accennato capo ultimo il Cluverio cita il Solino: Ne cita il cap. 13. nè di queſto intende l'Au-

(a) Sed quam (Deus immortalis!) faciles ſunt ad auctoritates Scriptorum falſo allegandas! .... Cluverius *lib. 4. Ital. Ant. cap. ult* Solinum teſtem advocat, tamquam Adriaticum mare ad Siciliam uſque producentem: quod non perfunctoriè quærens in Solino non reperi.

l'Autore, nell'altro poi, ſenza citar capo, dice che Solino diſtenda il Mare Adriatico ſino alla Sicilia: e queſto ſenza dubbio è il paſſo, e quì la frode del Cluverio. E pur egli è vero, che Solino lo aſſeriſce nel capo 10. in cui parla delle coſe della Sicilia. Per me non ſaprei di qual Edizione l'Autore ſi ſerva, s'io in quel Solino, che tengo ſtampato a Peſaro nell'anno 1512. da Girolamo Soncino accorto Impreſſore, leſſi queſte ſteſſe parole: (a) *Sonovi altri due monti* (già s'intende nella Sicilia) *il Nebrode, e'l Nettunio: ſu'l Nettunio trovaſi una Vedetta, da cui ſi ſcopre il Mar Toſcano, e l'Adriatico*. Si ſpiega quì con troppa chiarezza Solino, nè altra interpretazione, s'io non m'inganno, laſcia a' Lettori, che'l riconoſcere d'aver egli Mare Adriatico chiamato quello, ch'è di là dal Faro a riguardo di noi, che ſiamo in queſto Regno. Laonde non potendo l'avveduto Padre da queſta coſiffatta, e chiara autorità del Solino allontanarſi, nè venendogli acconcio il poterla con pari leggiadria ſchivare, come alla pag. 211. §. 16. cauto, e diligente ſottraeſi dall'imminente pericolo delle Sirti: Siccome nella pag. 212. per iſfuggire l'inevitabile ſcoglio di Gozo, volentieri ſi dà il potere di traſportarlo d'uno in altro luoco, facendogli contra l'autorità de' più accurati Geografi Antichi nonmeno che Moderni, cangiar ſito, e natura, ponendolo all'Occidente dell'Iſola di Candia, quando che quello poſto a Mezzogiorno a tutti i Naviganti appariſce così, non gli ſi è reſo malagevole, e duro per iſchivar, come diſſi, l'autorità di Solino, negar del tutto quanto dal Cluverio con candidezza ſi afferma: e tacciar coſtui di menzogna piuttoſto, che renderſi vinto alla ragione, riconoſcendo eſſervi ſtato un Autore più antico del Tolomeo, il quale Mare Adriatico chiamò quello che bagna la coſta Orientale della Sicilia.

Una delle coſe di maggiore importanza, che per venire a capo dell'impegno ſuo ſi propone l'Autore, ella ſi è il diſcreditare la Geografia di Tolomeo, ed abbattere la di lui deſcrizione della Coſta Orientale della Sicilia, della Occidentale, ed Auſtrale del Peloponneſo, e della Occi-

(a) Sunt & alii Montes duo, Nebrodes, & Neptunius: e Neptunio ſpecula eſt in Pelagus Tuſcum, & Hadriaticum.

cidentale in fine dell'Iſola di Creta, quali tutte fa bagnare dal Mare Adriatico. Ma per quanto ei ſi affatichi il Padre, non farà mai, a mio credere, che Uomo di ſano diſcernimento reſti perſuaſo e convinto ch'abbia di ſuo capriccio il Tolomeo chiamato Mare Adriatico il Mar di Sicilia; o che a di lui tempi incominciato ſi foſſe la prima volta da mezzo dotti a chiamare Adriatico; e non piuttoſto che aveſſe dovuto queſto eſſere un nome molto innanzi ricevuto e ſtabilito.

Che così foſſe ſtato nel Solino noi il veggiamo: e dalla gran difficoltà che coſtui nel cap. 17. (*a*) moſtra a dir con franchezza in qual Mare l'Iſola di Creta giaceſſeſi, per lo meſcolamento e confuſione da' nomi introdotti da Græci, chiaro riſulta che così agevol non ſia a' noſtri tempi: tanto più che non abbiamo noi tutte le opere degli Antichi: voler per mezzo di paſſi di Poeti, e di Oratori ſtabilire autorevolmente di un certo Mare i confini: ſe Solino iſteſſo dopo aver detto che Creta dal Settentrione ſia dal ſuo proprio Mare, e dall'Egeo battuta, e dal Mar della Libia da Mezzogiorno: non ſi avvanzò giammai a dire qual foſſe indi quello, che dall' Occidente la bagna: ſe l'Jonio, il Siciliano, o l'Adriatico, conforme diverſamente in varj tempi molti anno detto. Nondimeno comunque egli ſiaſi, laſcerò ch'altri con più agio queſto punto eſaminar debba, ch'io intanto alle accennate pratiche rifleſſioni rivolgerò il mio dire.

Vuol egli il Padre nella pag. 215. che l'impeto del Vento Euro ſpinga dritto dall'Iſola di Candia non già a Malta, ma nell'Adriatico Mare, e verſo l'Illyrico, mettendo ſecondo il ſuo coſtume in iſcherzo e deriſo il ragionar di coloro, che alla ſua opinione conformi non trova. Suppoſto, dic'egli, che'l Vento Euro-Aquilone ſtato foſſe il Cecia, o Greco a levante, come vogliono i Filomalteſi: Giacchè la Nave, in cui S. Paolo navigava, fu da un cotal Vento con tanta forza ſpinta ed urtata, che nè timone, nè virtù di Nocchiero valendo a camparne il furioſo impeto, fu obbligata a correre a ſeconda di quello; piuttoſto che andare in Malta, ſarebbe la Nave ſtata

co-

(a) Pronius eſt Cretam dicere, quam abſolvere in quo mari jaceat. Ita enim circumflui illius nomina Græci permiſcuerunt, ut dum aliis alia inferunt, penae oblimaverint univerſa.

coſtretta ad andare colà nell'Africa, verſo dove appunto dall'Iſola di Candia muove e mena il Vento Greco.

Ad una ſiffattamente ſottil Rifleſſione dell' Autore riſponder ſi potrebbe: che tanto ſarebbeſi per appunto dovuto oſſervare, ſemmai il Nocchiere non al ſuo uſficio intento, ma del tutto aſtratto, alle lucciole piuttoſto aveſſe, per così dire, badato, che al governo, ed alla mira di ben guidare la nave: e dirizzata la prora a Libeccio dalla nimica foga del vento laſciato ſi foſſe portare. Ma S. Luca in deſcrivendo queſto fortunoſo viaggio dell' Apoſtolo, altra idea più commendabile ci obbliga a fare dell' avvedutezza del menzionato Nocchiere. Mentre facendo forza alla prima, ed accorgendoſi ch'e' non poteva accoſtarſi più all'Iſola, nè reſiſtere alla rabbioſa furia del vento, che da quella reſpingevalo, mutato conſiglio ſi laſciò per qualche tempo dallo vento traſportare. Indi ſeco ſteſſo penſando che ſe in cotal maniera impegnata la Nave lungo tratto mantenevaſi, nelle ſecche Africane, che Sirti ſi appellano, ſarebbeſi ſenza dubbio avvenuta: bracciate bene, murate, e burinate le vele ſi poſe ſu dell'Orza: Che in queſta forma, e non in altro ſenſo intender ſi debbono quelle parole: *Accingentes navem*, o ſia, *ſubcingentes navem*, *ſummiſſo vaſe*, o pure *demittentes vas ſic ferebantur*. Or dunque Act. c. 27. v. 17. poſtaſi la Nave all'Orza non con tutte le vele preſe il vento, nè in Poppa, e per conſeguente non tenne la Proa diretta a Libeccio, ma bensì a Maeſtro a Tramontana: Per la qual coſa dovendoſi eziandio ſupponere che con un tempo così tempeſtoſo e disfatto non ſianſi potuto tenere le Gabie, ſe non ſe ben chiuſe e ligate, dovea il cammino della Nave, tra per la forza del vento, che portava a Libeccio, e per quella del Timone, che guidava a Maeſtro a Tramontana, colle ſole due baſſe vele valer quello di mezzo, cioè quel di Ponente a Maeſtro franco di deriva, ed in cotal modo con perdita di molto tempo, a Malta condurſi.

Per tutto ciò non parmi che i Filomalteſi debbano, come dice l' Autore alla pag. 218. §. 6. eſſere aſtretti ad ammettere due venti diverſi: il primo che aveſſe ſpinta la nave verſo le ſecche, ed il ſecondo a Malta. Imperciocchè il medeſimo vento Græco, che portava alle ſecche la Nave, poteva per l' avvedutezza maeſtra del Piloto tener-

A a nela

nela ben molto lontana, e dirizzarla a Malta. Queſto io immagino che chi che ſia mettere in dubbio non poſſa, ancorchè dell'Arte del navigare non bene inteſo ed iſtruito. Quale ingegnoſa, ed utiliſſima Arte egli il Padre ne' ſuoi Avverſarj poco, o nulla ſtima ed apprezza. Per me, dico il vero, io non ſaprei come cotanto agevolmente, e con libertà conforme al ſuo ingegno abbia egli potuto dire nella pag. 215. §. 1. che un tal ſenſato diviſare de' ſuoi Oppoſitori dovrà tirarſi dietro più riſate de' Pratici della Nautica, che nugole non iſmuove e ſtraſcina il furioſo Grecale. Ed io alloncontro temerei che con rifleſſioni tali cagion non dia alla più ineſperta ciurma de' marinai di rivolgere contro di lui medeſimo lo ſteſſo ſuo argomento: Poichè ciaſcuno di eſſi avrà più volte veduto come chi in alto Mare ſia poſto và col vento Greco ugualmente così, che col Sirocco diritto, a largo vento, e quaſi in poppa a Ponente. E s'egli per dimoſtrare che per la violenza del vento fù coſtretto il Nocchiero a correre ſempre a ſeconda di quello, ſenza poterlo col piegar delle vele, o del Timone in parte sfuggire, rapporta le parole dell' Evangeli-
Act.ib.v.15. ſta: *Cumque arrepta eſſet Navis, & non poſſet conari in ventum, data nave flatibus ferebamur*; dovea poi per ſua ſincerità maggiore non tacere queſte altre che lo ſteſſo S.
ibid. v.17. Luca immediatamente ſoggiunge: *Adjutoriis utebantur ſubcingentes navem, timenteſque ne in Syrtim inciderent, demittentes vas ſic ferebantur*, e darcene all ſua maniera almeno come fa delle Sirti qualche ſpiegazione ingegnoſa.

Io non intendo al combattuto Ottavio Gaetano, e dall' Autore ſoverchiamente ſtrapazzato fare già una Apologia, dimoſtrando ch' egli bene ſu queſta materia ſi dica. Ma per quel che'l Padre dice nella pag. 217. verſo il fine del §. III. crederei che riſponder ſi poteſſe al medeſimo dimandando: ſin dove ſtendete voi i confini del Mare Adriatico? d'Aquilea ſino a i due Promontorj Japigio, ed Acroceraunio? ſe ciò intendete, la ragione è voſtra: concioſiachè una Barca poſta nell'altura di Corfù, o del capo Santa Maria (non già di Candia) col vento Sirocco ti condurrà ſenza dubbio in poppa a Meleda voſtra Patria. Ma ſe'l Gaetano avrà ſuppoſto con Tolomeo che'l Mar di Creta, per quanto ſino a Malta diſtendeſi, chiamato ſi foſſe Adriatico, in tal caſo ragione alcuna non avreſte di tanto farvi beſ-

fe di

ſe di lui; ſe una nave nell'altura di Candia ben può, come diſſi, o con Sirocco, o con Greco andarſene a Malta quando le piaccia. Nè gioverebbe il dire che cotale ſuppoſizione del Tolomeo ei l'abbia per erronea dimoſtrata, perch' eſſendo anche vero che così fatto egli aveſſe, il Gaetano, che ſcriſſe prima che l'Autore diſcoperto aveſſe al Mondo l'error di Tolòmeo, credevala per vera. Laonde tutta la colpa, che attribuir ſi potrebbe al Gaetano, ſarebbe l'eſſerſi fidato di Tolomeo; non già l'eſſer egli ſtato poco conoſcitore de' Venti, come dice il Padre, il quale di ſe ſteſſo ſol pago, và negli altri, come ne' giunchi, cercando il nodo.

La conobbe anch' eſſo il Padre Giorgio queſta verità, cioè che col vento Greco, o Sirocco qualunque egli ſtato ſi foſſe, vadaſi pur liberamente verſo Ponente: ſe nella ſua maggiore carta, nella quale con molta diſtinzione, ed aſſai meglio che S. Luca non faccia, ſottopone a noſtri occhi il viaggio di S. Paolo, di prima moſſa ei l'incammina dall' Iſola di Creta verſo Ponente: e già poſtolo oltre la metà del cammino, ch'è tra Candia e Malta, ricordevole dell' impegno, in cui poſto ſi era di avere nella ſua Patria un Apoſtolo: Nè potendo col ſolo vento Sirocco ottenere il fine del diſegno ſuo, ricorre all'ajuto di tutta la Buſſola: ed or con vento Maeſtro lo traſciua dietro verſo la coſta dell'Egitto, or co' Levantini ſpiugelo innanzi verſo Malta, e per qualche tempo dato moſſa a Tramontana timor gl' incute di perderſi nelle Secche: Indi col ſoccorſo del Sirocco il libera, e ad onta de Malteſi fattogli vedere quaſi, e da lontano l'Iſola di Malta, con Libeccio lo richiama verſo Ceſalonia, poi di là col Levante verſo Siracuſa, e novellamente richiamando Libeccio lo porta all'altura del capo delle Colonne: alla fine da queſto luoco mollando in poppa con vento di Mezzogiorno, quale ſecondo il biſogno fà piegare a Sirocco, a Meleda ſua Patria a naufragar lo conduce.

La cagione, che l'Autore induſſe a idearſi tanti giri, e raggiri, ella è ſtata, a mio credere, la neceſſità di dover conſumare in ſiffatto cammino lo ſpazio di quattordici giorni. Avea egli oppoſto a Filomalteſi tale difficoltà nella pag. 192. che quel tratto di Mare, il quale giace tra Candia e Malta di quattrocento cinquanta miglia, poco

più, o meno, in due ſoli dì poteaſi col furioſo vento Tiſonico valicare ſe continuato aveſſe a ſpirar da Levante ; che ſe Sirocco a Mezzogiorno foſs'egli ſtato, come il Padre afferma, e ſempre lo ſteſſo ſoffiato aveſſe, al più lungo tre dì baſtati ſarebbono per giugnere a Meleda. Donde fu aſtretto a chiamare in ſua diſeſa gli altri venti tutti: toltone però l'importuno Grecale, che ninna fortuna appo l'Autore aver debbe, perchè a di lui Avverſarj favorevole molto ed amico. Ma s'egli aveſſe avvertito che qualora la Nave, che ſeco portava l'Apoſtolo, per non laſciarſi in tutto in balia del fortunoſo vento, foſſe ſtata obbligata con poche vele a porſi di borino, e ſull'Orza, come ſopra dicemmo eſſerle in fatti accaduto: non con tanta velocità di corſo, con quanta crede il Padre Giorgio, avrebbe potuto ſpingerſi innanzi colla Proa; ricorſo non ſarebbe alla moltitudine de' venti per trattenerſi per lo ſpazio di quattordici giorni in tanti ſuoi giri.

Non v'ha dubbio però che nella pag. 217. §. 5. eſſo adduce le ragioni per le quali gli è paruto veroſimile che nella tempeſta ſofferta dalla Nave di S. Paolo aveſſe dovuto concorrervi una ſiffatta alternazione di Venti, traduce le parole dell'Originale di S. Luca nel Latino: *Nobis in diverſa jactatis, & errantibus in Adria*: e per ſicurezza maggiore non laſcia di confermarlo con molti paſſi di varj Autori. Conchiude per ultimo nel fine dell'accennato §. 5. *Ma queſto andare di quà, e di là vagabondo, ed errante chi mai potrà ad un ſolo vento attribuire?* Lo potrà per avventura dir colui, che della maraviglioſa induſtria de' Naviganti dell'intutto non ſia ignorante e digiuno. Sanno ben queſti, qualora avviene che contrario ſpiri il vento al diſegnato loro cammino, ſervirſi di quello per andare contro al medeſimo: e pur ch'egli non ſia direttamente, e per diametro oppoſto, colla guida del Timone, e delle vele, addeſtrandole in certa guiſa, e piegandole or a deſtra, or a ſiniſtra collo ſteſſo vento camminano, e con qualche tempo che perdano in ſiffatto bordeggiare, tratto tratto oltre ſi ſpingono, ed alla mira che tennero, giungono in fine dopo certo numero di volteggiamenti, e dopo qualche durata fatica. E non veggiam noi tutto dì con un vento ſolo due Navi fare l'una all'altra contrario cammino? Dunque non è che varj venti, a vicenda ſucce-

dan-

dendoſi ſiano aſſolutamente neceſſarj per far che un legno ſia aſtretto a i mentovati giri, e raggiri. Sarei fuor di ſenno del tutto ſe negar voleſſi che talora, quando le tempeſte inſorgono, bene ſpeſſo più venti inſieme congiurati contraſtano a' Naviganti il diſegno loro, pongonli in forſe della vita, ed alla fin pure a naufragar li conducono; ma queſti al caſo noſtro non fanno, perche l'Autore gli vuol ſucceſſivi per accomodarli a' ſuoi giri. Or poſto, com'egli è vero, e ſuole alla giornata accadere, che con un vento ſolo andar ſi poſſa quà, e là vagabondo ed errante: qual ragionevol motivo mai il Padre potrà aver di negare che la Nave di S. Paolo non veggendo per più giorni nè Sole, nè Stelle (*a*) e per conſeguente non ſapendo dov'ella ſi foſſe, per isfuggire di andare a romperſi in qualche Terra, mantenuta ſi foſſe bordeggiando in alto mare per quanto la fortuna permeſſo glie l'aveſſe? Non altro, ſe ben m'appongo, che l'impegno di voler contraſtare a Filomalteſi il vento Greco: e nulla curando tutta quella ſua bella fatica, con cui proccurò ſtabilire l'amato ſuo Sirocco, tanti, e così diverſi venti introdurre per mettere in dubbio quale per ultimo ſtato ſi foſſe quello, che ſpinſe al Naufragio la Nave.

Grazioſo molto ſarà per riuſcire a V. S. Illuſtriſſima ciò, che oſſervai nella pag. 218. dove l'Autore, come che erudito aſſai e ſcienziato altrove ſi moſtri, pure dà egli in una debolezza tale, che nella maggior forza del penſar ſuo cade repentemente a voli, che un Mergo paluſtre più baſſi non tiene. Spiega egli le parole di S. Luca, *flatibus ferebamur*, e più giù n'eſpone queſte altre di Caſſiodoro, *creſcentibus Ventis*, e vuole il Padre e per l'uno e per l'altro paſſo interpretare, che da molti venti foſſe ſtata la Nave di S. Paolo ſucceſſivamente combattuta. Dunque allora che lo ſteſſo S. Luca mentova la maladia del Padre di quel Pubblio, di cui fu Oſpite S. Paolo, e che oppreſſo da febbre, e diſenteria il Santo Apoſtolo, miracoloſamente ſanò, dicendoſi: *Factum eſt autem Patrem Publii febribus, & dyſenteria decumbere*: dovrem noi credere che foſſe ſtato quello da più e diverſe ſpecie di febbri aſſalito ed afflitto? E come Domine non ſa egli che ſono queſti Act. c.28 v. 8.

mo-

(a) Act. cap. 27. v. 20. Neque autem Sole, neque ſideribus apparentibus per plures dies.

Digitized by Google

modi di parlare, de' quali gli Scrittori ſogliono alla giornata ſervirſi?

Ora per tornare a quell'importuno Vento Euro-Aquilone, o ſia Euro-Tiſonico, che tanto diè da ſtudiare all'Autore, diciam noi che ſiaſi qualunque ei ſtato ſi foſſe, non ſia il vento Greco; nè l'Euro ſia il Levante: ſia pur lo Sirocco a Levante, o pur lo ſteſſo Sirocco, dov' ei a ſua poſta ſecondo il biſogno lo fa paſſare: ch'io ciò non gli contraſto, col trattenermi sù d'una inutile queſtione: Ed ammettendo tutto quanto egli dice, mi riſtrignerei al ſolo fatto, dalle circoſtanze del quale baſtevole argomento farei per ricavare contro di lui.

Act. cap. 27. v. 7. & ſeq. Ci narra l'Evangeliſta che dopo lunga e faticoſa Navigazione vennero all'altura di Gnido, nè potendo per la contrarietà del vento prendervi Porto, furono obbligati a voltar verſo Creta la Proa: e giunti al Promontorio detto Salomone ricoveraronſi in un luoco colà vicino, Buonoporto appellato, quale non mi perſuado che la novella Geografia del Padre voglia altrove ſituare, che nella coſta Orientale dell'Iſola. Convengono in uno ſteſſo parere il Padron della Nave, e'l Piloto di doverſi cercar miglior Porto da potervi ſvernare, e ſtabiliſcono alla meglio che ſi foſſe potuto pigliar Porto Fenice. Or io qui non curando per ora ſapere dove mai ſia coteſto Porto: ſe nella Coſta Occidentale, come l'Autor pretende, o nella Meridionale, come con Tolomeo vogliono tutti gli altri più accurati Geografi: Dimanderei ſolamente: da quale parte uſcì la Nave a prender vento per incamminarſi a Porto Fenice? Se dalla coſta di Mezzogiorno, o dalla Boreale, ed oppoſta? Dalla prima riſponderà ſenz'altro il Padre: poiche'l vento, con cui credettero potere al propoſto luoco giugner comodamente, motivo alcuno da dubitar non ne laſcia. Egli era Auſtro, vale a dire di Mezzogiorno: e ſe dal lato boreale foſſero uſciti, non mai a Porto Fenice, ma o dì bel nuovo a Gnido ritornati ſarebbono, o andati colà nell'Arcipelago.

Uſcirono dunque dalla parte Auſtrale, e veroſimilmente dando di più bordi ſi poſero in alto Mare, acciocche'l vento ſoſpinti non gli aveſſe alla prima ſulla coſta Meridionale dell'Iſola innanzi che a Porto Fenice giugnere aveſſer potuto. Con un vento di Mezzogiorno adunque ſi può andare da Levante a Ponente da un capo all'altro dell' Iſola di Candia;

dia ; e con un vento Sirocco da Candia a Malta non potrà andarſi? Ora quì sì che con aſſai più di ragione dir ſi potrebbe ciò che l'Autore iſteſſo deridendo il Gaetano con bel ghiribizzo motteggiando dice : *Ob ſi Charon tam probè ventos cognoſceret, quantæ Rbadamanto feriæ!* Nè da quì io ſaprei conoſcere che coſa mai ſi prenda egli a dire nella pag. 212. §. 18. dove per accreſcere alle pruove ſue pruova maggiore che'l Porto Fenice ſia nella coſta occidentale dell'Iſola, con un aria Magiſtrale anzi che nò, per atterrire i meno intendenti, incomincia a declamare in queſta guiſa (*a*): *Come Fenice può mai eſſere Auſtrale ſe da Buonoporto Paolo vi andava a ſeconda dell'Auſtro?* Pag 217 § 3.

E perche nò? riſponderebbe tal uno, caro mio e dolciato Maeſtro? E quale così dura difficoltà ci trovereſte voi per la voſtra novella Nautica? E non è egli lo ſteſſo cammino da Levante a Ponente, ſe dal Promontorio Orientale dell'Iſola andar ſi voglia per la coſta di Mezzogiorno all'eſtremità della medeſima verſo Ponente, o fermarſi a mezzo cammino là, dove Tolomeo, Ortelio, il Sanſone, e gli altri Geografi ſituano il Porto Fenice? Ben io ſarei per credere che ogni uno, che valichi il Mare, ancorchè della Geografia ineſperto, poſſa eſſere inteſo, che ſe due Navi con un medeſimo vento partano, per cagion d'eſempio, dal Porto di Manfredonia, niuno poſſa lor contraſtare, ſe una di eſſe fermar ſi voglia a Brindiſi, e l'altra tirare avanti per Otranto, che del tutto non adempiano il loro diſegno. Forſe ingannato dalla paſſione del creder voſtro, dir voleſte che foſſeſi ſuppoſto che'l Porto Fenice ſia egli Auſtrale a riguardo di Buonoporto? Perciocchè in altro modo la dimanda voſtra non potrebbe aver luoco. Ma così il Cielo vi renda incolume colla voſtra dolce Meleda, non dovevate in un tanto abbaglio cadere, da cui poco onore vi riſulta. Fenice è Auſtrale ſecondo Tolomeo, e gli altri Geografi, ſe ſi abbia relazione a tutta l'Iſola : cioè Fenice è ſituato in quella coſta, che riguarda l'Auſtro. Egli è Occidentale poi riſpetto a Buonoporto, e perciò con venti Auſtrali, o con Sirocco a Mezzogiorno da Buonoporto chiunque voglia può andarvi.

Non diſſugual contraſto fa all' Autore, perch' egli non

(a) Quomodo Phœnice Auſtralis, ſi ad eam ex Bonis portibus Paulus ſecundo Auſtro tendebat?

non creda che Porto Fenice poſſa eſſere nella coſta Auſtrale, il paſſo del divino Iſtorico, dove dice che un tal Porto riguardi i due venti Libeccio, e Maeſtro *(a)* : e nella ſteſſa pag. 212. §. 18. ne deduce il più forte argomento per provare che ſia a Ponente, contro l'autorità di tutti i più accorti Geografi : Non riflettendo come non ſia coſa tanto rara ed incognita che un Promontorio ſi pieghi in tal guiſa, che rinchiudendo dentro di ſe un ſeno di mare proprio ed acconcio a ſervir di ricovero alle Navi, faccia che queſto ſiffatto Porto altro vento riguardi da quello, a cui la coſta principale è diretta. Così veggiam ſulle carte di Porto Farina, di Marſiglia, di Meſſina, e di altri molti ſomiglianti. Ed ammiro come lo ſteſſo non abbia riflettuto alla carta di Ortelio, dove certamente ſe aveſſe oſſervato come Queſti ſitua Porto Fenice nella coſta Auſtrale dietro ad un Promontorio, che piega verſo Occidente, ſarebbeſi accorto della debolezza del ſuo argomento.

Oltre a ciò, per ripigliare l'intralaſciato cammino della Nave di S. Paolo dalla Punta Orientale dell'Iſola verſo l' Occidentale, e con vento di Mezzogiorno : Fatte le due terze parti dell'intrapreſa Navigazione per giugnere a Porto Fenice, ſecondo la carta che ce ne dà il Sanſone : vale a dire giunta all'altura di Aſſo, andavaſi accoſtando verſo l'Iſola : che così crederei doverſi intendere quel, *legebant Cretam*. Surſe indi a poco quel tanto contraſtato vento, che'l Padre vuol che ſia Sirocco. Ma, Dio immortale! come ſarà egli mai coll'autorità di tutti i Poeti, ed Iſtorici del Mondo che alcuno dar ſi poſſa a credere che'l vento Sirocco cacci, o allontani una Nave dalla coſta Meridionale di Candia, o d'altra qualunque Provincia, o Iſola che ſia; e non piuttoſto che ve la ſpinga ed accoſti?

Ma ſupponiamo pure come piace all'Autore, che Porto Fenice foſſe ſtato nella coſta Occidentale, e che la Nave partitaſi col vento Auſtro dal Capo di Levante aveſſe già paſſato a quel di Ponente, quando ſopragiunſe il furioſo Sirocco : in queſto caſo avrebbe potuto bene un cotal vento lungi dalla coſta Occidentale dell'Iſola reſpinger la Nave, ſe oppoſto non ſi foſſe il Piloto con forza contraria

(a) Act. 27. 12. Portum Cretæ reſpicientem ad Africum & ad Corum.

ria del Timone, e delle Vele. Or per poco ch'egli adoperato ſi foſſe, ſiccome con vento di Mezzogiorno era andato da Levante a Ponente, così, ſe la Nave però non trovavaſi molto lontana verſo Ponente a Libeccio dal Promontorio Occidentale, oggi detto di S. Gio: Battiſta, poteva col vento Sirocco andar da Libeccio a Mezzogiorno, verſo Greco a Tramontana al Porto propoſtoſi. Laonde o ſi voglia ſupporre Porto Fenice nella coſta Occidentale, o in quella di Mezzogiorno, come i Geografi tutti, e l'Autore ſteſſo nella ſua Carta maggiore lo ſituano: impedir non poteva il vento Sirocco che la detta Nave non vi andaſſe. E per ultimo anche avendo per vero che al ſopragiungere del tempeſtoſo Sirocco ſi foſſe trovata la Nave troppo impegnata lungi dal Promontorio S. Gio: Battiſta verſo Ponente a Libeccio (il che non può crederſi per eſſer fuori del propoſito del Piloto) in guiſa, che non le foſſe potuto venir fatto l'avvicinarſi alla coſta Occidentale dell'Iſola: In queſto caſo chi avrebbe potuto impedire al Piloto il mollare in poppa a ſeconda del vento verſo il Porto di Taranto, o con poco piegar del Timone ſalvarſi a Porto Quaglio, o in altro Porto delli molti, e tutti ſicuri, che ſono nella Morea? Non altri per verità che'l noſtro Autore, il quale, poſſa o non poſſa il vento, trovaſi già nella neceſſità di dover ſuperare il punto ſuo di ſtabilire nella ſua cara Patria, e per così dire in caſa ſua il Naufragio di S. Paolo.

Queſte ſono quelle poche rifleſſioni, che ho promeſſo a V. S. Illuſtriſs. le quali mi terranno ſempre lontano dal ſentimento dell'erudito Padre D. Ignazio Giorgio inſinattanto che da lui coll'arte ſua Maeſtra più chiari diviſamenti non ne vegga. Spero ch'Ella, per le cagioni nel principio accennate, farà per iſcuſarmi ſe troppo tardi queſte Riſpoſte mie le giugneranno, ch'io in fine tacendo mi rimarrò

Napoli 27. Dicembre 1732.

Di V. S. Illuſtriſs.

Divotiſs. ed Obbligatiſs. Servidore
Mario Lama.

Digitized by Google

DISSERTATIO OCTAVA.

Barbaros, quorum meminit Lucas Act. 28. non in Meleta, ſed in Melita reperiri potuiſſe.

§. I. Quamvis Adriam feliciter enavigaverimus, & ſecundis *Euroaquilonis* flatibus optatum portum tenuerimus; nihilotamen ſecius nos de poſſeſſione dejicere conatur pugnaciſſimus noſter Antagoniſta, qui vento deſtitutus, ut ajunt, remos adhibet, utut arundineos. Ecquid, ait, neſcitis, *Barbaros* fuiſſe, teſtante Luca, Melitenſes illos, qui naufragum Gentium Doctorem excepere? Scimus plane: Sed & *Barbarorum* nomen hujus Inſulæ Accolis, quibus non ſine magno Æterni Numinis munere contigit fauſta ſors excipiendi e naufragio Apoſtolum, congruere non ignoramus. Quin enim hoc teneamus, impedimento quidem non ſunt Adverſarii argumenta, queis Melitenſes Pauli Naufragi tempeſtate Græcos fuiſſe, Melituſæos vero Barbaros, ipſe contendit. Verumenimvero ipſum haud minus in iſta, quam in aliis ſuis aſſertionibus allucinatum eſſe jamjam demonſtrabo.

§. II. *Barbarorum* ſane appellatione populos, hominesſve, qui Græci minime audiebant, indicare procul dubio voluit Apoſtolicus Hiſtoriographus, de hoſpitalibus illis Melitenſibus verba faciens. Etenim ipſius ætate Barbari dicebantur quicumque Græci non erant. Siquidem ipſe Paulus, ſub cujus ductum, ut alias diximus, ſuam ſcripſit hiſtoriam Lucas, gentes omnes bifariam diviſit, ſcilicet in Græcos, & Barbaros, ita ſcribens ad Romanos: *Græcis, & Barbaris debitor ſum*. Idem ſenſit Strabo, quum dixit: *Commune hoc, & Græcis, & Barbaris, rerum ſacrarum curam cum feſtiva quadam intermiſſione celebrare*. Itaque ſi Melitenſes illa ætate nequaquam fuiſſe Græcos oſtendam; juremerito *Barbaros* audire potuiſſe evincam.

Ad Rom. c. 1.
Strab. l. 10.

§. III.

§. III. Reclamat noſter contradictor, & adverſus noſtram aſſertionem producit nonnulla antiquorum Melitenſium Græca nomina, quæ apud Scriptores invenit. Aſt miſere fallitur qui hujuſmodi argumentis innititur. Quis enim hiſtoriarum eruditione vel mediocriter inſtructus ignorat, & Græcis Barbara, & Barbaris Græca nomina quandoque fuiſſe uſitata? Nonne Apollonius, referente Philoſtrato, Ionios notavit ac reprehendit, quod apud eos frequentiora eſſent *Luculli*, *Fabricii*, & alia Romana nomina? Numne Ionios Apollonii ætate Romanos audiiſſe colligat, qui acetum habeat in pectore? Cur ergo Græci dicendi ſunt Melitenſes ii, quibus Græca nomina, vel aliis Barbaris nationibus, ut in *Diſſert.* 15. §. 2. oſtendam, uſitata, contigerint? Quid quod & apud Auctores legentibus occurrunt Romana virorum Melitenſium nomina? Ut ceteros plane miſſos faciam, Oratorum Dictator Aulum Licinium Ariſtotelem Melitenſem, antiquum (a) hoſpitem ſuum commendat. Viden' permixta in uno eodemque viro cum Græca, tum Romana nomina! Ideo-ne vir iſte ſemigræcus, & ſemibarbarus dicatur, quum reapſe fuerit totus Melitenſis?

Philoſtr. in Vit. Apoll. l. 4. c. 2.

Cic. Ep. 5. lib. 12.

§. IV. Ludicra pariter ac fluxa eſt altera ratio quam affert noſter Antagoniſta ad confirmandum Melitenſium Græciſmum. Hoc enim ille ex eo colligit, quod duo illa Templa, a Tullio, Val. Maximo, & Ptolemæo celebrata, Junoni, atque Herculi perantiqui noſtri Inſulares dicaverint, proindeque Deos Græcis peculiares adoraverint. Verumenimvero quis adeo eruditionis expers ac rudis eſt, ut, Numinibus a Græcia, fabularum doctrice, primum confictis, alias etiam nationes poſtea cultum præſtitiſſe, neſciat? Mecaſtor ſi Adverſarii argumentum ſuadendi vim haberet, jam jam Aſiatica urbs Epheſus, ac Samos inſula, Græcæ dici poſſent, quod in prima inſigne illud Dianæ Templum, ab Heroſtrato incenſum, coleretur; in altera vero eſſet celeberrimum Junonis, in habitu nubentis ſimulacrum, ac delubrum. Quid quod, teſte Plinio, Erythia inſula, a qua Tyrii originem ducunt, ab Indigenis *Junonis* appellata fuit? Ideo-ne ejus incolæ non erant Barbari, utut haud ſolum Templum, ſed totam Patriam Junonis

Plin. l. 4. c. 22.

Bb 2 nomi-

(a) Plane ſemper, & ubique gentium Melitenſes Hoſpitalitatis laude celebrantur.

nomini dicaverant? *Barbari* ſane, *Barbari* ipſi fuere, & Barbaris Melitenſibus affines: ſiquidem Melitenſes a Phœnicibus, ſeu Tyriis, Tyrii autem ab Erythinis deſcendunt.

§. V. Sed inſurgit Adverſator, & a ſacra linea, ut eſt in adagio, talum movet. Quidpe nonnulla vetera monumenta, heic reperta, producit; quæ, quum Hellenicas literas, Græcorumque Magiſtratuum nomina exhibeant, exinde Melitenſes vere Græcos fuiſſe is colligit. At illa quoque conjectura futilis eſt, nec hilum habet, neque micam bonæ frugis. Porro ignorare neutiquam debuiſſet erudirus noſter Criticus, Græcanicas literas & Barbaros olim excoluiſſe: Quandoquidem hoc paſſim teſtantur veteres Scriptores. *Nam ſi quis* (inquit Tullius) *minorem gloriæ fructum putat ex Græcis verſibus percipi, quam ex Latinis, vehementer erat: propterea quod Græca leguntur in omnibus fere gentibus; Latina ſuis finibus exiguis ſane continentur.* Idem affirmant Diodorus Siculus, ac Julius Cæſar, qui vel Gallos Græcum idioma calluiſſe tradunt. Necnon Hellenicis literis uſos fuiſſe Germanos memoriæ prodidit Tacitus *lib. de morib. pag. mihi* 338. Ad quem locum Pater ille ſtudiorum Lipſius, vel Helvetios Cecropiam Minervam excoluiſſe, adnotavit. Quapropter D. Auguſtinus inter ceteras linguas Græcam clariorem fuiſſe habitam recte adſeveravit. Et quidem ab uſque Magni Alexandri Regno *lingua Græca* (inquit Jacobus Boulducus) *magnam Orientis partem ita occupavit; ut tandem ipſi Judæi, quorum maxima pars Aſiam, Ægyptum, & Græciam, incolebant, in Hebraica lingua novi eſſent, atque peregrini, eamque diſcerent ex libris, ut nos Græcam, Latinam, & Hebræam.* Necnon uſque ad ſua tempora omnes Orientales Græce loquutos eſſe teſtatur Hieronymus. Quod etiam perſpicitur ex Œcumenicis Conciliis in Oriente celebratis, in queis Patrum nomina, atque in illis geſta Græce conſcripta ſunt. Quid ergo mirum ſi Melitenſes Apoſtoli Naufragi ævo græcizaverint? Nempe tunc Hellenicas literas ediſcebant, ut in præſentiarum Latinas. Et ſicuti Latio aſſerendi ipſi non ſunt, quod in jure exercendo, in numiſmaribus, & in publicis monumentis Latino idiomate utuntur; ita nec Græcis populis accenſeri iidem debebant, quum & Orientales, & Occidentales gentes æmulari affectantes in pu-

Cic. pro Arch. Poet.

Jul. Cæſ. de bell. Gall. lib. 6.

D. Aug. C. v. Dei c. 2.

Jac. Bould. de Eccl. poſt leg. cap. 5.

D. Hier. in Procem. in l. 1. Comm. in Epiſt. ad Galat.

Digitized by Google

in publicis Inſcriptionibus, aliiſque ſimilibus Græcanica lingua uterentur.

§. VI. Præterquam quod Octavius Auguſtus lege ſanciverat, ut Romani Græce tum loquerentur, tum induerentur; Græci vero Romanis veſtibus & lingua uterentur. Deinde Claudius decrevit, ut vel Barbaræ nationes in rebus publicis gerundis, & in jure dicundo Græcas literas adhiberent, ut enarrat Svetonius. Quid igitur eſt in cauſa, cur noſter Antagoniſta miretur, quod Melitenſes illi, Romanorum imperio ac legibus addicti, Græcanicas literas in publicis rebus uſurpaverint? Profecto aſſertionis noſtræ veritas undequaque nitidiſſima emergit: nempe a Claudii imperio aduſque Hadrianæum vix ac ne quidem vix ullam Latinam Epigraphen in hac Inſula factam reperies: quotquot enim Latinas Inſcriptiones heic repertas ego viderim; haſce ſane vel ante, vel multo poſt Claudii imperium, quum ſcilicet lex ab iſto lata, poſt multum temporis lapſum in deſuetudinem abiiſſet; factas eſſe comperi. Svetton. in Oct. & in Claud.

§. VII. Huc accedit quod Melitenſibus Græcanici idiomatis peritia erat apprime neceſſaria, nempe ob aſſiduum commercium, quod inter hos atque Siculos, præſertim Syracuſanos, vicinos, &, ut ita dixerim, cognatos, coaleſcebat. Cum iſtis autem neque negotiari, nec aliquid tractare potuiſſent Melitenſes, niſi linguam iiſdem uſitatam tenuiſſent. In Sicilia vero illis temporibus nedum Græcum idioma frequentabatur, ſed plureis Græcanicæ urbes florebant, & inter ceteras Syracuſæ, quam *Græcarum urbium maximam* dicit Romanæ Parens eloquentiæ, qui teſtatur quoque Græcarum literarum ſcholam in eadem Inſula fuiſſe tunc habitam, quum Verrem ita inſectetur: *Si Græcas literas Athenis, non Lilybæi* (celebris Trinacriæ urbis;) *Latinas Romæ, non in Sicilia didiciſſes*. Ad quem Tullii locum idem adſeverat Pedianus. Quid vero quod ipſi Syracuſani a Plutarcho, Lucæ contemporaneo, *Barbari* ſunt appellati? Si pol iſti non modo Græcis literis inſtructi, ſed etiam maximæ Græcarum urbium accolæ, *Barbari* tunc audiebant; cur eadem appellatione indicari a Luca non poterant Melitenſes, Inſulam, ut Adverſario placet, Africanam incolentes. Cic. Verr. 6. Plutarch in Timoleon.

§. VIII. Plura quidem de hac re differere ſupervacaneum

neum ducerem, niſi mihi res eſſet cum Adverſario verboſiſſimo, & in omnibus multo, ac petulanti. Porro nonne ſub Græcorum dominatu, ac legibus vivebant Melitenſes multo ante Pauli naufragium? Cur ergo ultra quæramus, unde Græciſmum ipſi hauſerint? At hinc Adverſator, qui vel acum, ut dici amat, inveniſſet, ut nos feriret, anſam arripit conjiciendi, quod Inſulares noſtri tempore Paulini adpulſus vere Hellenes fuerint. Sed cui cordato viro id ſuadere ille unquam poterit? Ergo-ne qui Græcis, aut Barbaris mancipantur, vel addicuntur, in Græcos evadunt, aut Barbaros? Si recta eſſet Adverſarii ſententia; quiſnam poſthac Siculos ab Hiſpanis, Gallis, aut Alemanis diſtinguet, quum nationibus hiſce ſingulis ii fuerint mancipati?

§. IX. Sed Adverſario demus quod Melitenſes tales habendi eſſent, quales erant populi eis dominantes; næ Pauli Naufragi tempeſtate Barbaris accenſeri debebant: quippe tum temporis Romanis ipſi parebant; imo Romanorum Municipium, ac ſocii audiebant, ut teſtantur tot antiqua monumenta heic inventa, totque veteres Scriptores; inter quos Tullius ita loquitur: *Teque Regina Juno, cui duo Fana duabus in inſulis poſita, Sociorum Melitæ, & Sami*. Itaque in noſtra Inſula ſervabatur forma quædam Reipublicæ, ut in ceteris Municipiis ſervatam fuiſſe perhibet Carolus Merovillius. Reapſe in quibuſdam veteribus monumentis heic repertis Romanorum Magiſtratuum nomina leguntur. Aſt hujuſmodi ſcopulum evitare ſtudens noſter Antagoniſta, Romanis Barbarorum nomen neutiquam congruere contendit: eamque affert rationem quod ſub Pauli Naufragi tempeſtatem Romani pleraſque Græcas gentes civitate donaverant, & Græcanico more vivebant, ac loquebantur; ideoque a notandis ejuſmodi appellatione Romanis ſeſe continere debebant accuratiores, prudentioreſque Græci Scriptores, inter quos connumerandus eſt Apoſtolicus Hiſtoriographus. Attamen Criticus noſter, quum hanc Lucæ laudem tribuere affectet, majorem eidem gloriam abripit. Etenim multo laudabilior eſt iſte Sacer Scriptor, quod Apoſtoli ſententiæ ſubſcribat, quam ſi ceteris omnibus profanis Auctoribus aſſentiatur. Quid vero ſenſit de Romanis Gentium Doctor? Illos ſane in Barbarorum numerum retulit, quum *Barbaros* appellavit eos omnes, qui Græci non eſſent. *Græcis* (inquit) *& Barbaris debitor ſum*. Quid quod, ut

Cicer. Verr. 5.

Car. Meroville in not. in orat. pro A. Cluent.

ut alias dicebam, ſub ejuſdem Apoſtoli ductum ſuam Lucas hiſtoriam conſcripſerit? Si vero profanorum Scriptorum de hac re ſententiam aſſequi velit noſter Zoilus, Philoſtratum Græcum Hiſtoriographum adeat, referentem quod Joniis Barbariſmi notam inuſſerit Apollonius Thyanæus, quod *Luculli*, *Fabricii*, aliiſque Romanis nominibus illi uterentur. Necnon ipſe conſulat Auctorem Atlantis hæc proferentem: *Maſſenio Servus apud Plautum, vocat exoticam Græciam, quam Romani majorem Græciam: non quidem ex perſona ſua, nam erat Siculus, neque vocaſſet conſulto ſe ipſum Barbarum, & Barbaram Italiam, non ex conſuetudine Romanorum dicit, quis enim ſanus ſe Barbarum vocat? Sed ex perſona Græcorum, qui* βαρβαρȢς, καὶ ἘξωτικȢς *Italos vocabant*. Vides ut Itali, quibus præcipue accenſentur Romani, Græcis *Barbari*, & *Exotici* dicebantur! Phil. in Vit. Apoll. l. 4. c. 2.

§. X. Quod ſi autem in ſua ſententia perſiſtat refractarius noſter Antagoniſta, Barbarorum denominationem Romanis incongruentem, ac indecoram eſſe contendens; ita ut ab illis Barbarie notandis ſe abſtinere debuerint Græci Scriptores; ego ſic illum aliis rationibus retundam, ut ne hiſcere quidem amplius audeat. Et ſane cur Græcanici Auctores Barbaros appellare Romanos dubitaverint, ſi ipſi Romani Scriptores a ſuis Concivibus Barbarie notandis ſeſe minime continuere? Nonne Plautus *in Aſinariæ Prologo Barbaram* vocavit Romanorum linguam? Sed fortaſſe reponet Adverſarius, quod Plauti ætate Romani nondum Græco ſermone uterentur; quum tamen poſtea & linguam, & mores Græcanicos affectare illi cœpiſſent, *Barbari* audire minime deberent. Aſt per hanc rimam ille nequaquam effugiet: quippe tantum illi Scriptorem opponam, ut ſilere omnino cogatur. Romanæ Pater eloquentiæ is eſt, qui *lib. 2. de Divin.* populos omnes, ne quidem Romanis exceptis, *in Græcos* dividit, ac *Barbaros*: & tamen hic eſt ille Tullius, qui Romanos cum linguæ, tum moribus Græcanicis deditos eſſe, non ignorabat; ſiquidem ajebat: *Non eſt tam præclarum ſcire Latine, quam turpe neſcire*: Necnon in *Orat. pro Arch. Poet.* Omnes fere gentes Græcis literis operam navaſſe ipſe adſeverat. Quota vero gentium *Barbara* dici potuerit, ſi demas quotquot Græcas literas fuerint profeſſi? Vix ulla, teſtante Tullio. Cic. in Brut.

§. XI. Verumenimvero tota errat via, qui ſolum idio-

ma

Digitized by Google

ma ſat eſſe autumat, ut aliqua natio nomen peculiaris gentis ſibi adſciſcat. Equidem licet Iſraelitæ in Ægypto vivebant, & Ægyptia lingua utebantur; tamen Ægyptiis minime accenſebantur, ut animadvertit doctiſſimus Boulducus, ita loquens: *Filii Jacob, ejuſque Nepotes, quum eſſent in Ægypto, & communi regioni lingua uterentur, non ideo Ægyptii proprie dicebantur: ſed vel Iſraelitæ, quia a Jacob oriundi vel potius Hebræi, tamquam Heberis ſectatores.* Quod ſi quis autem Melitenſium originem ſpectabit, Barbarorum cognomentum ipſis convenire non inficiabitur: nimirum iidem ab Africanis Phœnicibus ortum duxere; quorum lingua Melitenſes olim utebantur, & in præſentiarum plurima retinent vocabula, ut *in Melitæ Deſcriptione* ajebam. Quam bene vero Africanis *Barbarorum* denominatio congruat, ſcite enucleat Johannes Leo Africanus hiſce verbis: *Hujus* (Africæ) *ſubfuſci coloris incolæ appellati ſunt nomine Barbar a verbo Barbara* (*a*), quod eorum idiomate *idem ſonat, quod Latinis murmuro*: *eo quod Africanus ſermo Arabibus non aliter ſonet, quam belluarum vox, quæ nullo accentu ſuas edunt vociferationes.* Quid quod vel Arabum lingua olim Barbara dicebatur? In *lib.* ſiquidem tertio Sibyllin. Oraculorum hæc leguntur.

Jac. Boulduc de Eccl. ante Leg. lib. 2 c. 9.

Joh. Leo African. in Deſcri. Afr. lib. 1.

Multa etiam Lyciæ natis, Miſæque, Phrygumque,
Pamphyliæque cadent gentis, Lydique frequentes,
Marique, Æthiopeſque, & quorum barbara lingua eſt,
Cappadoces, Arabeſque . . . .

Et quidem huc collimans ſapientia non minus quam dignitate Eminentiſſimus Arator *Barbarica de gente ſatos* dixit, quos Lucas *Barbaros* appellavit.

§. XII. Neque autem imprudens eſt conjectura Bocharti, Cellarii, Cluverii, & aliorum, qui Lucam Barbarorum nomine quoſdam Pœnos in Melitenſibus agris commorantes indicaſſe arbitrantur. Quocirca Thomas Maſſutius inquit: *Quamvis tempore S. Pauli Melitam & Siciliam multi Græcorum inhabitabant; aliquos tamen Barbaros ſaltem in agris fuiſſe reſiduos credendum eſt, ut aliqui bene conjiciunt, vel primo bello Punico relictos, vel pace inter Romanos, & Carthaginenſes firmata regreſſos* (*b*): *nam etiam in*

Bochart. in Chan. l. 1. c. 26.
Cell. Acad. differt part. 1. diſſ. 7. §. 26.
Cluv. Sic. Ant l. 2. c. 26.
Maſſut. in vit. S. Paul. lib. 11. c. 10.

(a) Ea vox *Bar-bara* in cognomentum tranſivit quarumdam Familiarum Melitenſium, quæ in hac Inſula adhuc exiſtunt. (b) *Vel etiam finito bello Punico III. Carthagine deleta*, ut ſubdit Cluverius.

in Sicilia uſque ad poſteriora tempora aliqui Pœnorum manſerunt: ut propterea Apulejus Siculos trilingues appellaverit, ideſt Sicula, Græca, & Punica lingua loquentes. Reapſe in Inſula noſtra paſſim erant obviæ lapideæ columnæ, vetuſtis Pœnorum Characteribus inſculptæ, ut teſtatur diligentiſſimus Rerum Sicularum, noſtrarumque Scriptor Thomas Fazellus. Fazel. Dec. 1. l. 1. c. 1.

§. XIII. Tantorum Virorum conjecturam corroborat Æthiopica verſio, quæ illa Vulgatæ verba: *Barbari vero præſtabant non modicam humanitatem nobis*; ita reddit: *Ruſtici benefecerunt nobis multum*. Cui concinit prælaudatus Arator his verſibus:

Haud procul hinc aberant agreſtia corda gerentes
Barbarica de gente ſati.

Et quidem, ut exponit eruditiſſimus noſter Macer, *Barbarus non ſignificat inhumanum, ut vulgo nunc ſonat, ſed agreſtem, & ruſticum; eſt enim vox Syriaca Bar-bar, ideſt filius deſerti, vel habitator deſerti; & quia tales homines ſolent eſſe inurbani, ideo hęc vox tractu temporis denotare cœpit inhumanos. Confirmatur hęc expoſitio ex Textu Æthiopico, qui legit agreſtes, ut mihi oſtendit Romę Abba Gregorius Sacerdos Æthiops de noſtra Fide Catholica optime meritus, ac linguę Æthiopum litteralis peritiſſimus. Igitur homines ruſtici, ac per agros vagantes, primi ſeſe obtulerunt Paulo, ac ſociis a mari in littus ejectis, eoſque humaniter exceperunt. Deinde fama vulgata acceſſerunt cives, ac ipſe Publius Princeps Inſulę.* Domin. Macer in Hierol. Hucuſque Macer; & quidem recte: quinam enim alii, quam ruſtici, agreſteſque viri eſſe poterant in illis agris horridulis, ſæviente hyeme, perflante vento adeo procelloſo, die tam atro, hora adeo matutina! Næ Cives, urbanique viri Autumni, ſeu Veris tempore Rus accolunt, relaxandi ſane animi cauſſa; hyemis vero tempeſtate in urbanis ædibus morantur, & inhorreſcente ſæva aliqua procella, ſimili illi, que Paulum divexavit, & huc Naufragum adegit, non niſi urgeute gravi aliquo negotio per ipſam urbem vagantur. Revera D. Lucas *Barbaros* dumtaxat eos appellavit, quos in loco illo Dithalaſſo nactus fuerat; verumtamen de omnibus Melitenſibus loquens, hos vocat *Inſulares*, quum ait: *Quo facto omnes* (nota) *qui in Inſula* habebant infirmitates, *accedebant, & curabantur*: *qui etiam multis honoribus nos honoraverunt.*

§. XIV. Videat igitur quam inepte loquatur Adverſarius, quum nos D. Lucæ ingratitudinis notam impingere dicat; quod nempe videamur innuere, hunc ſacrum Hiſtoriographum *non ſatis explicato verbo Oppidanos cultiſſimos, honorificam*, (nempe quatuor Ruſticos, ut exponebam) *& numeroſam partem Inſulę immerito Barbariei ſuſpicione infamaviſſe (a)*. Et quidem ſi populi denominatio, ut ait ille, fieri debet ex maxima ejuſdem portione, qui non advertit, quod *Barbarorum* appellatione non omnes Inſulares, neque maximam horum partem indicare voluerit Sacer Evangeliſta? Siquidem hic loquutus eſt de paucis illis, qui Paulo ſociiſque naufragio in littus ejectis ſtatim obviam ivere. Ergo-ne ſi pauci Agricolæ in loco illo campeſtri, ac dithalaſſo, Apoſtolum, alioſque Naufragos humane exceperunt; recte, candide, & proprie adſeveraret Lucas, quod Oppidani, vel Inſulares omnes: ſeu maxima horum pars ipſos peramanter tractaverint? Quocirca cuicumque cordato prudentiſſima videri debet conjectura Cajetani, ſic ratiocinantis: *Introrſum a Sinu* (D. Pauli) *ad quem factum Naufragium V. P. M. Pagus eſt, cui Naxar nomen: hujus incolę gloriantur antiquiores eſſe ſe totius Inſulę Chriſtianos, primoſque Apoſtolum prędicantem audiviſſe, & ab ipſomet Paulo traductos ad Chriſtum, baptiſmate ablutos fuiſſe. Si dicto fides, cenſuerim, eos extitiſſe barbaros, quos Lucas memorat, non modicam humanitatem P. Apoſtolo, Lucę, & Ariſtarcho ejus comitibus, ceteriſque naufragis pręſtitiſſe.*

Oct. Cajet. Ilag. c. 19.

§. XV. Hinc elici poteſt, quidnam ſenſerint Menochius, & Sylveira *ad Act. c.* 28. quum Melitenſes illos præ moribus, lingua, & diſciplina *Barbaros* dixerint: nempe de Melitenſibus Agricolis loqui intellexerunt. Etenim Sylveira paullo poſt verba ab Adverſario producta ſubnectit hæc alia ab ipſo diſſimulata, & prætermiſſa: *Barbari, hoc eſt non moribus, ac diſciplina expediti; & cum tales eſſent, tantam Charitatem erga Naufragos impendebant, ut expendit D. Chryſoſtomus. Et virtus ab indiſciplinato, & ruſtico maxi-*

(a) Ejuſmodi animadverſionem Adverſarius mutuatus eſt ex Niderſtedio, qui *l. 1. Melit. vet. & Nov* c. 4. ſic inquit: *Huc accedit quod cum Lucas natione Græcus, ac Paulus neque eruditionis, neque linguarum ignarus, hos Melitenſes Barbaros appellent, veriſimile non ſit, quod ſi Epiri fuiſſet Melita (quæ Græca eſt) ad quam Paulus delatus eſt, barbarici eos notaturos fuiſſe, cum quibus & ſemet eſſent contaminaturi.*

Digitized by Google

maxime laudabilis, & *glorificanda*. Unde quoque perſpicua fit Chryſoſtomi ſententia. Quod ſi autem hunc atque Eſtium una cum Syro Interprete Barbaros pro cunctis Inſularibus accepiſſe pertinaciter contendat noſter Criticus, nihil inde lucri feciſſe ſe putet: quandoquidem vel univerſis Melitenſibus Barbarorum denominationem congruere, tot, tantiſque rationibus jam ſupra demonſtravi.

§. XVI. Pro coronide tamen hujaſce quæſtionis adſcribere heic lubet Strabonis judicium de Barbaris appellandis. *Exiſtimo* (is inquit) *vocem Barbarum ita fuiſſe ab initio attributum his, quæ non niſi difficulter, duriter, aſpereque poſſent pronunciari: cujuſmodi ſunt battarizein, traulizein, pſellizein. Sumus enim ad hoc ingenioſiſſimi ut ſimiles voces ſimilibus exprimamus, quod jam ejuſdem videntur eſſe generis: atque hic abundat uſus novorum nominum confictorum: qualia ſunt Kalarizein, clangor, pſophos, boe, ploſus: quorum nunc pleraque proprie uſurpantur. Cum ergo omnes, qui ſic craſſo ore loquuntur, barbari appellarentur; exiſtimatum eſt alienigenarum ora eſſe talia: eorum inquam, qui non eſſent Græci. Hos igitur initio vocaverunt barbaros tamquam diductionem aſperitatemque oris exprobrantes. Deinde tamquam communi quodam gentili nomine abuſi ſumus*, (nota) *in nationum diviſione barbaros Græcis opponentes. Multa enim conſuetudo, & commercia cum barbaris effecerunt; ut jam non ob oris craſſitiem, aut vitium aliquod inſtrumentorum voci ſervientium barbari cenſerentur; ſed ob ſermonis peculiarem formam, quas dialectos uſurpamus. Alia porro in noſtra lingua craſſities vitiumque & quaſi barbaries oris exſtitit, cum quis Græcum ſermonem affectans, perfectam ejus pronunciationem non attingit: ſed ita voces effert, ut barbari, quando ad Græcæ linguæ uſum introducuntur, neque poſſunt perfecte vocabula exprimere: quod & nobis in illorum idiomatibus uſuvenit* (a). Hinc ediſcat noſter Criticus quidnam de hujuſmodi vocabulo ſenſerint *accuratiores Græci Scriptores* (b), *quibus accenſendus Lucas*. Necnon ille agnoſcat, quam minus Strab. l. 14.

 recte

(a) Reapſe Melitenſium lingua vocabulis adeo aſperis, duriſque ſcatet, ut ſi ea Græci, aut alii exteri velint exprimere, gutturi mi ere t uqueant, riſumque Indigenis concitent. Et quidem perfectam, ut ait Strabo, pronunciationem hujus idiomatis vix ullus alienigena attingit. Quæ ſane aſperrima, & duriſſima videri debuit, Lucæ, Græco, politoque Scriptori.

(b) Ejuſmodi inculcationibus nos inceſſit Adverſarius, *Inſp.* 4. *Diatr.* 1. §. 4 eas vero paſſim in ipſum retorquere poſſumus.

recte dixerit, quod iidem Pauli tempeſtate Romanos jam lingua, & moribus Græcanicis imbutos appellare barbaros deſueverint; quandoquidem Strabo Scriptor Græcus accuratiſſimus, & Lucæ contemporaneus, *in Nationum diviſione*, a Græcis ceteros populos, ne quidem Romanis exceptis, fuiſſe diſtinctos, barbaroſque appellatos ævo ſuo teſtatur: quum *jam non ob oris craſſitiem, aut vitium aliquod loquelæ*, aut morum, ſed ob ſermonis *peculiarem formam*, ſeu, *dialectum*, & *imperfectam pronunciationem barbari* cenſerentur. Hinc etiam atque etiam perſpiciat, nos ingratitudinis notam, ut ipſe dictitat, Apoſtolico Scriptori nequaquam inurere, quum ipſum *barbarorum* appellatione Inſulares noſtros indicaſſe aſſeramus: ſiquidem ipſe *barbaros* eos vocavit, non quod eorum mores barbarie notare voluerit, ſed ut eos reſpectu Græcorum exteros eſſe indicaret. Et quidem Barbarus Hebraice, unde ad Græcos ac Latinos ea vox effluxit, *externum* ſonat, ſeu *peregrinum*. Reapſe mentem ſuam declaravit ipſe Lucas; quod nempe ejuſmodi appellatione Melitenſium illorum mores notare non intellexerit: *Barbaros* enim eos appellavit, ſimulque ipſos ut pote humaniſſimos exaltavit honorifico illo encomio: *Barbari vero præſtabant non modicam humanitatem nobis*.

§. XVII. Reliquum eſt modo, ut Barbarorum nomenclationem Melitæis Dalmatenſibus haudquaquam competere oſtendam. Quod utique, niſi me fallit animus, affatim demonſtrabo. Tametſi noſter Antagoniſta de more ſuo jactabundus adſeverat, a compluribus Scriptoribus eos habitos eſſe ut Barbaros: ſed binos tantum is producit, cauſatus copiam, quæ inopem ipſum fecerit. Aſt ego arbitror, quod ſi quatuor, aut plureis Auctores ſibi ſuffragantes nactus eſſet, duos ille ſolos minime protuliſſet. Perpendamus autem horum teſtimonia. Primum eſt Thucydidis, qui *lib.* 1. inquit: *Habitant juxta Epidamnum Taulantii barbari, gens Illyrica*. Sed quid Delphino & bovi commune? Num ne ideo Melitnſæi dicendi barbari, quod Taulantii tales ſint? An ne quod exigua Illyriorum portio Barbara audiat; a tota exinde Illyride Græciſmus excludatur? Id vellet inferre Adverſarius, ſed aliunde id eliciat, non ex Thucydidis verbis, nihil tale ſtatuentis. Et quidem Fazellum, & Cajetanum ipſemet irridet, quod *Meletam* ii dixe-

dixerint Græcam, propterea quod ipſam Epiro adjacere putaverint. Cur tamen ille ipſe eamdem, vel certe ſimillimam, allucinationem admittit, Melituſios fuiſſe barbaros ex eo conjiciens, quod barbari fuerint Taulantii, populi ab illis adeo remoti? Præterquam quod Taulantios proprie Illyricos fuiſſe, negare videtur Plinius his verbis: *Eo namque tractu fuere Labeates, Enetes, Enerudini, Faſſei, Grabei, proprieque dicti Illyrii, & Taulantii, & Piręi*. Viden' heic Taulantios diſcriminatos a populis, qui proprie dicuntur Illyrici! Plin. l. 3. c. 22.

§. XVIII. Alterum teſtimonium eſt Plutarchi, qui Euridicem Magni Macedonis Aviam Ἰλλυρίδα καὶ τρισβάρβαρον, *Illyricam, & tribarbaram* mulierem appellat. Verumtamen quis non videt, Plutarchum heic *tribarbaram* vocare Euridicem, non ad exprimendos Illyriorum communes, ſed peculiares illius fœminæ mores? Nemo ſane, niſi cui ſit cornea fibra. Et quidem ſi barbariem omnibus Illyriis communem indicare voluiſſet accuratus iſte Scriptor, ſat ei fuiſſet illam vocare Illyricam; ſed quia peculiarem illius indolem ſignificare is voluit, illam dixit *tribarbaram*. Niſi quis hinc malit elicere, quod Plutarchus Illyricos ut barbaros non habuerit, ideoque τὸ *tribarbaram* adjunxerit. Etenim Scriptores, quum populos non Græcos exprimere velint, eos numquam *tribarbaros*, ſed tantummodo barbaros appellare aſſolent. Plutar. in lib. de liber. educ.

§. XIX. Redeamus autem ad Plinium, qui loco ſupra citato ſic loquitur: *Præterea* (in Dalmatiæ tractu) *multorum Græciæ Oppidorum deficiens memoria, necnon & Civitatum validarum. Eo namque tractu fuere Labeates, Enetes, Enerudini, Faſſei, Grabei, proprieque dicti Illyrii, & Taulantii, & Piræi*. Quid hinc eliciendum eſt, niſi quod populi iſti Dalmatenſes fuerint Græci; quandoquidem urbes, quas ipſi incolebant, Græcas fuiſſe teſtatur iſte Scriptor? Si ergo Meltam fuiſſe Græcam inficiatur Adverſarius, quod juxta Epirum, ut Fazellus, & Cajetanus crediderunt, minime ſita ſit; quid eſt in cauſſa, cur illam ut Græcam non habeat, quum Inſula Dalmatiæ illa ſit, in cujus tractu, teſte Plinio, tot Græca Opida & Civitates? Et inter ceteras ei adjacet *ad mare Epidamnus urbs Græca*, ut inquit Scymnus. Sed quid opus eſt aliorum te-

ſti-

Digitized by Google

ſtimoniis; quandoquidem ipſemet Adverſarius, Illyricum Græcum eſſe confeſſus eſt? Sed quia fortaſſe ipſe loci non meminit, hunc ei in mentem ego reducam. Quippe *I. p. 2. Diatr. 1. §. 16.* Græci maris nomine Illyricum a Tullio innui contendit, hanc afferens rationem: *Nam Illyrici tractus a Faucibus Adriaticis adusque Dyrrhachium, etiam nomine Græciæ, vel Macedoniæ vocatus ſæpe eſt ab antiquis. In eo duæ clariſſimæ cultiſſimæque urbes, atque Academiæ, Dyrrhachium, atque Apollonia, dilectæ admodum Ciceroni exulanti, & quarum ſimilem in tota Græciæ ora, Jonio mari obnoxia, reperire non erat.* Ita plane hic Tergiverſator Illyridem, prout ſibi arridet, modo *trigræcam*, modo *tribarbaram* facit.

Salv. Maſſil. de Gubern. Dei lib. 4. §. XX. Quod ſi vero Barbaros pro Paganis, aut Heterodoxis accipere velis ſecundum Salviani mentem, qui ait: *Duo enim genera in omni gente omnium Barbarorum ſunt, ideſt aut Hæreticorum, aut Paganorum.* Cui conſonare videtur Athanaſius Presbyter Alexandrinus in libello, quem ipſe protulit adverſus Dioſcorum S. Synodo Chalce-

An. Labbeum in Conc. Chalc. donenſi, ubi ſic ait: *Reverendiſs. Epiſcopum Dioſcorum & in ipſum Chriſtum contumelias perpetraſſe, & multa alia commiſiſſe, quę non ſolum legibus abdicata ſunt, ſed etiam immaniſſimis, & ferociſſimis Barbaris. Iſtius enim commiſſa illorum crudelitatem, & omnem circa Deum impietatem vicerunt.* In hoc, inquam, ſenſu quoque Barbari dici poterant Melitenſes, quum adusque Pauli in hanc Inſulam adventum Chriſti Fidem nondum agnoverant: non ita vero Dalmatenſes, quibus, vel Adverſario fatente, Dei verbum

Inſp. 2. Diatr. 5. §. 8. tum Apoſtolus, tum Lucas, jampridem annunciaverant. *Antequam Melitenſe Naufragium* (is inquit) *paſſus eſſet, jam Lucas oculata fide cognoverat Adriam, & forte navigarat, cum per Macedoniam Illyricam, quę in Acroceraunia, & in Adrię fauces deſinit, perque ipſam Illyridem, quę tota adjacet Adrię, Chriſti nomen & una cum Paulo, & abſente Paulo Evangelicus pręco circumferret: quemadmodum docet Epiphanius Hęr. 51.*

§. XXI. Quid autem heic amplius inſiſto, atque operam ludo in confirmando Melituſſæ Græciſmo; quandoquidem eam, Pauli ævo neque Græci, neque Barbari incolebant? Cujates igitur homines ibi reperiebantur? Nulli ſane, nulli. Nimirum illius incolæ una cum Corcyræis, aliiſque Dalma-

ma-

matis a Cæſare Auguſto debellati, penituſque confecti fuere, ut memoriæ prodiderunt, Svetonius, Appianus Alexandrinus, ac Dio Caſſius. Populorum autem Dalmatenſium, quos Auguſtus diuturno bello ſuperavit, opida, urbeſque ab ejuſdem Imperatoris Militibus igne abſumta fuiſſe teſtatur Strabo his verbis: *Tum ora maritima Dalmatarum & Navale eorum Salona. Eſt hæc gens ex earum numero, quę diuturnum cum Romanis bellum geſſerunt: babuit oppida memoratu digna ad L. de quibus & urbes nonnullę Salona, Priame, Ninia, Sinotium novum, ac vetus: ab Auguſto iſta ſunt combuſta.* Svet. in Octav. Dio Caſſius lib. 54.

§. XXII. Sed reclamabit fortaſſe Adverſarius, reponens, quod vel incenſa, dirutaque Patria Melituſii nova ædificia extollere, aut ſaltem mapalia conſtruere potuerint, itaut Pauli Naufragi tempeſtate ipſorum Inſula tum ædibus, tum accolis ſcatuerit. At quæ ædificia, quos ædificatores, aut incolas ſomniare ille unquam poſſit; ſiquidem, teſtante Appiano, Meleta vel accolis, & quidem omnibus, a Cæſare fuit orbata. *Deficientes vero Melitinos* (rotunde inquit Appianus) *& Corcyręos, qui inſulas incolunt, ingenti belli mole ſuperavit, quoniam maria claſſe prędabantur: & horum quidem impuberes Cęſar juſſit interfici, reliquos pretio venundedit.* Audiſti? Tum ii qui nondum pubertatis annos attigerant, tum qui eos exceſſerat, videlicet, omnes, quotquot erant, Inſulares ab Auguſto fuerunt e Meleta ſublati. Id quidem bene intellexit callidus noſter Veterator, ideoque hunc Appiani locum allegans, poſteriora ejuſdem verba, quibus ea Melitinorum, atque Corcyræorum perditio ac exterminatio exprimitur, de more ſuo reticuit ac diſſimulavit. Appian in Illyric.

§. XXIII. Equidem Romanis Imperatoribus, ac Ducibus is erat mos, ut captas non deditas urbes vaſtarent, diriperent, incenderent, & maxime eorum qui latrociniis & excurſionibus Romanos agros, vel maria infeſtaſſent. Multa ejuſmodi extinctionum exempla poſſum adducere; ſed ne Lectores meos tædio afficiam, nonnulla ſtrictim, & rotundo, ut ita dixerim, agmine producam. Appiolanos (*a*) quidem, poſt Anci obitum, excurſiones ac latrocinia in Agro Romano perpetrantes Tarquinius expugnavit, eorumque oppidum deſtruxit, concremavitque, ut auctor eſt

(a) Is erat populus Germaniæ.

Digitized by Google

Sam. Pitiſc. in Lex. Ant. Rom.
Tacit. Annal. lib. 1.
Eutrop. Hiſt. Rom. brev. l. 4.
C. r. Sigon. in Comment. in Faſt. Rom.

eſt Dionyſius apud Samuelem Pitiſcum . Germanicus Cæſar, memorante Tacito, Marſorum vicos, ſine ulla ſexus, ætatiſve miſeratione, ferro, flammiſque vaſtavit. Mummius Conſul, referente Eutropio, Corinthum (*a*) cepit, ac diruit. *Numantiam* (*b*), (inquit idem Hiſtoriographus) *diu obſeſſam fame confecit, & a Solo evertit* P. Scipio Africanus. Satrici oppidum a Valerio Conſule dirutum, incenſumque tradit Livius. C. Cœlio, L. Domitio Coſſ. recenſumque Hiſpaniæ Principes Naſica (*c*) interfici juſſit, urbibus dirutis, ut enarrat Obſequens apud Carolum Sigonium. Trecentas (*d*) Celtiberorum urbes, quas Strabo turres interpretatur, Tiberium Gracchum evertiſſe perhibet Polybius: idem evenit Fidenatibus, qui rebellaverant. Idem Volſcis, quorum urbs a M. Valerio capta, atque incenſa fuit. Dalmatas autem a Scipione Naſica debellatos, urbibus captis, venditiſque captivis, aſſerit Zonaras apud Sigonium *loc. cit.* Quid mirum eſt igitur ſi Dalmatenſes Melitæos perdiderit Auguſtus, quum ii non ſolum infeſtiſſimi fuerint Prædones, diuque Romanis armis reſtiterint, ſed etiam ipſum Imperatorem, ut autumat Adverſarius, lapide e funda (*e*) vibrato, in quodam bello Dalmatenſi, vulneraverint.

§. XXIV. Hinc eſt, ut arbitror, quod Geographorum Dictator, qui vel parva Opida, Inſulaſque obſcuri nominis recenſet, unam Melituſſam, utut bello cum Romanis claram, ſilentio involvit. Nimirum eam, utpote dirutam, incoliſque deſtitutam reputavit indignam, quæ deſcriberetur: tameſi pluries Dalmatiæ mentionem ille fecerit, iſtamque Regionem antea incultam fuiſſe, ob incolarum negligentiam, aut latrocinia, dixerit *lib.* 7. Et quidem tanta fuit ejus clades, everſioque, ut ipſam aduſque ſua tempora habitatoribus caruiſſe teſtatur Conſtantinus Porphirogenneta: necnon in præſentiarum in ea parte qua Dalmatiam ſpectat, adeo inculta ſteriliſque illa eſt, ut ne quidem ſylveſtres herbæ, ſua ſponte naſci conſuetæ, in ea proveniant, ut

(a) Nobiliſſimam, celebremque Græciæ urbem. (b) Nunc *Almaſan*, cujus veſtigia cernuntur in Agri Sonani loco, *Garray*, dicto, non longe a fontibus Durii, ut ait Morales apud Joh. Bunonem *in not. in Cluver.* (c) Pro Naſica Flaccum intelligendum eſſe cenſet Sigonius. (d) Florum 160. tantum agnoſcit. (e) Eorum peritiam in tractandis fundis commendat Adverſarius in *Notit. Melit. Dalmat.* §. 4.

ut mihi retulit teſtis oculatus, ac fide digniſſimus. Qui ergo erat illic reperire Barbaros erga Paulum, ejuſque comitatum adeo humanos; tot divites Inſulares, qui Apoſtolo, ſociiſque diſcedentibus vario commeatu, rebuſque neceſſariis inſtruxere; tot ægrotantes, quos ad priſtinam valetudinem ille revocavit; tantamque incolarum vel in agris, hyemali ac procelloſo die, frequentiam? Qui denique inveniri in ea poterat munificentiſſimus ille Publius, Melitæorum Primas, qui 276. Naufragis non ſine magno impendio triduanum præbuit hoſpitium? Inſulam incenſam, dirutam, deſertam, ſterilemque tot opibus, boniſque ſcatuiſſe cenſeas? Quilibet alter id credat; mihi autem mens Bæotica non eſt, ut quidquam tale mihi ſuadeam. Sed fortaſſe noſter Antagoniſta *Meletam* Barbarie notandam eſſe vel ex eo colligit, quod Accolis, ædibus, frugibus, opibuſque omnibus fuerit deſtituta: ſiquidem ut cecinit Naſo: *Barbaria eſt grandis habere nihil.* Ovid. Am. l 3. Eleg 7.

DISSERTATIO NONA.

Ante Naufragi Apoſtoli in Melitam adpulſum nec innocuos ſerpentes, nec theriacas fuiſſe glebas Melitenſes.

§. I. INter alia humanitatis officia, quæ Paulo, Sociiſque Naufragis Melitenſes *Barbaros* præſtitiſſe tradit Apoſtolicus Hiſtoriographus, id peculiariter recenſet, quod nempe illos imbre madidos, ac frigore obrigentes, accenſo igne, refocillare curaverint: unde factum, ut, quum ſarmentorum faſciculum flammis admoveret Apoſtolus; exitialis vipera, quæ ſarmentis erat involuta, calore irritata manum ejus percuſſit. *Barbari vero* (ille inquit) *præſtabant non modicam humanitatem nobis. Accenſa enim pyra reficiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat, & frigus. Cum congregaſſet* Act. 28. v. 2. & 3.

 autem

Digitized by Google

autem Paulus ſarmentorum aliquantam multitudinem , & impoſuiſſet ſuper ignem , vipera a calore cum proceſſiſſet , invaſit manum ejus . Thaumaturgus vero Gentium Doctor ,
Act.28. v.5. & 6. ut ille poſt paullo ſubnectit ; *excutiens beſtiam in ignem , nihil mali paſſus eſt . At illi exiſtimabant eum in tumorem convertendum , & ſubito caſurum , & mori .* Hinc adverſus nos argumentum hoc elicit noſter Antagoniſta . Inſula , in quam Paulus Naufragus enatavit , referente Luca , mortiferas alebat viperas : atqui Melita numquam , Melta vero ſemper virulentos fovit angues ; neceſſum eſt igitur fateri, quod non in Africanam , ſed in Dalmatenſem Inſulam naufragus evaſerit Apoſtolus . Recte ſapienterque ratiocinatus eſſet noſter Criticus , ni ſecundum ejus argumenti membrum claudicaret magis, quam tripes Vacerræ illius apud
Mart. l. 12. Epigr. mihi 191. Martialem grabatus . Enimvero alienum prorſus a Veritate eſt , quod Inſula noſtra exitialibus viperis numquam fuerit obnoxia . Nec unquam id nobis ſuadere ille poterit futilibus ſuis rationibus , quas ſingillatim examinemus , imo refellamus .

§. II. Contendit quidem Adverſarius , Melitenæ telluris indoli , non D. Pauli miraculo tribuendum eſſe , quod in Inſula noſtra Serpentes veneno careant , tantumque lædant morſu , ſive , ut Medicorum phraſi utar , *ſolutione continui* ; glebæque virtutem habeant alexipharmacam . Qua vero ratione id evincit ? Quamplures ille recenſet regiones , in quibus ſolius naturæ ope ſunt innocui angues , terræque theriacæ . Sed pol , ut eſt in adagio , Lunæ radiis non matureſcit botrus : nempe hoc pacto ille numquam oſtendet , quod Melita ſine Pauli beneficio eadem virtute polleat . Quandoquidem *quod uni ſolo* , (ut inquit Laurentius
In Theatr. Vit. Hum. Lit. B. Beyerlink) *naturale eſt , id alicui alteri cœlitus per merita Sancti cujuſpiam obtigiſſe , nihil a fide alienum continet . Quapropter licet particulæ terræ ex Ebuſo , aut Gaulo in Colubrariam inſulam , ſerpentium feracem , aut alio illatæ , & allatæ iiſdem exitium adferant , non recte tamen colliges , id quod uni terræ a natura conceſſum eſt , id alteri ſimiliter a natura , non a miraculo alicujus Sancti obtigiſſe . Certe pulvis pavimenti circa ſepulcrum Sancti Remigii hoc a natura inſitum non habuit , ut ſerpentes fugaret , & tamen fugavit .* Pone is allegat S. Elodoardum , qui tradit quemdam Rhemenſem ſerpentes , queis maxime moleſtabatur , a
ſuis

Digitized by Google

ſuis ædibus, non niſi per eas conſperſo pulvere, ex pavimento Eccleſiæ D. Remigii collecto, fugaviſſe atque exterminaſſe. Ita plane S. Willelmus Lauſannæ Epiſcopus angues e Lemani lacus ripa exterminavit, ut conſtat *ex Catal. Epiſcopor. Lauſann.* S. Hilarius in Gallinaria inſula ſerpentibus quemdam adſignavit limitem, quem prætergredi numquam potuerunt, ut refert Surius. In Tridentino Epiſcopatu naſcuntur quidem Scorpiones, ſed ob merita S. Vigilii Epiſcopi, ſunt veneni expertes. Toletanus Archiepiſcopatus, intercedente S. Hidelphonſo, omni virulento animante immunis eſt. Sancti Phocæ Martyris Eccleſiæ januam tangendo curantur qui a venenoſis animalibus fuerint demorſi; ut videre eſt *in Mart. Rom. ad diem 5. Martii*.

Sur. in Vit. Tom. 1.

§. III. Necnon pulverem e ſepulcro Jeremiæ Prophetæ extractum Aſpidum morſus curare, & Crocodilos fugare teſtatur S. Epiphanius apud Pompejum Sarnellium. Quocirca audiendus eſt Petrus Bogdanus, ita loquens: *Nella vita di Tafni d'Egitto, lapidato dalli Giudei, ſi dice, che li Tafnici adoprarono la polvere del ſuo ſepolcro* (nempe Jeremiæ) *contro il morſo de Serpenti: e ſino al dì d'oggi viene per tutta la Servia, e quaſi l'Oriente oſſervata l'uſanza, il primo Maggio al tamontar del Sole; la gente baſſa eſce con ſuoni per le contrade dicendo:* Jeremia u pogliu beſci ſmia u goru, *ſcongiurando le ſerpi in nome di Geremia*. Hujuſmodi ſane virtutem Sanctis Chriſtifidelibus, præſertim Apoſtolis cœlitus collatam fuiſſe Catholicorum nemo non fatetur: quidpe de ipſis ſcriptum eſt: *Serpentes tollent; & ſi quid mortiferum biberint, non eis nocebit*. Paulum autem tutum, liberumque a venenatis anguium morſibus redditum a Deo fuiſſe ab uſque tempore ſuæ Converſionis, quum ex ipſius oculis ſquamæ (ſerpes enim ſquamis teguntur) exciderunt; graphice lepideque cecinit Arator:

P. Sarnell. Ep. Tom. 5. Epiſt. 35. P. Bogdan. de Infall. Verit. Cath. Fid. Scal. 3. Serm. 7.

. . . . . . Jam tunc de corpore Pauli
Virus abeſt, oculis cum ſquameus excidit horror,
Quem ſerpens antiqua dabat, purgatus in amne
Æthereo, Chriſtique Cruci ſua membra relegans,
Neſcit ab angue mori: curat hoc quoque flamma venenum,
Quæ ſacris vim ſumit aquis, quibus uſtus anhelat.
Qui dolet ad patriam veteres remeare colonos,

§. IV. Et quidem ſi Melitenſis Soli indolem attendas; hanc Inſulam nocentiſſimis anguibus obnoxiam, non immunem eſſe fateberis. Nimirum ipſa, ut pote Africæ proxima, & Africana ipſi Adverſario dicta, ſub calidiore climate conſtituta eſt, atque ardentioribus Solis radiis exuſta. Quamobrem haud fugare ſed fovere venenoſa animantia, & maxime viperas dicenda eſt. Siquidem æſtuoſam viperarum naturam eſſe, magnamque ad Solem Sympathiam habere, proſpectumque acutiſſimum ab iſto Planeta referre tradit Aur. Severinus; fierique angues pernicioſiores ob locorum arentium ſqualorem docet Avicenna. Hinc eſt quod peſtiferos ſerpentes maxime æſtuoſis locis provenire adſeverat Celſus. Et ſicuti *Plantæ* (teſte Triverio) *non ſemper ſervant indolem ſeminum ſuorum*, ſed, ſecundum Cœli, terræque temperiem, mutant; ita & feræ beſtiæ, præſertim angues, ut aſſerit Olaus Magnus, juxta diverſas mundi regiones (a) immutantur. Propterea omnes, qui in id argumentum ſcripſere, unanimi conſenſu concludunt, Africanos ſerpentes peſſimos eſſe ac nocentiſſimos.

M. Aur. Sever. de Vip. nat c. 3 § 2. Avicenn. l. 4. fer. 6. Tract. 3. c. 21. Corn. Celſ. l. 5. Triverius in Apopht. 125. Olaus Magn. in hiſt. Septen.

§. V. Hac de re audiendus eſt Athanaſius Kircherius, ſcite ac enucleate loquens hoc pacto: *Ex hiſce quoque colligitur, omnia fere mortiferorum ſerpentum venena non niſi venenificæ facultatis intenſione, vel remiſſione differre, uti ex ſymptomatis ſingulorum clare patet. Hæc autem intenſio, aut remiſſio non alio modo exurgit, niſi vel ex locis virulentis vaporationibus obnoxiis; evaporationes vero noxiæ non oriuntur, niſi ex supramemoratorum mineralium* (b) *fumis, noxiiſque halitibus mucilagini terreſtri mixtis, & halitus quidem ſubterraneus ignis intra terram exaltat, extra vero Solis æſtus conceptam ex dicta putredine miſcellam digerit, & fermentat; calor tandem fermentatam putredinem in ſerpentem animat, tanto utique pernicioſiorem, quan-*

Ath. Kirch. in Mund. Subt. Tom. 2. l. 9. Sect. 1. c. 6.

(a) Quod etiam obſervavit in Tarantulis doctiſſimus Georgius Baglivus in ſuis *Oper. Medico-Pract. Diſſert. 6 c. 5.* ubi ait, non quolibet anni tempore, nec in quavis regione præſens venenum habere Tarantulas, ſed ſolummodo in Apulia, & quidem æſtivo tempore, ac maxime quum Canicula terram exurat. In Melita ſane reperiuntur hæ beſtiolæ, nocentque morſu, tamen ea ſymptomata, quæ alibi, non afferunt.

(b) Inſula quidem noſtra minime carebat Metallorum ſodinis, ut ex Abela didicit, ac fatetur noſter Adverſator.

Digitized by Google

quanto putredinis miſcella fuerit calore Solis magis aduſta. Unde in locis Zonæ torridæ ſubjectis, aut eidem vicinis, uti in India, Arabia, Africa, America, uti regiones fumis mineralibus magis obnoxiæ ſunt, ita quoque ſerpentes multis paraſangis virulentiores, & prodigioſoribus proprietatibus imbuti reperiuntur, quam in partibus Septentrioni ſuppoſitis . . . . Cujus quidem ratio alia non eſt, niſi Zonæ temperamentum, quod neceſſario ſequuntur Serpentes, qui ſub ea naſcuntur: quo enim ardentius eſt Cœlum, eo venefica animalia majoris, ob aduſtionem, efficaciæ ſunt &c. Huc uſque Kircherins, cui conſentiunt plures Naturæ Inveſtigatores a nobis paullo infra allegandi: & præ aliis M. A. Severinus *in Vip. Pyth.*

§. VI. Porro hujus rei veritas clarior eſt, quam ut rationibus, ac teſtimoniis probari egeat. Quippe in omni Africæ tractu nocentiores, quam in aliis regionibus, gigni ſerpentes, ipſoſque vel ſolo afflatu præſens lethum afferre teſtantur Scriptores, ut animadvertit Alexander ab Alexandro. Profecto in hac regione, referente Solino, repe- Alex. ab Alex. Dier. Gen. l. 2. c. 17. riuntur mirandæ illæ Ceraſtæ, quadrigeminis corniculis inſtructæ, quorum oſtentatione, veluti quadam eſca, aves alliciunt, allectaſque, ac properantes interimunt. In ipſa naſcuntur bicipites Amphisbœnæ, terribiles violenta pernicitate Jaculi, fulgentes tergi varietate Scytalæ *(a)*, plures Aſpidum ſpecies, Dipſades ſiti enecantes, Hypnales *(b)* mortalem ſomnum afferentes, nec non Hammoditæ, Cherſydri *(c)* Elephantiæ, Dracones, ac Sepes ictu adeo peſtifero vulnerantes, ut ipſum putredo illico ſequatur; & omiſſis aliis pernicioſiſſimis anguibus, *ſingulare* illud *in terris ma-*

(a) Hæ ſerpentes reptando pigriores quum ſint, quos aſſequi non poſſunt, *miraculo ſui capiunt ſtupentes*. Ex earum ſpecie fuiſſe illam, quæ incautam Hevam decepit, mortemque cum omnigenis malis in terram introduxit; aſſerit Joh. Rho *Hexam. Orat.* 42 (b) Ejus ſpeciei, ſecundum quoſdam, fuit ſerpens, quam Cleopatra mortem affectans pectori admovit. Sed Auctor *lib. de Theriaca ad Piſonem* ait, illam ſuper vulnus, aut morſum brachio ſuo a ſe met inflictum ſtillaviſſe aſpideum venenum, quod ad ejuſmodi uſum in pyxidula conſervabat. Dio autem narrat, eam vulneraſſe brachium ſuum acu venenata, quam crinibus ornamenti cauſſa infigere conſueverat. (c) *Locorum commutatio ſola facit, ut ex Hydro ſimplici voce, Cherſydri compoſitum nomen induat novum, ut Scholiaſtes Nicandri decepit*: inquit Severinus *de Vip. Nat. c.* 3. §. 4.

Digitized by Google

malum Baſiliſcus (*a*) qui vel extinctus pollet vi fugandi araneas, aliteſque a locis, in quibus fuerit ſuſpenſus. Quapropter recte adſeverat idem Scriptor, quod *mali hujus* (nempe venenatorum anguium fœcunditatis) *merito Africæ potiſſimum palma detur*. Et quidem ubi nam gentium viſus unquam fuit ſerpens illi ſimilis, quem ad Bagradæ (fluminis Africæ minoris) ripam Attilius Regulus primo bello Punico, non ſine bellicis machinis multaque militum ſuorum cæde, interemit? Tantæ illum magnitudinis fuiſſe teſtantur Polybius, Plinius, Valerius Max. Tubero apud Gellium. Oroſius, ac Stæflerus, ut ejus corium, exinde Romam translatum, 120. pedum longitudinem habere compertum eſſet.

Polyb. l. 1. Plin. l. 8. c. 14. Val M. l. 1. c. 8. Gell. l. 6. c. 3. Oroſ. l. 4. Stæfl. in Procl. Diad. Sphær.

§. VII. In frigidis autem regionibus, ut ſunt quæ Septemtrioni ſubjacent, ſerpentes vel innoxii ſunt, vel nulli, ut aſſerit Hieronymus Cardanus, qui angues in Britannia ob frigus immoderatum generari non poſſe adſeverat. Cui conſonat Albertus Magnus his verbis: *Serpentes in inſula Hberniarum non vivunt, quia tanta eſt frigiditas ejus, quod cum pauci ſint, vel nullius ſanguinis, congelatur humiditas eorum*. Quod etiam de Noricarum Alpium Scorpiis affirmavit Scaliger apud prælaudatum Severinum, cauſſamque ita reddidit: *Regionis ejus humiditas ſcorpionum venenum maxime hebetat, & ad homines contaminandos ineptum reddit*. Tanta quidem & aeris ſeu climatis vis, ut, atteſtante Grevino, Dracones ſuapte natura minime exitiales, tales efficiantur ob locum, quem incolunt, eoſque, ut canit Lucanus, *peſtiferos ardens facit Africa*. Ipſi autem Baſiliſci invicto veneno obnoxii, temperantur, ſi modo non in Africanis, aduſtiſque regionibus nidulentur, ut affirmat Levinus Lemnius. Profecto recte ſentiunt duo illi Medicorum Di-

Cardan. de Subtil. lib. 10.

Albert. M. l. 25. de Anim. Char. 202. col. 1.

Jul. Cæſ. Scalig. Exer. ad Card. Subtil. 198. §. 5.

Grevin. ap. Severin. de Vip. nat. c. 9. §. 5.

Lucan. lib. 9.

Lev. Lemn. l. 4. de Occult. nat. mirac. c. 12.

Hippocr. in lib. de aer. aq. & loc. Galen. lib. quod Opt. Med. &c.

(a) In gratiam eruditi Lectoris heic adſcribam verba, queis Baſiliſcum graphice deſcribit Solinus. *Serpens eſt pene ad ſemipedem longitudinis, alba quaſi mitrula, lineatus caput, nec hominum tantum, vel aliorum animantium exitus datur, ſed terræ quoque ipſius, quam polluit, & exurit, & ubicumque ferale ſortitus receptaculum. Denique extinguit herbas, necat arbores ipſas, etiam corrumpit auras, itaut in aera nulla alitum impune tranſvolet, infecta ſpiritu peſtilenti. Cum movetur, media corporis parte ſerpit, media arduus eſt, & excelſus. Sibilum ejus etiam ſerpentes alii perhorreſcunt. Et cum acceperint fugam, quaque quoque poſſunt properant. Quidquid morſu ejus occiditur, non depaſcitur fera, non attrectat ales. Muſtelis tantum vincitur, quas illuc homines inferunt cavernis, in quibus deliteſcit.*

Digitized by Google

Dictatores, quum aeris & locorum naturas, ac differentias Medico obſervandas eſſe doceant.

§. VIII. Prætereo, in hac Inſula reperiri nocentia animalcula, herbaſque virulentas; & hujuſmodi cibos valde appetere Viperas venenoſas, eiſque depaſtas nocentiores fieri, ut affirmant plures Auctores. *Serpentes diverſis nutrimentis minutarum herbarum, in quibus acriorem veneni vim cognoſcunt avidius reficiuntur*: inquit Olaus Magnus. Dracones quidem, ut auctor eſt Ælianus, *cum homini, aut feræ cuipiam inſidias facturi ſunt; mortiferas radices, atque herbas edunt: id quod Homerum quoque non latuit. Meminit enim Draconis, qui ante ſuum latibulum immoderando, ſeque volutando noxias herbas voravit*. Necnon ex formicarum (quarum magna heic copia) & Cantharidum uſu veneno diſtendi ac in rabiem agi Dracones putantur, ut adnotavit Euſtathius. Viperæ autem in arculis clauſæ, ſurfuriſque triticei farina paſtæ priſtinam malignitatem remittunt, ut aſſerit Ferdinandus Ponzettus. Quæ vero in Arabia odoratis aluntur, venenum non habent, ut refert Alexander ab Alexandro, & ante ipſum Cœlius Rhodiginus. *Ita victus* (inquit Triverius) *atque conſuetudo ſubinde mutant ipſam naturam pro locorum, & occaſionum ratione*. Quin ait Libavius, *plus eſſe in victu, quam in natura: quia dum cibus alteratur, ſimul alterat, efficiturque etiam, ut minus malum ſit, quod bono cibo nutritur, & magis etiam malum quod malo cibo nutritur. Hipp. lib. de loc. in hom. eſt enim nutritio aſſimilatio nutrientis in quod nutritur*. Hæc tamen, inquam, prætereo: novi enim, alios inſignes Scriptores huic Sententiæ reclamare. *Chimæram credo eſſe* (inquit Franciſcus Rhedius) *opinionem illorum, qui dixerunt, illum liquorem in faucibus viperæ reddi venenatum, poſito, quod refert Ariſtoteles, Pauſanias, & Auctor libri de Theriaca ad Piſonem, Viperam veſci herbis lethiferis, Scorpionibus, Cantharidibus, Bruchis, & aliis vermiculis & inſectis venenoſis. Chimæram, inquam, credo eſſe: quoniam citra repetitionem ſufficiat dicere, quod Vipera quidquid ipſa alias edat, vivit in pyxidibus octo, novem, & plures menſes ſine cibo, & tamen poſt adeo diuturnum jejunium mordendo venenat: Imo Galenus in illo Tractatu quem ſcripſit ad Pamphilianum de uſu Theriacæ, vult ipſam eſſe magis venenoſam ita famelicam, quam tunc, quando recens capta eſt: & Auctor libri*

Olaus M. in Hiſt. Septen.

Euſtath. ad Iliad. 22

Ponzett. lib. 2. de venen. c. 5.

Alex. ab Alex lib. 2. Dier. Gen. cap. 17.

Rhodig lib. 10. Lect. Antiq.

Triverius in apopht. 125.

And. Libav. in Alchym. Pharm. cap. 7.

Franc. Redi. in obſerv. de Viper.

de

de Theriaca ad Piſonem credit, *quod minus turgeat veneno poſtquam devoraverit illas Cantharides*. Quod ab ipſa experientia confirmari pone ille adſeverat. Sed pergamus diluere alias Critici noſtri oppoſitiones.

In p. 3. Diatr. 1. §. 12. §. IX. *Fugant*, (is inquit) *interimunt*, *ſerpentes : hebetant*, *profligant malignitatem toxici ſerpentini marini halitus*, *atque aſpirationes ſalinæ*, *quibus Afromelitenſium Inſula*, *ſi qua alia*, *opportuna*, *atque obnoxia eſt*. *In modicis Inſulis*, *utpote facile maritima aura*, *& evaporatione perflatis*, *& in majoribus ad nudos ſylvis margines*, *ſaloque propinquiores*, *ſi adſint ſerpentes*, *plerumque non lædunt*. Sed rogo Zoilum noſtrum; quare non item *Meleta* venenoſis anguibus immunis? Nonne & ipſa marinis evaporationibus, ſaliniſque halitibus obnoxia eſt? Nonne & ipſa parvis Inſulis accenſetur? Quidpe ille æque ac Inſula noſtra, LX. M.P. ambitu complectitur: quinimmo, quum illa, referente Petro Avitio XXX. M. P. longitudinem habeat; minus lata eſt quam noſtra, quæ dumtaxat XX. P. M. longitudine amplectitur. Si ergo noſtra Inſula majori, qua Melta, latitudine patet; & tamen, ut Adverſario placet, ſalinis particulis penetratur, mariniſque ſubjacet irrorationibus; qua ratione iiſdem obnoxia non erit Melituſſa? Recte ratiocinareris (mihi reponentem audio Adverſarium) niſi *Meleta* montibus erecta, denſiſque nemoribus præcincta eſſet; veſtra vero Inſula humilis, plana, & Sylvarum honore ſpoliata: Unde fit, ut noſtra Inſula marinis halitibus ſaliniſque evaporationibus, non ita ut veſtra, imbuatur, atque irroretur.

§. X. Hoc eſt Achilleum argumentum, quo nos Adverſarius laceſſit; verumtamen, haud ſecus ac maritima aura, de qua loquimur, evaneſcet, rationibus, quas jam afferimus. Inſula quidem noſtra, ut in ejus *Deſcriptione* aſſerebam, altis, prærupti ſque rupibus, præſertim qua ſpectat Meridiem, præcingitur: & tamen tum in hac parte, tum qua ceteros ventos reſpicit, æquoreis irrorationibus conſpergitur. Quod etiam evenire cenſendum eſt *Meletæ*, quæ ſane, ſi ex una parte, cautibus, collibuſque erigitur; ex alia tamen, fatente Adverſario, habet *leviores appulſus*, *& acclivia littora*, & marinis halitibus irrorari facile poteſt. Viperam autem Apoſtolum momordiſſe non in montanis, ſed in acclivibus, ſeu planis Melitæ locis, litori Dithalaſſo pro-

proximis, ex Lucæ narratione colligimus. Necnon Inſula noſtra arboribus olim ſcatebat, & maxime qua ſitum eſt Opidum Indigenis dictum (*a*) *Zeitun*, quæ vox eſt Arabica, oleas denotans: quippe ipſum erat oleis adeo refertum, ut ibi maxima olei copia proveniret, & in vicino portu, *Marſa SiKa ii* (*b*) nuncupato, olei eſſet emporium. Hæ, aliæque arbores a Saracenis ad ejuſdem Opidi litus exſcenſiones facere conſuetis, variaſque hujus Inſulæ partes vaſtantibus, expilatæ fuerunt.

§. XI. Quid quod nulla alia Inſula virulentis anguibus magis infeſtatur, quam Colubraria, Græcis Ὀφιοῦσα, ob ſerpentium copiam, nuncupata? Ipſa tamen ambitu, aliiſque qualitatibus ab Inſula noſtra parum differt. Sed reclamat Adverſarius, nobiſque Gaulum inſulam Melitæ proximam objicit, eamque Naturæ ope alexipharmacam eſſe, Solini auctoritate contendit: indeque de Melita idem inferre conatur. *Ecquid enim* (ait) *credere poſſis in manu* Inſp. 3 Diſſert. 1. §. 15.
reliquos digitos a natura, medium a miraculo factum eſſe? Pape! hoc me urget argumentum, fortiuſque eſt, quam ut a me dilui poſſit; ſed mihi opem affert Johannes Buno, ita loquens: *Ebuſus e regione Promontorii, quod in Sucronenſi ſinu Ferrariam vocant, ſita, ambitu ſuo C. millia* Joh. Buno in not. ad Cluver. l. 2. c. 7.
paſſuum complectitur. Opidum habet ejuſdem nominis. Huic vicina eſt inſula Colubraria Latinis, Græcis Ophiuſa, hodie Formentere dicta, ambitu habens 70. millia paſſuum, ſerpentibus venenatiſſimis infeſta. Quum vicina Ebuſus, ſeu Yvica, præter cuniculos terram, & ſegetem ſubvertentes, omnis venenati animalis ſit expers, ejuſque terra & pulvis ſerpentes fuget, quos Colubraria pariat. En qui e duabus vicinis Inſulis una, & quidem minor, ſit venenoſiſſimorum anguium feraciſſima; altera vero, utut major, venenatis beſtiis vacua. Præterea, referente Pauſania, in agro Pauſan. in Corynthiac.
Epidaurio, Meltæ proximo, gignitur genus quoddam Draconum, manſuetum, ac differens ab aliis colore; quod in reliquo Dalmatiæ tractu neutiquam reperitur. Sed quid e vicinia mutuamur quæ domi habemus? Siquidem ipſe Adverſator fatetur, in interiori Meletæ æſtuario eſſe quam- Inſp. 3. Diſſert. 1. §. 22.
dam Inſulam, quæ licet ejuſdem *majoris Inſulæ nemoroſis collibus, & horrendis ſerpentum cubilibus ambiatur, a cun-*

Ee *ctis*

(a) Oleas quidem Hiſpani ab Arabis edocti, Zeytunas vocant.
(b) Ea dicto portum Siculorum ſonat.

ſtis nibilominus venenatis anguibus reſpirat . Non eſt igitur quod miretur Adverſarius, juxta Gaulum virulentorum anguium , ut ipſe vult, naturaliter expertem , eſſe potuiſſe hanc Inſulam eorumdem feracem , quæ deinde Pauli miraculo facta fuerit ipſis immunis. Ædepol, ſi regiones venenatis animalibus vacuæ, hanc vim alexiteriam vicinis regionibus conferre poſſent ; jam nulla uſquam regio , non alexipharmaca, reperiretur: quidpe hujuſmodi prærogativa de regione in regionem, proximitatis, ut ita dixerim , jure tranſiret.

§. XII. Quod vero Gaulus ſit Alexiteria , id gratis ab
Inſp. 3. Diatr. 2. §. 18. Adverſario aſſeritur . Haud enim me movet Solini auctoritas, qui, fatente ipſo Adverſario , nonnulla ſimilis farinæ falſo affirmat: nempe in Creta inſula nullum reperiri ſerpentem ille tradit , quum tamen contrarium affirment ipſi Cretenſes, quibus magis, quam alienigenæ fides adhibenda eſt . Præterquam quod Solini locus , ab illo alle-
Plin. l. 5. c. 7. gatus, mendo videtur obnoxius : nam Plinius , cujus parum fidelis Exſcriptor Adverſatio dicitur Solinus; illud de Galathe , non de Gaulo pronunciavit . En illius verba : *Mox* (poſt Lopaduſam) *Gaulos*, *& Galata* , *cujus terra Scorpionem dirum animal Africæ necat* . Cujus Inſulæ ante
Pomp. Mel. lib. 2. c. 5. Plinium meminit Pomponius Mela . *Africam verſus* (is inquit) *Gaulos*, *Melita*, *Coſura* , *propius Italiam Galata* . Auctor vero Itinerarii Antonino tributi *Galatham* inſulam inter Sardiniam & Africam collocat.

§. XIII. Attamen , ut Adverſarium undequaque obſideamus, ita ut ne quidem fugam arripere is valeat ; demus quod Solini verba (a) *Gaulomelitæ* vere ac rite referenda ſint ; anne ideo concedere nos oportebit , quod Melita

(a) Nempe Gaolon Melitæ adjacentem. Dictio eſt Adverſarii, qui ſimiliter ***Afromelitam***, ***Philomaltenſes***, ***Pſeudothaumaſticos***, & alia hujuſmodi habet, talibus vocum compoſitionibus gaudens, quæ Comicis , ac Dithyrambicis Poematiis conveniunt . Earum inventores Græci Comici , quos æmolati ſunt Latini , ac Itali. Multa ejuſmodi habet Plautus *in Mil. Glor.* Et Redius in ſuo *Dithyramb.* Apud Athenæum *lib.* 4. legitur ſequens epigramma a quodam Hegeſandro in Sophiſtas compoſitum, quod Scaliger ita Latio donavit.

Silonicaperones, *vibriſſaſperomenti*.
Menticobarbicola, *exterebropatinæ* ;
Planipedatquelucernitui, *ſuffarcinamicti*,
Nectilavernivori, *Noctidelоſtudii* ;
Publipromoplagii, *ſubtalocaptiotrica*,
Rumigeraucupida, *Nugicanoricrepi*.

lita ante Pauli naufragium fuerit venenatis anguibus naturaliter immunis ? Nihil ſane tale colligitur ex Solini dictis: *Ex parte* (hic ait) *qua Cercyna eſt, accepimus Gaulon inſulam, in qua ſerpens neque naſcitur, neque vivit invecta. Propterea jactus ex ea quocunque gentium pulvis arcet angues, ſuperjactus illico perimit*. Heic quidem Solinus Gaulitano pulveri virtutem falſo adſcribit, qua terra pollet Melitenſis: nimirum ipſe fortaſſis audierat, quamdam Inſulam Cercynæ proximam ejuſmodi virtute præditam; & hanc eſſe Gaulum credidit; quandoquidem erat Melita, & Cercynæ propinqua, paullo ante alexiteria vi a Paulo donata. Et quidem iſte Scriptor ejuſmodi notitiam profert, tamquam nuperam, ævoque ſuo acceptam. Mecum ſentiet, qui ponderabit, Plinium, ex quo Solinus fere omnia mutuatus eſt, eam rem ſiluiſſe; nec alia, ut reor, de cauſſa, quam quod ſuis temporibus illa nondum fuerat divulgata: Siquidem ſimilem Galatæ, cujus illico poſt Gaulon meminit, prærogativam ſilentio ille non involvit. Quinimo nec ullus alius ante Solinum Scriptor de alexipharmaca Melitæ, aut Gaulos virtute mentionem fecit: utique autem qui ante ipſum ſcripſere, præſertim Pomponius Mela, qui utriuſque Inſulæ meminit, hujuſmodi prærogativam literarum monumentis mandaſſent, ſi a Mundi incunabulis huic Inſulæ indita illa eſſet. Quis enim ſuadere ſibi poſſit, quod antiqui Scriptores, qui vel minutas quaſdam, minuſque admirandas Melitenſis Soli dotes, uti Roſarum, Mellis, ac telæ præſtantiam inflatis buccis tradiderunt, notabilem vero, raramque ejuſdem alexicaciam omnino miſſam feciſſent? Hinc elici prudenter poteſt, quod iſta terræ noſtræ virtus, Solini ætate, fuerit in Italia evulgata. Solin. c. 32.

§. XIV. Neque mirum Adverſario videri debet, quod Solinus hujuſmodi alexicaciæ originem ſilentio prætermiſerit: Aut enim ſibi explorata non erat; aut, ſi explorata, reticere eam ſatius duxit, ne Chriſtianum nomen Ethnicis inviſum, extolleret, ſive quod Apoſtoli miraculo fidem adhibere noluerit. Ecquis autem demirabitur, quod Ethnicus Scriptor hujuſmodi miraculum non crediderit; ſi vel Orthodoxus, piuſque Vir, qualis eſt Adverſarius, fama ubique perſtrepente, iſtud inficiatur? Tantum autem abeſt, ut Ethnici Scriptores divinis miraculis fidem adhibuerint,

Digitized by Google

ut vel ea, quæ in ſacris Literis leguntur, in fabulas verterint. Ita ſane ipſi ex Diluvio Noe confinxere illud Deucalionis, ex terreſtri Paradiſo Elyſios campos; ex Noe Bacchum, Janumque; ex Samſone Herculem; ex Dalila Scillam; ex Moyſe Minoa: Nec non ex hiſtoria Jonæ fabulam Andromedæ, in eodem (a) Joppis loco marinæ belluæ, ut ab hac voraretur, expoſitæ; atque ex Loth uxore (b) Nioben in ſaxum verſam effinxerunt. Præterea perpetuum Veſtæ ignem illi impie conſecrarunt; quod forte adumbraverint ad illud *Levitici cap.* 6. ubi verus Deus, rerumque omnium Dominus ſacrificii legem Moyſi præſcribens, hæc inter alia ei dixit: *Ignis autem in altari ſemper ardebit .... Ignis eſt iſte perpetuus, qui numquam deficit in altari.*

Levit. 6 12. ibid. v. 13.

§. XV. Ex hactenus dictis colligere poteris, quam minus recte ii ſenſerint, qui viperas Inſulanas innoxias eſſe generatim aſſeruerunt; quandoquidem non quarumcumque Inſularum viperæ ſunt veneni expertes, ſed illæ dumtaxat, quæ Inſulas incolunt, cauſſis ejuſmodi veneni productricibus haud obnoxias. Nec minus allucinati ſunt Alexander Aphrodiſæus, & alii, qui crediderunt, ſerpentes aquæ aſperſione fugari, quum, ob ſuam frigidam, ſiccam, nervoſam, & exanguiam naturam, refrigerationem pati non valeant; nec non Ariſtoteles, qui affirmavit, ſerpentes maxime omnium animalium vini potum appetere: unde vino ad ſepes diſpoſito capi viperas quidam crediderunt. Enimvero doctiſſimus, ac experientiſſimus Franciſcus Redius obſervavit, viperas diutius vivas in aqua ſervari, quam in vino, hujuſque potum nequaquam appetere. *Non itaque erit temeritas* (is inquit) *ſi dicatur, quod deluſus ſit Albertus Magnus, eruditiſſimus Mercurialis, ſubtiliſſimus Capivaccius, & celeberrimus Zacutus, quando dicunt, vinum, in quo ſuffocata ſit vipera, eſſe ſemper peſſimum venenum & letbale, & qui bis prior deceptus fuit Ætius, & Ætio prior Dioſcorides, affirmando id non ſolum de vino illo, in quo mortuæ ſint viperæ, ſed & boc, in quod bæ*

Alexander Aphrod. Probl. 1 n. 103. ch. 704.

Ariſt. hiſt. Anim. 8. c. 4. ch. 280.

Franc. Redius in Obſerv. de viper.

(a) Licet alii cum Naſone affirment, Andromedæ caſum in India obtigiſſe.

(b) In *lib. 3. Græc. Epigr.* leguntur hi verſus, quos Cornel. a Lapide Loth uxori concinne aptavit.

Cadaver non habens ſuum ſepulcrum,
Sepulcrum non habens ſuum cadaver,
Sepulcrum tamen & cadaver intus.

hæ beſtiolæ caput, bibendi cauſſa, immerſerint. Sed non vidi (has beſtiolas) adeo cupidas hujus pretioſiſſimi liquoris, uti Ariſtoteles & Dioſcorides ipſas faciunt, nec novi quomodo urceoli vino intra ſepes abſconditi ad capiendas illas decipulæ ſint accommodatiſſimæ; quandoquidem aſſervans nonnullos cyathos (vino) plenos in iſtis ubi viperæ degebant, non ſolum numquam laſſus fui in obſervando an viderem ipſas unicam guttulam lambere, verum nihilo ſecius diligentiſſime obſervavi, an ſi non adeſſem, inde bibiſſent, tractu tamen plurimi temporis non vidi plus conſumi quam quod calidiſſimus aer ambiens potuiſſet exhaurire. Et hoc e contrario multas difficultates mihi movit ad credendum veram eſſe hiſtoriam a Galeno recenſitam lib. 2. de ſimpl. Medic. Fac. quod cum aliquando ampulla vini meſſoribus quibuſdam delata, & in campum, (loco non longe ab illis diſtante) collocata fuiſſet, ubi illi ex ea infundere in ſcyphum voluiſſent ut biberent, vidiſſent viperam irrepſiſſe & ſuffocatam fuiſſe. Propterea dico, ſi vipera potuiſſet intrare in illam ampullam, neceſſe fuiſſet, ut fuiſſet aperta; & ſi aperta fuiſſet, eadem facilitate, qua intraverat, iterum regredi potuiſſet, eadem plane ratione, qua ſæpius vidi viperas ex lagenis longiſſimi colli tam vino plenis, quam ſemiplenis, in quas incluſeram, evadere. Pone ſermonem convertens ad eventum a Galeno recenſitum, hæc ille ſubnectit quæ in rei Medicæ ſtudioſorum gratiam libenter adſcribo. *Concedatur tamen, accidiſſe hunc caſum, quod illa vipera non potuerit viam reperire qua exiret, non ob id ſequitur, neceſſe fuiſſe, ut illa tam ſubito ſuffocaretur; etenim viperæ per aliquod tempus natant in omnibus liquoribus, beneficio cujuſdam veſiculæ aeris plenæ, quam in corpore habent, non valde diſſimilem illi aliorum piſcium.*

§. XVI. Neque enim mihi arridet ratio, qua M. A. Severinus, utut in hujuſmodi argumento verſatiſſimus, ſuadere conatur, Inſulanas viperas eſſe veneni expertes. *Sed enim* (is inquit) *hic unum expediendum reſtat ad calcem problema, quod antehac a nobis ſæpe fuit conſtitutum. Inſulis quibuſque venenum abjeciſſe ſerpentes. Cujus rei cauſa cum requiritur, hanc ego continuo, doctis ingeniis memorarim;* M. A. Severin. part. 2. cap. 9. diſquiſ. 11.

quod

quod materia (a) *gignendorum malorum anguium una colluvies corruptæ ſit aquæ cum terra : cum qua colluvie conjungitur & lentus ſitus, ſuam exhalans Mephitim. Quæ bina vitia duplici tolluntur inſularium aquarum beneficio; & quod ſale digeritur natura ſeparatorio lentor, & quod fluore diluitur corruptela : interim vero diſperſa materia tota conſumitur, & aboletur. Sic nuſquam in inſulis concipitur venenata ſerpentium lues, licet ipſæ concipiantur. Verumtamen difficile fidit, quod Sicula terra tetros mittit ſerpentes, ſed nihilominus inſula vaſtior continentis eſt loco, quæ ad Auſtrum expoſita æmulatur Auſtrales venenoſorum anguium feraciſſimas. Qua equidem ratione reſolvi nodum oblatum a D. Johanne Rhodio Dano, incomparabili Latinorum principum Auctorum inſtauratore, dum apud Scribonium Largum compoſ. 171. percontatus eſt, ecquid in Sicilia plurimi fiant rabioſi canes.* Aſt, bona tanti viri pace, difficultatis nodum mihi non expedit hujuſmodi ratiocinatio. Quandoquidem nedum in Sicilia, quæ, ut is ait, ob vaſtum ſuum ambitum continenti aſſimilatur, ſed etiam in aliis multo minoribus Inſulis venenati gignuntur Serpentes. Quippe Colubraria, quæ, ut ſupra exponebam, non amplius, quam LXX. P. M. ambitu complectitur, peſſimis anguibus infeſtatur. Præter Cluverii & Bunonis auctoritates ſupra allegatas, heic advoco Pomponius Melæ teſtimonium, qui eam Inſulam *multo & malefico ſerpentium genere* ſcatere, ideoque inhabitabilem eſſe adſeverat. Quid quod Meleta, fatente noſtro Antagoniſta, exitialibus ſerpentibus obnoxia eſt? Et tamen

(a) Lacertam exiccatam viperæ gignendæ materiam eſse tradidit Ariſtoteles apud Interpretem Theocriti, & apud Pierium. Ex capillis mulierum in udo loco Solis radiis expoſitis gigni ſerpentes affirmavit Avicenna *lib. de Animal* & ex hoc Rhodiginus; quod productiores ac humidiores illi ſint. Multo autem ante iſtos ex Gorgonis capillis ortos angues commenti ſunt Poetæ; inter quos Ovidius, ita canens *Metam. 4. Gorgoneum crinem turpes mutavit in hydros.* Pythagoras vero, cui multi antiquorum conſentiunt, quod eumdem Poetam *lib. 15. Metam.* ſic ait :

Sunt qui, cum clauſa putrefacta eſt ſpina ſepulchro
Mutari credant humanas angue medullas.

Alii autem ex humanis cineribus oriri angues putant, ut Clemens in epiſtola Baldo Angelo laudata *lib. de vip.* c. 3. Ad hæc vero aſserenda ducti ii ſunt, quod ad humanam prudentiam nullum animal accedat propius ſerpente; necnon quod in Sepulcris ſæpius verſentur angues. Hominem autem, ex cujus cadavere ortus fuerit ſerpens, improbum fuiſse, lepide conjicit Volaterranus. Ante quem Ælianus dixit, hominis nequam meritam pœnam eſse, ſi pater ſerpentis efficeretur mortuus.

men parvum LX. M. P. ambitum habet: necnon illa reſpectu Siciliæ ac Melitæ Borealis eſt; Inſula vero noſtra, & Siciliæ Auſtralis eſt. Unde juremerito elicio, quod, ſi in parva Inſula, uti eſt Melta, Septemtrioni ſubjacente, naſcuntur mortiferi angues; multo magis in hac noſtra, Auſtro ſubjecta, naſci ejuſmodi ſerpentes deberent. Et quidem in hac Inſula non minus, quam in Sicilia, rabioſi fiunt canes, qui diris ſymptomatis a ſe vulneratos excruciant: præſertim anno 1725. tantam heic ſpectare fuit canum rabioſorum copiam, ut voce Præconis fuerit edictum, ut quotquot canes per vias occurrerent, perimerentur. Cur tamen & mortiferæ, ſicut in Sicilia, ſerpentes heic non proveniunt? Nonne vides, a Naufrago Apoſtolo, non a Natura, ejuſmodi prærogativam Inſulæ noſtræ eſſe inditam? Si hoc ſane non vides cœcior es Liberide.

§. XVII. Et ſi autem pro certo habeatur, quod rite ac merito controvertimus, ſcilicet in hac Inſula ſerpentes ob naturalem Soli indolem innoxias ſemper fuiſſe; nihilotamen ſecius affirmare juremerito poſſumus, quod Apoſtolus in viperam, exitiale ſibi vulnus infligentem, miraculum a Luca memoratum, heic perpetraverit. Nimirum multorum in viperæ cognitione verſatiſſimorum opinio eſt, viperas venenato morſu neminem lædere, niſi fuerint irritatæ. Revera Circulatores, qui blande, leniterque illas attrectant, earum morſibus immunes videmus. Quod expendens M. A. Severinus hæc pronunciavit: *Neque enim nocens, & nobis adverſus, ut vulgo creditur, hic anguiculus eſt. Nos profecto ſumus, qui tortiles ejus ſinus, & reptilem ejuſdem inceſſum odiſſe conſuevimus, atque ipſum amice ac dextere tractare non novimus. Marſi bene norunt, qui non incantatis verbis, non herbis, ut falſo creditum, neque ulla magia captant innoxie, ſed qui temporum, & locorum opportunitate, & manuum dexteritate ſerpentum propenſione & ingenio callent uti.* Ponè hic Scriptor enarrat, quod Gisbertus Horſtius primarius Romæ Medicus intrepide ac facile *ſecus alvi exitum adactis utrinque digitis genituram e viperis exprimebat.* Necnon Heraclides, teſte Suida, diu viperam ſibi conviventem innoxie tractavit; a qua tamen interfectus eſt, quum ipſam quadam nocte ſomniculoſus male caute preſſiſſet. Quamobrem Baldus Angelus Abbatius, Auctor, eodem Severino Judice, jampridem *receptus*, & in hac ma-

M. A. Severin. de Vip. Pyth. part. 1. c. 9. §. 7.

Bald Ang. Abbat. in Comment. de Viper.

materia *conſummatiſſimus*, ita concluſit : *Viperæ igitur venenatæ ſunt adſcititio veneno, etiam cum cibis utuntur venenoſis*.

Georg. Diſſert. 6. cap. 15.

§. XVIII. Audiendus eſt quoque Cl. Georgius Baglivus, qui in *Operibus ſuis Medico-Practicis* hanc rem ſcite exponit : *Communiter* (ipſe inquit) *credunt, viperam non mordere, niſi irritatam, prout in Circumforaneis obſervamus, qui a morſibus illarum immunes ſunt, propterea quod dexterrime, & ſine vi eaſdem tractant. Super hoc aſſertum fundata eſt opinio Domini Charas de veneno viperæ, putantis nullum in ea venenum latere, ſed totam veneni vim conſiſtere in ſpiritibus viperæ inflammatis, & excandeſcentibus ob vim eidem illatam; ſpirituſque ita inflammati, ac in virulentam indolem exaltati, dum animalium humoribus inſeruntur, univerſam illam funeſtam Symptomatum procellam confeſtim producunt*. Quam bene iis quæ D. Lucas tradit, aptari hæc poſſit opinio, facile agnoſces; ſi advertas, Melitenſem viperam Pauli manum haud momordiſſe, niſi (*a*) calore ignis irritatam. En Sacri Hiſtoriographi verba : *Cum congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera a calore cum proceſſiſſet, invaſit manum ejus*. Et quidem quod majus irritamentum habere ea poterat vipera quam imminens periculum incidendi in voraces flammas, præſentiſſimam necem minitantes? Rite ideo circumſtantes *Barbari*, qui non ſemel mortiferos Viperarum, ſimili, aliove modo irritatarum, morſus, ac mira iſtorum ſymptomata adverterint; Apoſtolo repentinum tumorem, interitumque ominabantur.

§. XIX. Ejuſmodi irritamenta ſerpentes reddere nocentiores advertit Papinius Statius; licet eas haud vacuas veneno, ſed hoc in ipſis latere, perque agitationem, ſeu irritationem aliquam provocari cenſeat : Quippe *Theb*. 2. ipſe deſcribit ſerpentem, quæ, quum jacto lapide fuerit irritata, diuturnaque ſiti exagitata, abditum venenum accivit. En ejus verſiculos:

Ja-

(a) *Serpentes omnes natura frigidi ſunt, nec niſi cum caleſcunt, feriunt :* inquit Scholiaſtes Solini, *cap*. 40. Huc collimare videtur Politianus in *Nutric*. quum dicat, Ampydicem quemdam fuiſse interfectum a Libyca Vipera, *fatiſero fauces accenſa veneno*.

. . . . Jacto velut aſpera ſaxo
Cominus erigitur ſerpens, cui ſubter inanet
Longa ſitis latebras, totoſque agitata per artus
Convocat in fauces, & ſquammea corda venenum.

Tametſi nec fauces, neque cor viperæ, neque, ut alii putarunt, cauda, ſunt ſedes ipſius veneni. Siquidem prælaudatus Redius docet, in vipera *venenum aliud non dari, niſi illum liquorem, qui palatum humectat, & in vaginis dentes operientibus, reſtagnat, non ex veſica fellea eo tranſmiſſum, ſed generatum, in univerſo capite, & derivatum fortaſſe ad vaginas per quoſdam ductus ſalivales, quos forte caput illis communicat*. Ejuſmodi autem venenum vulneri a vipera illato communicari aſſerit Valliſnerius hoc pacto: Nempe craſſior pars ſubflavi illius humoris (ſimilis in ſpeciem oleo amygdalarum dulcium) guttatim effluit juxta exteriorem viperini dentis corticem; pars vero ſubtilior & acrior intrat per quædam parvula foramina lateralia, ad ejuſdem radices poſita, (cujuſmodi foramina quatuor ſe obſervaſſe is ait, duo ad radices, duo alia ſub mediam dentis partem verſus ejuſdem extremitatem, quæ ſolida, plena, ac reſiſtens eſt; quum reliqua dentis pars concava ſit, eoque modo perforata) & velociter illabens per ipſius cavum, ſcaturit per jam dicta foramina lateralia, extremitati proxima; indeque ſeſe vulneri inſinuat, mortemque ſimul intrudit. Valliſner. in Ep. ad D. Ign. Georg.

§. XX. Sed ut eo revertamur, unde digreſſa eſt oratio noſtra; non ſolum reptilia, ſed etiam animalia ferocia miteſcunt, ſi blande, leniterque tractentur. *Tum demum opinor* (inquit Philo Judæus) *Leones, Urſos, Pardos, & Indicos Elephantos, atque Tigrides, ceteraque invicti roboris a ſolitario victu tranſitura ad ſociabilem paulatim depoſita ferocia*. Quid autem auctoritatibus opus eſt, ubi hoc per experientiam novimus? Siquidem hujuſmodi Feras impune tractari ſæpe ſæpius videmus: &, ne a longinquo petamus exempla; dum iſta ſcribo, heic verſatur quoddam mancipium, per vias Urſum conducens, qui, eo quoddam cruſma (a) pulſante, & patria lingua canente, choreas, alioſque ludos agit, ejuſque juſſis obtemperat; hiſque peractis, erectus, pedibuſque anterioribus heri ſui galerum tenens, mercedem a Spectatoribus poſtulat. Tantum quidem Phil. Jud. l. de Præm. & Pœn.

(a) Tinnulum quoddam crepitaculum, Ægyptiis olim, maxime in Sacris Iſidis uſitatum; necnon Hiſpanis; unde *Bætica cruſmata* dixit Martialis.

Digitized by Google

dem præſtat conſuetudo: Illud vero mihi mirandum videtur quod refert Alexander ab Alexandro, nempe *in Altenio Cariæ monte Scorpiones Advenis innocuos eſſe, Incolis vero pernicioſos & infeſtos*. Quod ſane, ſi a veritate non abhorret, a cauſſa procedit occultiore, quam ut a me detegi poſſit *(a)*.

Alexand. ab Alex. Dier. Gen. l. 2. c. 17.

§. XXI. Quid vero quod vel aves innocuæ fiunt venenoſæ, quum irritentur? Equidem apud Hieronymum Feyſoo fertur, Anno 1719. gallus gallinaceus, cum alio gallo pugnans, quemdam hominem momordiſſe, eique rabiem intuliſſe mortalem. In Chronicis autem *Patrum*, ut vocant, *Capuccinorum*, legitur, quod pugnaciſſimus gallinaceus in adventantium facies inſultabat, eoſque janua prohibebat: qui tantum furorem haud poſuit antequam accedens Seraphicus Pater, mira ſuæ ſanctimoniæ virtute, ipſum edomuerit. Quid plura? Nonne homo ipſe, ſuapte natura, veneni expers, ſi tamen fuerit vehementer iratus, venenoſam morſu rabiem infundit? Teſtatur ſane prælaudatus Scriptor, quemdam Juvenem vehementi iracundia affectum momordiſſe ſecundum manus ſuæ digitum, & haud ſecus veneno infectum fuiſſe, ac ſi eum rabioſus canis momordiſſet. Sed hac de re Medicum audire præſtat. *Exploratum eſt* (inquit ſupra nominatus Severinus) *ſi ludo delectatus alterum alter homo momorderit, vulnus & intutam ſalutem eſſe. Quam ego rem cum uſu medendi compererim aliquando, non gravabor in præſens huc referre. Carolo Piſacani Neapolitano adoleſcenti bene habito corpore, quum modicus ab iniquo Sodali contritus graviter inde digitus fuiſſet, nulla noſtra proviſione fieri potuit, quin accederet vulneri gangræna: quam ut curaremus & medicamentis, & chirurgia; exagitata per diras febres, perque longos labores vita vix tandem ſervata eſt*. Quales & alios caſus collegis noſtris obſervatos audio.

Hier. Feyſoo in Theatr. Critic. tom. 2. ſerm. 2 §. 8.

M. A. Sever. in Vip. Pyth. part. 3. c. 9.

§. XXII. Neque vero deeſt ulterior ratio, qua evincatur, Viperarum venenum eſſe adſcititium. Etenim quæ ſunt animantibus a natura indita, ſunt toti ſpeciei communia; neque uſu, aut conſuetudine, ſeu locorum cultu, aut varietate poſſunt immutari. Si ergo viperis a natura inſita eſſet proprietas nocendi venenatis morſibus; utique

quæ-

(a) Mihi enim non arridet ratio Severini, qui ex Ariſtotele id refert, eumque montem vocat *Latinum*. Cluverius autem inter Cariæ montes nec *Altenium*, nec *Latinum*, ſed Latmum recenſet.

quælibet viperæ, ubicumque gentium veneno eſſent obnoxiæ. Atqui eas inter ſe differre, earumque indolem immutari ſecundum locorum cultum, aut conſuetudinem, aut ipſas attrectantium dexteritatem, tum rationibus tum auctoritatibus ſupra oſtendi; neceſſum eſt igitur fateri, eas haud naturaliter eſſe venenoſas: ſicuti neque naturaliter ſunt venenati mures, aut equi; licet, referente Plinio, mus araneus in Italia ſit venenoſus; & equi in Græcia, quum quamdam pravæ qualitatis herbam comedant, fiunt rabioſi.

§. XXIII. Tametſi non inficior, Cl. Franciſcum Redium, alioſque, ſi qui ſint, *(a)* Machaonas, iſti ſententiæ refragari. Quod ſi noſter Antagoniſta potius his, quam illam ſententiam tuentibus conſentire velit; haud ei pervicaciter obluctatum ibo. Quandoquidem Inſulam noſtram cauſis venenatorum anguium productricibus, & per conſequens venenatis viperis obnoxiam eſſe, jam ſatis ſuperque demonſtravi. Hoc tamen, tamquam auctarium, addo; quod nempe, etiam ſi rurſus concedamus, Inſulam hanc virulentis ſerpentibus naturaliter immunem fuiſſe; nihilo tamen ſecius fieri facile potuit, ut Apoſtolum exitialis vipera heic momorderit. Nimirum vel e proxima Sicilia, vel aliunde evehi huc potuit ejuſmodi ſerpens: præſertim quod locus, in quo Pauli manum illa invaſit, proximus ſit *(b)* Salinarum portui, ad quem olim frequens erat navigiorum adpulſus: quæ in præſentiarum majori portui adlabuntur, propterea quod iſte ſub novam urbem, *Vallettam*, M. Magiſtri, Inſulæ Principis, ſedem, jacet; atque in ipſius litore poſita ſunt ex ordine Mercatorum promptuaria; ita ut exteris mercium vectoribus facilius commodiuſque contingat commercium. Conjectationem meam corroborat experientia, rerum Magiſtra: ſiquidem haud novum, vel inauditum eſt, quod nocentes viperæ, in advenarum Negotiatorum mercibus latentes, una cum iſtis fuerint huc invectæ, ac virulentos morſus inflixerint. Teſtis eſt Jacobus Boſius, qui non ſolum a noſtratibus, ſed etiam ab exteris habitus eſt Hiſtoriographus fide digniſſimus: Jac. Boſius Hiſt part. 3. lib. 37.

Ff 2

(a) Medicos. *Quid tibi cum Medicis? Dimitte Machaonas omnes*: inquit Martialis. Nempe Machaon fuit Medicus præſtantiſſimus, & ut Æſculapii filius habitus.

(b) Ad iſtum portum Anno 1565. cum navali claſse adpulit Garzias Toletanus Siciliæ Pro-Rex.

Digitized by Google

mus. Hic ſane refert, Anno 1565. quum exoneraretur in hoc portu Veneta Navis aſſeribus onuſta, a quodam Dominico de Martinis ducta; horribilem ſerpentem, quæ inter eos latitabat, cujuſdam Nautæ manum invaſiſſe; ideoque nonnullos adſtantes, qui eam beſtiam præſentiſſimo veneno obnoxiam eſſe noverant, exiſtimaſſe, illum ſubito animam eſſe exhalaturum. Quomodo autem ille fuerit ſervatus incolumis, poſt paullo ejuſdem Scriptoris verbis exponam. Vides ut vel e remotis regionibus Veneta navis mortiferum anguem huc invexerit, & fortaſſe Ammodytem, quem & maxime pernicioſum, & in Illyride plurimum naſci adſeverat noſter Antagoniſta! Jam colligere poteris, quot tetros angues huc evexerint tot Siculæ, atque Calabræ rates in hanc Inſulam frequentius adpellentes.

§. XXIV. Ceterum omnem dubitandi anſam nobis adimit Apoſtolicus Hiſtoriographus, qui perſpicue teſtatur, Paulum in Inſula noſtra a fatifera vipera laceſſitum, eamque in flammas excutiendo ſervatum fuiſſe indemnem, ſecus atque rebantur adſtantes Barbari, qui, ut prudenter ait Sylveira, *larga experientia deprebendebant viperæ morſum ex ſe ipſis eſſe mortiferum*. Quod animadvertens doctiſſimus Nierembergius ita ratiocinatur. *Quod interventu S. Patritii Hibernis divinitus conceſſum eſt, idem etiam obtigit Melitenſibus B. Pauli meritis. Nam ex quo vipera Sanctam illam manum invadere auſa fuit, omnia animantia venenifera venenum innoxium in illa Inſula habent; & hoc non accidere ex naturali regionis inſtitutione* (ut veterator noſter contendebat,) *ſed B. Pauli meritis, inde liquidum fit, quod incolæ illius inſulæ cum vidiſſent viperam ex manu S. Pauli pendentem, exiſtimarunt eum jamjam in tumorem converſum animam exhalaturum. Qua ſua expectatione cum falſi fuiſſent, Deum eſſe exiſtimarunt. Signum igitur eſt, viperarum prius in Melita, ut & alibi, mortifierum morſum fuiſſe, neque mutationem viperæ & aliorum alteri quam S. Paulo adſcribi debere*. Neque vero audiendus eſt noſter Zoilus, quum hoc miraculum ab Apoſtolo fuiſſe *in Meleta* perpetratum dictitet. Siquidem ſpirante vento a Luca deſcripto Paulinam navem illuc adpellere nequiviſſe, jam ſatis ſuperque in Differt. 7. planum fecimus. Præterquam quod Barbaros, qui, referente Sacro Evangeliſta, tale porten-

Sylveir. in Act c.28. q. 5.

Joh. Euſeb. Nieremb. de Mirac. natur. in Europ. l. 2. c. 64.

rentum a dmirati ſunt, in ea Inſula, tunc incolis deſtituta, reperiri non potuiſſe, *ſuperiore Diſſertatione* demonſtravi.

§. XXV. Reliquum eſt modo, ut quaſdam alias Critici noſtri allucinationes ob Lectoris oculos ponamus. Autumat quidem ille, viperam, quæ Pauli manum invaſit, (*a*) Ammodytem fuiſſe; qui nempe in Illyride, præſertim
in Meleta, plurimis naſcitur: eumque ex Ætio ita deſcri- Ætius l. 13.
bit: *Ammodytes latiores maxillas, quam vipera babet, cum-* c. 25.
que in multis alias ei ſimilis ſit, colore magis diſcerni poteſt;
vipera enim ſubflava eſt. Pone ille ex Jonſtono hæc ſubne- Jonſton. l. 1.
ctit: *Eſt igitur fera bæc viperæ perquam ſimilis*. Ex qui- tit. 2. c. 1. art.
bus perſpicitur, Ammodytem haud eſſe viperam, ſed an- 2.
guem viperæ ſimilem: enimvero ſimile, ut ajunt Philologi, non eſt idem: Præſertim quod ille diſctiminetur a vipera nedum colore, ſed etiam majori maxillarum latitudine, magiſque horrenda oris in feriendo expanſione. Serpentes autem & viperæ inter ſe ita differunt, ut ſerpen-
tes, teſte Ariſtotele, ova tantum pariant, vipera una ani- Ariſt. hiſt.
mal gignit. Quocirca prælaudatus Redius, in viperæ co- anim. 1. c. 1.
gnitione experientiſſimus, exponens Galeni opinionem, char. 16.
cenſentis, *non debere in compoſitionem Theriacæ ingredi car-* Franc. Redi loc. ſupra
nes viperarum gravidarum; aſſerit hoc eſſe intelligendum cit.
de illis, quæ in utero habent viperillas ovis adhærentes. Quo igitur pacto Lucas, cujus prudentiam, loquendi proprietatem, omnigenamque eruditionem toties in nos exaltat Adverſarius; quo, inquam, pacto ille palumbem pro columba, nempe Ammodytem pro vipera uſurpaſſe dicatur? Numne Scriptorem tanta eruditione, ac Linguarum, & maxime Græcanicæ, peritia inſtructum latuiſſe credendum eſt proprium, Græcumque Serpentis illius nomen, quum ille non ſolum Græcis innoteſcat, & Αμμωδυτης dicatur, ſed etiam Arabibus, quorum linguam *Barbari* Melitenſes callebant, notus ſit, & ab ipſis *Ammodutes* vocetur?

§. XXVI. Inſuper ex ejuſdem Lucæ verbis colligitut, viperam, quæ Apoſtolum momordit, fuiſſe ex earum ſpecie, quarum morſus, parva interpoſita mora, interficiunt: ſiquidem *Barbari* illi exiſtimarunt, Paulum ab illa vipera vul-

(a) Ammodytes eſt etiam piſcis, Anglice *Sandil*, ut ait Muſarum Delicium Parthenius Jannetaſius in *ſuis Halieuticis*.

Digitized by Google

vulneratum *ſubito caſurum & mori*. De hujuſmodi viperis præſentaneam necem afferentibus loquitur Gaſpar Rejes
Gaſp. Rejes Fran. Quæſt. 96 n. 5. Francus in ſuo *Elyſio jucundarum quæſtionum campo*, ubi hæc habet: *Quandoquidem hominem a viperæ ictu trium horarum ſpatio vitam cum morte commutaſſe ſe vidiſſe ſcribit Braſſavola* 4. *aph.* 62. *quod adhuc parum videbitur, ſi cum illo conferatur, quod ex Pauſania refert Ælianus, hominem vidiſſe ab impetu inſequentis viperæ fugientem, ac propterea arborem celerrime conſcendentem, ad quam vipera accedens peſtilentem adeo halitum efflavit, ut hominem illico peremptum dejecerit* &c. Tali virulentia pollere debebant Melitenſes Viperæ, ſi Paulo ab una ex illis demorſo adeo præſentem interitum ominabantur Barbari illi Ruricolæ peſtiferi earumdem veneni haud ignari. Ab Ammodyte vero Dalmatenſi vulneratus, & forte pluribus ictibus, canis, fatente Adverſario, non ante ſequentem diem perivit. Unde etiam elicitur, viperam, a Luca memoratam, non fuiſſe Dalmatenſem Ammodytem, ut vigilans ſomniavit Adverſator: qui, ut hunc ſcopulum evitaret; dixit τὸ ἄφνω in Lucæ contextu potius *properantiam interitus, vel* ἀπροσδοκίαν *extemporalitatem*, ſeu mortem *ex inſperato contingentem* deſignare: quandoquidem, ubi vulgata reddit, *ſubito caſurum, & mori*; ille in Autographi ſui *ad verbum* translatione habet, *cadere repente mortuum*. Sed in hujuſmodi allucinationes, atque contradictiones cum *repente*, tum *inopinato* cadere ipſe conſuevit.

§. XXVII. Quid, ſi conjecturis cum noſtro Antilegonte certare, ac in ejuſmodi certamine(*) ipſum æmulari velimus? Plane dicere oportebit, Apoſtolum viperam igni, tacentibus ac mirantibus Indigenis, nequaquam in *Meleta* damnaviſſe. Nimirum ea Inſula Illyrica eſt: Illyrici autem populi, præſertim Albani, priſca ætate, ſerpentes adeo venerabantur, ut hi,
Raph. Volat. Comm. Urb. l. 25. referente Volaterrano, in Apollinis Templo Draconem colerent in memoriam ſerpentis Pythonis, a quo ſeſe prognatos credebant: & ab ipſo cibum appetente, vel recuſante, fauſta, vel infauſta cupiebant auguria. Quamobrem, ſi Paulus in Illyrica terra, adeo ſerpentibus addicta, viperam concremaſſet, haud quidem ipſum eſſe Deum, ſed Deicidam dixiſſent Indigenæ, ſerpentem Deum habentes: & for-

(*) Levioribus ſane conjecturis in nos paſſim dimicat Adverſarius, [illegible] Lectori meo oſtendi.

fortaſſis una cum vipera Apoſtolum in flammas projeciſſent. Tantum abeſt, ut eum plauſibus, ac humanitatis officiis, a Luca recenſitis, proſequuti illi eſſent. Et quidem in Theſſalia, ut literis prodidit Ariſtoteles, morte eos plectebant, qui Ciconias examinaſſent: tanto enim in honore illas habebant. Ægyptii vero, qui feles colebant, ut refert Alexander ab Alexandro; non ſolum eas occidi non ferebant, ſed etiam ſi qua felis moriebatur, in triſtitiæ, luctuſque ſignum ſupercilia eradebant. Alex. ab Alex. d. er. Gen. l.3.c.7.

§. XXVIII. Sed Antagoniſtam noſtrum, tot tantiſque rationibus obrutum, audire videor inclamantem: Ageſis, fortè ſatis deleteriam viperis Melitenis vim a Natura inſitam fuiſſe oſtendiſti: non adeo tamen felici ſucceſſu miraculoſam Meliteuſium glebarum alexicaciam propugnaſti, nec unquam propugnabis. Atque ita obmurmurans objicit nobis periclitationem ab Equite Vallisnerio, qui miſſa ad ipſum epiſtola teſtatur, ſe Meliteuſi terra, quam D. Pauli *gratiam* vocant, canem, & felem a ſerpentibus Dalmatis demorſos, infelici, ac pœnitendo eventu curaviſſe; contra quam vana, ut hic ait, de illius virtute opinio ſperare jubebat. Nos autem, qui Pauli beneficio adſcribendum eſſe demonſtravimus, quod noſtræ ſerpentes præſenti veneno careant, tantumque dente, ſive, ut Medicorum phraſi utar, *ſolutione continui*, noceant; haud ſecus ejuſdem Apoſtoli virtute, ac munere huic Inſulæ impertito, alexipharmacas eſſe glebas noſtras oſtendemus. Nec enim me movet, & ad aliter ſentiendum inducit vanum Vallisnerii tentamen: quo quidem tantum abeſt, ut mira terræ noſtræ virtus expugnetur; ut vel eodem ipſa poſſit confirmari. Etenim cœleſtia beneficia non eodem modo ſeſe habent, quo terrena & naturalia. Hæc ſane vel ad invitos, & ratione, ac pietate deſtitutis applicantur; illa vero non niſi credentibus, ac pia fiducia ſupernum auxilium implorantibus conferuntur: *prout fides patientis adjuvat, & gratia curantis aſpirat;* ſicut nos monet Arnobius. Arnob. adverſ. Gent. Quæ autem fides *patientis* a Vallisnerio adhibiti, nempe canis, & felis; quæ gratia curantis, nempe miræ glebarum noſtrarum virtutis impugnatoris?

§. XXIX. Qui plane ejuſmodi virtutem divinitus nobis conceſſam crediderunt, optatum beneficium ab Apoſtolo conſequuti ſunt, atque in dies conſequuntur. Audiendus hcic quidem eſt prælaudatus Boſius, qui *loc. ſupra cit.* ita

lo-

loquitur : *Nè qui per gloria di Dio, e per onore del Beatiſſimo Apoſtolo S. Paolo, tacer ſi debbe un notabil miracolo, che nello ſcaricar di detta Nave* (quam ſupra memoravimus) *occorſe. Ed è che nello sbarcarſi le tavole d'arzano; un ſerpente, che fra eſſe aſcoſo ſe ne ſtava; molto orribile e ſpaventoſo in vita, s' appiccò co' denti alla mano d'un marinaro. Ed eſſendo, come tutti affermavano, di mortaliſſimo (a) veleno, e de' più crudeli e pericoloſi, che ſi trovaro in quel paeſe d'onde le dette tavole condotte s'erano : il povero Marinaro ſi teneva per morto e per iſpedito. Però confortato ed ajutato eſſendo da un Malteſe (b), ch'ivi ſeco a ſcaricar quelle tavole ſi trovava; fatto il ſegno della Croce ſopra la mano, per conſiglio di quel Malteſe, ſe la coperſe, inſieme col ſerpente, tutta di quella terra di Malta, ch'ivi a caſo incontinente trovarono alla Marina, cioè di quella rocca ſpolverizata. Ed invocato avendo (c) l'ajuto di S. Paolo, ſubito il ſerpente crepò, ed egli ſano e libero rimaſe. Dal qual ſucceſſo, e dalla qual eſperienza confermata e verificata fu l'opinione, che alcuni vecchi e pratichi Malteſi avevano, che non ſolamente la terra che ſi cava dalla Grotta (d), nella quale il glorioſo Apoſtolo S. Paolo fu ripoſto e ritenuto Prigione, abbia virtù contra' ſerpenti, e contra veleni; ma che tutta la rocca di Malta per grazia ſpeciale impetratale dal detto Santo abbia la medeſima efficacia, e l' iſteſſa grazia.* Huc uſque fideliſſimus, & graviſſimus iſte Scriptor : cui conſentit eruditiſſimus Balduinus. Eat nunc noſter Impoſtor, & fidat periclitationi a Valliſnerio factæ. Quandoquidem glebæ Melitenſis virtus divinitus provenit, nec a curioſis rerum naturalium inveſtigatoribus, aut Medicis perſcrutanda eſt. Qua de re Zoilo noſtro objicere poſſem hæc Martialis verba : *Quid tibi cum Medicis? Dimitte Michaenas omnes.*

Balduin. in Hiſt. Melit. auct. l. 19. cap. 11.

§. XXX.

(a) Hinc liquet, quam temere dixerit Adverſarius, *Maltenſem glebam contra præſentanea & valentiſſima venena prorſus ignavam eſſe.* Quandoquidem hæc potis fuit curare *mortaliſſimum* morſum ſerpentis adeo truculentæ, & forte *Ammodytis*. Ea enim cum aſſeribus ex Illyrico a Veneta Nave huc devecta eſt. (b) En qui fidem præſeferunt, & qui Pauli beneficia conſequuntur! (c) Ediſce quomodo fiat periclitatio noſtræ glebæ. (d) Licet quidam majori in pretio habeant terram, quæ ex Pauli Crypta eruitur, propterea quod iſtam manſione ſua ſanctificarit Apoſtolus; tamen tota Inſula ejuſmodi virtutem ob ejus merita obtinuit; nec inde fit, ut noſtri Scriptores inter ſe pugnent, ut vult Adverſator.

§. XXX. Equidem Adverſariis noſtris obtigit, quod Nazaræis eveniſſe narrat Matthæus. Nempe hi, quum Jeſum in Synagogis docentem audirent, curioſi mirabantur, ac dicebant: *Unde huic Sapientia hæc, & virtutes? Nonne hic eſt fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joſeph, & Simon, & Judas: & Sorores ejus nonne omnes apud nos ſunt?* Ideoque Dominus mirabilibus ſuis ſignis eos neutiquam dignatus eſt: *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.* Haud ſecus de Melitenſi terra ſenſerunt Valliſnerius, ac noſter Antagoniſta. Unde (ſecum ipſi dixerunt) huic glebæ vis tanta? Nonne ipſi a parente natura inſita? Nonne Sorores ejus (a) Lemnia, Chia, Iſmuciтana, Galatenſis, Ebuſitana, Samia, Clupeana, & aliæ, ſimili virtute pollent? Ita plane iſti dixerunt in cordibus ſuis: proptereaque indigni fuere, qui virtutem glebæ noſtræ divinitus inditam experirentur; ſicut eam experti ſunt Venetus ille nauta, totque alii, præſertim Melitenſes ac Siculi, qui mira enarrant de noſtræ terræ alexicacia.

Matth. c. 13.

ibid. v. 58.

§. XXXI. Quod ſi noſter Zoilus malit audire Phyſicorum, miram hujus glebæ vim recognoſcentium, teſtimonia; ei plene ſatisfactum ibo. Profecto Valliſnerii experimento plura inſignium virorum experimenta opponere valerem. Sed ne multus ſim, pauca proferam. Joh. Baptiſta Porta inquit. *Noi non abbiamo trovato coſa più eccellente, che la terra di Malta d'ogni piccoliſſima quantità, che abbiamo poſta nella bocca delle vipere, l'ave ucciſe velociſſimamente.* Gabriel Fallopius, & Bartholomæus Maranta, aliique in re Medica præſtantiſſimi apud Aldovrandum generatim adſeverant, Melitenſem glebam Lemniæ vice *in Antidotis realibus poſſe tuto adhiberi.* Quinimo Sicilienſes Medici terram noſtram Lemniæ præferunt, ut teſtatur Rocchus Pirrus. Qua de re audiendus eſt quoque Jacobus Bonamicus, hæc ſcribens ad Abbatem Juſtinianum: *Mi ricordo averla* (noſtram glebam) *io medeſimo inteſa celebrare dall' Eccell. Medico M. Antonio Alaymo in Palermo, il quale per le eſperienze fattene, e per la ſicurezza del rimedio la preferiva alla pietra Bezoar &c.* Athanaſius autem

Joh. Bapt. Porta Mag. nat. l. 8. c. 10.

Aldovrand. de Metall. l. 2. c. 9.

Pirr. in not. Eccl Melit. n. 4 In Epiſt. memor. collect a Mich, Juſtinian. part. 2.

(a) Variæ terræ naturaliter alexiteriæ, ab Adverſario in medium allatæ, ut earum ſimilitudine Lectoribus ſuaderet, naturalem eſſe terræ noſtræ alexicaciam: Is tamen ignorat quid diſtent æra lupinis.

Kircher. Mund. Subterr. tom. I. lib. 7. c. 4.

Kircherius, qui omnes glebas alexiterias novit, de Melitenſi terra hæc pronunciavit: *Hæc terra candidiſſima eſt, & variis Sanctorum figuris ſignatur, magna in morbis quibuſcumque venenoſa qualitate infectis profligandis, non tam naturali, quam D. Pauli privilegio, & benedictione, uti pie credere licet, impertita eidem virtute pollet*. Hujuſce Scriptoris teſtimonium eo magis æſtimandum eſt, quo ipſe fatetur, ſuis manibus e Melitenſi S. Pauli Crypta immodicam terræ copiam una cum nonnullis gloſſopetris eruiſſe.

§. XXXII. Neque autem mirum videri debet, quod Vallisnerius, vir ceteroqui doctiſſimus, periclitatione a ſe facta, terræ noſtræ, tot tantiſque viris cognitæ, virtutem non recognoverit. Siquidem id vel prudentiſſimis viris evenire conſuevit, ut ipſorum experimenta rei veritati minime reſponderint. Teſtis eſt ſæpe allegatus Severinus, qui non una, ſed duabus periclitationibus a ſe diligenter factis ſibi ſuaſit, venenoſum viperæ liquorem, vulneribus illitum, ea minime veneno inficere; quandoquidem contrarium ſeſe uſu didiciſſe affirmat numquam ſatis laudatus Franciſcus Redius, cujus verba attendere operæ pretium eſt: *Sed ut ad noſtrum propoſitum redeam, valde miror quod ſapiens & optimus Senex M. A. Severinus, in cognitione viperarum verſatiſſimus* (nota) *& experientiſſimus, indubitanter dicat, quod ille liquor flavus, vulneribus illitus, ea non veneno inficiat; perſuaſus ſolis duobus experimentis, uno in criſta galli, altero in manu vulnerata cujuſdam ſui famuli: quia oportet confitêri quod tentando experimenta*:

Veræ ſæpius apparent res
Quæ dubitandi dant falſam materiam
De veris cauſis, quæ ſunt abſtruſæ.

Et ſæpius accidit quod hæ veræ cauſæ, propter quædam impedimenta ignota, aut non obſervata, non poſſint demonſtrare ſuos effectus. Poſſum quoque affirmare, me uſu didiciſſe, quod oves, canes, pulli gallinacei meo inſtinctu rabioſe demorſi a viperis, paucos ante dies in campis meridie ardentiſſimo captis, non ſint mortui; & e contra, demorſus a vipera, mortuus eſt pullus Gallinaceus, cui plagam dentibus inflictam, exſecueram, & optima diligentia curaveram, ut ille malignus liquor qui in vaginis abſconditur, excerneretur. De his omnibus pullis gallinaceis columbiniſque, quarum plagis venenum fuit affrictum, evaſit aliquando unicus, & evaſit

for-

forte, quia, quando punctura ſubtiliſſima cultelli raſorii (ſeu Scriptorii) eum ſauciavi, incidi venam majuſculam, ex qua abundanter profluente ſanguine potuit ex accidenti fieri, ut venenum ad interiora non penetraret, quin potius cum regurgitante ſanguine, tanto ſpatio, quantum capiat una vel altera hora poſt egreſſum, toxicum ex corpore fuerit propulſum.

§. XXXIII. Ita & ex aliquo accidenti, aut impedimento, ignoto, vel inobſervato, fieri potuit, ut Valliſnerii experimentum fuerit fruſtratum. Sed, ut ignota & abſtruſa prætermittam; ſi glebæ noſtræ virtutem, tamquam naturalem, & minime divinitus collatam, experiri is volebat, ipſam non extrinſecus vulneri applicare debebat, ſed intrinſecus, per os, adhibita competenti quantitate: etenim hæc gleba, ſi naturalem ejus dotem attendere velimus, haud adeo volatilibus, ut ajunt, ſalibus, aut ſpiritibus imbuta eſt, ut extrinſecus applicata violentiſſimo veneno valeat obluctari: præſertim ſi perparva ipſius quantitas, ut Adverſarios feciſſe reor, adhibeatur. Neque enim illi curationes a noſtris factas reſpicere, eademque ratione tentamen ſuum metiri debebant. Quandoquidem Noſtrates, ſicut & alii exteri, pari pietate ac fiducia prædìti, potius divinæ, quam naturali virtute fidentes, optatum conſequuntur effectum, licet hanc terram extrinſecus adhibeant. Quidquid dicant de petra Cobra, & capite viperino Auctores ab Adverſario allegati: ſiquidem me, ne haſce nugas credam, monet prudentiſſimus Redius, qui contra Abimeronem Abinzoar, alioſque Scriptores ſtatuit falſum eſſe, *quod caput viperæ jugulatæ filo ſerico carmeſino, & collo appenſum ſanitatem reſtitueret angina laborantibus; & præcaveret, ne unquam hoc ferino, & præcipiti morbo infeſtarentur*. Verumenimvero, quomodocumque ſeſe res habeat, Adverſariorum periclitatio numquam potis erit fidem derogare, vel paululum minuere pluribus experimentis in variis locis feliciter peractis, relatiſque a Scriptoribus graviſſimis, qui nobiſcum in terræ noſtræ alexicacia Paulinum beneficium recognoſcunt.

§. XXXIV. Denique id animadvertendum eſt, quod ſerpentes a Valliſnerio in periculum adhibitæ, ut ipſe fatetur in ſua Epiſtola ad noſtrum Antilegontem conſcripta, non fuere *Meletenſes*, ſed montium Dalmatenſium accolæ,

Digitized by Google

nempe tum regione, tum ſitus eminentia diverſæ, & nocentiores illis, quæ Meletam, inſulam, fatente Adverſario, nemoroſam, incolunt. Quantum vero differant montanæ viperæ a nemoralibus, nos docet Cardanus his verbis: *Fiunt deteriores viperæ, aut regione, ut in Numidia, ubi & ſerpentes ferociores ſunt, & pernicioſiores ſcorpii: ſimiliter velut montanæ nemoralibus.....* Sed quid opus eſt teſtibus, ubi vel Adverſarius id fatetur? Neque ipſe mihi reponat, *Meletam* non longe a Dalmatia diſtare: namque & Melita parum a Sicilia diſtat; & tamen ipſe contendit Melitenſes viperas numquam fuiſſe venenoſas, licet Sicilienſes exitiali toxico ſint obnoxiæ. Quod ſi autem noſter Zoilus pervicax in ſua opinione hæreat, non meos quidem promeretur, *(a)* ſed viperæ morſus, ſimilis illi, quæ Pauli manum momordit.

DISSERTATIO DECIMA.

De Melitenſibus Gloſſopetris, ac Lapillis, quos ſerpentum ocellos vocant.

§. I. HAud equidem nova eſt illorum opinio, qui Gloſſopetras, eoſque calculos, quos ſerpentum ocellos appellaut, Lamiæ, ſeu canis Carchariæ dentes, atque oculos eſſe autumarunt. Inter alios ſententiam hanc tuetur Auguſtinus Scilla, Philoſophus, ac Pictor Sicilienſis, in libello cui titulus: *Vana Speculatio*. Hunc ipſe librum edidit in reſponſum eruditiſſimæ epiſtolæ, ſibi a doctiſſimo noſtro concive Johanne Franciſco Bonamico conſcripte 5. Kal. Sept. Ann. 1668. quæ manuſcriptæ adſervatur *(b)* in Bibliotheca majoris Noſocomii Equitum Hoſpitalariorum. In qua quidem epi-

(a) Hunc jocum, paululum mordaciorem, æquo ferat animo urbaniſſimus Adverſator, qui ſimiliter ludens ominatus eſt, ut ***injiceretur in manus*** quorumdam ***Maltenſis Paulini miraculi Buccinatorum, ad centum cellas remus lentandus in unda:*** ubi nempe mali Monachi criminum ſuorum pœnas luunt. (b) Hanc Bibliothecam adornavit, & pluribus lectis voluminibus inſtruxit D. Fr. Joſeph Zammit, Medicus experientiſſimus, concivis & Amicus mihi ſemper diligendus.

epiſtola noſter Bonamicus illius Scriptoris opinioni valide obluctatur. Scyllam vero ſequutus eſt noſter Antagouiſta, & ab ipſo plura mutuatus eſt. Nos itaque Bonamici ſententiam propugnare, ac Scyllæ, noſtrique Critici opinamentum refellere, una eademque Diſſertatione conabimur.

§. II. Ut Caniculæ dentes crederet Adverſarius, Scyllæ pediſſequus, Melitenſes Gloſſopetras majores, ac denticulatas (quippe de minime crenatis nihil ille ſtatuit) inductus eſt ab earum figura, quæ, ut ipſe affirmat, ſi Lamiæ dentibus conferantur, parvum diſcrimen comperies. Medias vero, minoreſque Gloſſopetras quorumdam aliorum piſcium, maxime canum minorum dentes ille exiſtimat; propterea quod his illæ aſſimilentur. Aſt o quantum allucinatur qui ejuſmodi ſimilitudinibus ad ſtatuendas veras rerum *eſſentias* inducitur! *Gaudet namque Natura*, monente Kircherio, *hujuſmodi rerum ludibriis, & uti omnia in omnibus eſſe oſtendit, ita pro conditione ſingulis entium gradibus laborat quantum poteſt, ut ſi non ſenſum, ſaltem vitam, ſi non vitam, ſaltem figuram nudam iis ad ſuam in univerſi decoris majeſtatem atteſtandam imprimat*. Et quidem, ſi Natura tot res marinas terreſtribus ſimiles produxit, cur non & res terreſtres marinis ſimileis progenuiſſe cenſenda eſt? Quid autem, inquam, cenſenda eſt? Nonne ipſa in mari oſtentat nemora, prata, vitulos, ſerpentes, leones, alites, & pene dixerim, homines marinos? Variæ ſane herbæ in mari reperiuntur, quas fert quoque tellus; ut ſunt, Lumbricana, Lanuta, Palmifolium, Tremula, Capillaria, Forcellata; necnon multæ plantæ, ut Coralia, Frondipora, Tubularia, Porus Cervinus, Muſcus Petroſus, Retepora: *Naſcuntur etiam in mari* (inquit Bauhinus) *Fuci, qui fruticibus arboribuſve aſſimilantur: quare Theophraſtus* 4. *hiſt.* 7. *ſcribit, naſci Quercus & Abietes ſuper lapides fictiliaque radicibus carentes, ſed patellarum modo* (*nudo* habet per mendum ejus editio Baſileæ 1671.) *adhærentes &c. Ibidem & Palmæ Pelagicæ meminit. Et Plinius lib.* 13. *cap.* 25. *in alto vero Abies & Quercus cubitali altitudine; ramis earum adhærent conchæ. Quercu etiam tingi lanas tradunt: Glandem etiam quaſdam ferre in alto &c. Vitis paſſim naſcitur, ſed ficus ſine foliis rubro cortice, & palma fruticum generis: extra Herculis columnas, porri fronde naſcitur frutex & alius lauri & thymi* &c. De Feris autem marinis hæc ſcri-

Ath. Kircher. Itin. Submarin. Dial. 3. c. 1.

Gaſp. Bauhin Pinac. Theatr. Botan. l. 10. ſect. 4

Ælian. lib. 16 cap. 18. ſcripſit Ælianus: *Sunt Leonum, Arietum, Panterarum, & Equorum effigies, inſuper ſtellæ, & piſcium genera avium formas referentia*. Quid igitur eſt in cauſſa, cur miremur, quod terra viciſſim piſces foſſiles, conchylia, petraſque piſcibus, echinis, conchis; & lamiæ dentibus ſimiles producat? Audi Galliæ Demoſthenem, de hujuſmodi calculis ita Gaſſendus Phiſic. Sect. 3. loquentem. *Cum natura eadem ubique ſit, & rerum omnium ſemina ubique contineat, lapides efformat ex ſucco idoneo in mediis continentibus, referentes externa ſpecie conchas, & piſces, quos procreare eadem ſolet in medio, ac diſſito mari*.

§. III. Heic tamen reclamabit noſter Criticus, mihi hæc, aut his ſimilia objiciens: Si lapides Canis Carchariæ dentibus ſimiles a natura generantur, cur non & lapides referentes integras caniculas ab ipſa producuntur? Equidem ii Fab. Columna in Diſ. ſert. de Gloſſopetr. dentes, ut ait Columna, *fruſtra eſſent, non enim dentium uſum habere poſſunt*. Ergo-ne mi Criticule, numquam vidiſti calculos dentes, aut membrum aliquod ab aliis ſejun- Lud. Muſcard. Muſ. lib. 2. cap. 111. ctum referentes? Adi eruditiſſimum Ludovicum Muſcardum, hæc habentem: *Racconta Olao Magno nella ſua Iſtoria* (*l.* 2. *c.* 28.) *che ne' lidi del mare degli Oſtrogoti, chiamato Braſſiche, verſo Levante, là dove è un torrente rapidiſſimo, ſi trovan alcuni ſaſſi ſimiglianti a i membri umani, cioè capi, mani, piedi, diti, non uniti inſieme, ma ſeparati l'uno dall'altro, che pajono fatti da perito Arteſice. E queſti veramente è credibile, che dalla Natura per accidente ſiano formati*. Pone Scriptor iſte deſcribit ejuſmodi lapidem in agro Veronenſi repertum, a natura affabre elaboratum: idemque confirmat auctoritate Ceruti *in Muſæo Calceolario* ſimilia tradentis. Sed apprime ad rem noſtram faciunt quæ Athan. Kirch. Mund. Subt. tom. 1. l. 8. c. 4. ſpeciatim de calculis dentes referentibus ſcribit Athanaſius Kircherius, adſeverans, ſeſe propriis oculis vidiſſe in quodam cavernoſo monte, Panormo III. M. P. diſſito, nonnullos lapides, Gigantum dentes, ac humana membra inconnexa graphice referentes. Ejus verba, quum injucunda non ſint, in gratiam eruditi Lectoris heic adſcribam. *Accedit eodem tempore* (ille inquit) *ut Panormi cum Illuſtriſſimo Marchione Carolo de Vintimiglia, viro eruditiſſimo, necnon exactiſſimo Siciliæ Hiſtorico, de hujuſmodi Gigantum oſſibus, magna animi mei voluptate conferrem, eique nonnullos dentes, quos pro Gigantum dentibus mihi nonnulli Antiquarii donaverant,*

Digitized by Google

rant, oſtendiſſem; ſubriſit modeſtè dicens : putaſne Pater mi, hoſce Gigantis dentes eſſe? Ego ſubnectens, tantam me fidem iis habere, quantum amica eorum, qui eos donaverant, fides merebatur, reſpondi : is vero ſubſidens, craſtina die, ait denuo me convenias, at ego tibi monſtrabo, cujuſnam hi dentes ſint. Dictum factum, uti receperam, poſtero die virum humaniſſimum conveni, qui dixit, adſcendamus rhedam; quo facto me duxit ad locum tribus fere paſſum millibus Panormo diſſitum, quod mare dulce vocant. Erat ibidem ingens montis Promontorium; & e regione foramen prægrande, per quod in obſcura immenſi ſpecus latibula patebat aditus : deſcendamus, inquit, jam monſtrabo tibi, mi Pater, quantum natura in ſimilibus humani corporis membris effingendis poſſit, accenſiſque tedis, famulis præeuntibus, ingreſſi ſumus longiſſimi tractus antrum, & cum aliquantulum intima penetraſſemus, oſtendit mihi in ſiniſtro antri pariete longe lateque exporrectum mirum naturæ opus : Paries dentes referebat parvos, mediocres, maximos, & exceſſivæ magnitudinis, ea ſerie, qua natura maxillis animalium inſerere ſolet, infixos tanta copia, ut centum carros inde onerari poſſe facile crediderim, tanta naturalium dentium ſimilitudine, ut vix hos ab illis diſtinguere potueris; ſupra quidem candorem pelluſtrem, inferius vero radices monſtrabant acutas; omnes tamen in lapidem ſolidum converſos. Tum ecce ad me vir illuſtriſſimus, hi ſunt dentes, quos nonnulli impoſtores hinc exemptos pro gigantum, aut Elephantorum dentibus (erant enim aliqui exceſſivæ, ut dixi, magnitudinis) imperitæ plebi vendunt .... Sed non ſtetit hic mira naturæ induſtria, ulterius progreſſus, in ſubterranei cuniculi parietibus, neſcio quæ humanorum membrorum lineamenta intuiti ſumus; nunc enim tibiarum protuberant formæ, modo vertebrarum, genuumque veſtigia, nullo tamen ordinis nexu ſpectabantur.

§. VI. Pariter in Palatinatu non procul Spira ſimiles fæmori coſtiſque humanis lapides reperiri, & prope Heidelbergam Saxoniæ rotunda inſtar oſſium ſaxa cranium humanum referentia, erui teſtatur Philippus Bonannus : necnon quoſdam calculos luteos, exigui cancri pectus referentes (unde *carcini* dicuntur), in parte exteriori leves & lubricos, albiſque lineis, quæ Cancri coſtarum juncturas exprimebant, diſtinctos, ſeſe habuiſſe narrat Olaus Vormius. Quid autem Scriptorum teſtimoniis amplius inſiſto? Nonne

Phil. Bonan. in Muſ. Kirch. cla. 12.

Ol. Vorm. in Muſ. l. 2. c. 13.

paſſim

paſſim cernuntur Bucardiæ, quæ bovini cordis figuram exhibent, totque alii lapides plantarum, diverſorumque animantium membrorum figuram referentes? Profecto lapis Ciſſites refert Cameciſſi folia, Rhodites Roſam, Stilicites ſtipitem, Amigdaloides nucleum amigdalarum, Fungites fungos, Ophites ſerpentem, & alii alia, ut videre eſt apud Geſnerum, ubi recenſet lapidum figuras, & apud Ambroſinum. *Sic dracontii* (inquit Severinus) *verſicolor anguina ſpecies. Sic radix Serpentiformis* ὀφιοειδὴς *dicta: ſic lignum colubrinum: ſic cucurbita anguina, quæ exili, productoque corpore mire conflexa eſt, qualitate ſuis in hortis ſæpe ſerunt demetuntque Villici noſtri, quia ſimulacra ſunt ſerpentis, odioſa ſunt viſu. Superat autem has omnes Ophiuſa, in Elephantine Æthiopiæ naſcens herba, livida difficiliſque aſpectu, quæ terrores minæque ſerpentium ut obverſentur facit, itaut uſque mortem eo ſibi metu conſciſcant homines, ob idque cogi ſacrilegos illam ebibere, quæ verba Plinii ſunt alicubi Nat. Hiſt. prolata. Quid quod exuvias ſuas equidem non dicam, ſed unumquodque corpus teres ſeſquidodrantem, aut circiter productum; item captitulatum in ſummo, ſub calcem proportione gracileſcens; verſicolor & apte per ſpiras in plano loco diſpoſitum*, fabrefactum *denique ſic, quod ſerpentis ſpeciem modice adumbret, ſæpenumero vidimus animi puſilli homines, pueros, famellas obtutu primo concutere* &c. Quare igitur demiratur noſter Criticus, quod reperiantur lapides Lamiæ dentibus non abſimiles?

M.A.Sever. in Vip Pyth. Part. 1, c. 1. § 1.

§. V. Rectius itaque nos ei poſſumus objicere, quod ſi Gloſſopetræ vere Caniculæ dentes eſſent, nonnumquam reperiretur ejuſdem ſceleton, vel ſaltem maxillæ, quibus dentes inhærent, lapidefactæ: ſi enim tot dentes hujuſce piſcis in Melitam, aliaſque regiones advexiſſet marina illuvies, ſive univerſalis inundatio, ut vult Sylla, vel aliquis alius eventus, ut Adverſario placet; integram quoque belluam, aut ejus ſcheletrum, vel aliquam hujus partem, maxime illam, quæ dentibus conjungitur, evexiſſet. Nihil autem tale in hac Inſula; aliiſve regionibus, una cum hujuſmodi calculis eruitur: ideoque fateri neceſſum eſt, quod Gloſſopetræ nequaquam ſint Lamiæ dentes in ſaxum converſi. Quod vero innumeræ Caniculæ in magna illa inundatione perierint, parum caute aſſeritur: quandoquidem, monente Auguſtino, *univerſa quæ in aquis vivere poſſunt, Di-*

D. Aug. de Mirab. Sac. Script. lib. 1. cap. 4.

Diluvii plaga non tetigit, quæ terrena tantum mortificavit, ex ea nempe ratione quod Deus terræ maledixerit, non piſcibus, & aquæ, quoniam per aquam diluere maledictionem illam paraverat, quod in diluvio factum eſt. Aquatilia enim maledicto vindictæ non ſuccumbunt, quia in meledictionis participatione non ſunt. Scylla tamen autumat, ea tempeſtate Lamias fere omnes, alioſque piſces fuiſſe cruditate confectos, propterea quod tot cadavera aquis immerſa devoraſſent: unde factum is arbitratur, ut Melita, aliæque regiones tot Gloſſopetris, nempe illorum piſcium dentibus petrefactis, ſcateant. Cujus quidem conjecturæ pondus, ſeu verius, levitatem Lector meus dijudicet. Porro ſi ea a veritate non abhorret, jam piſces illi, ſi jocari licet, conqueri poſſent una cum miſeris illis epulonibus, qui Sodalibus ſuis poſt obitum adparentes, ſeſe a Crapula perditos eſſe dixerunt.

§. VI. Nec audiendus eſt idem Scylla, quum afferat, maxillas Canicularum dentibus connexas reperiri non poſſe; propterea quod iſtorum piſcium dentes, non maxillis, ſed cuidam membranæ ipſis ſuppoſitæ affixi ſint: quæ vero membrana tanto temporis tractu corrumpi debuerit in humidiore luto, poſtea in lapideam naturam converſo. Verumenim vero, mi Scylla, perierit, ut vis, membrana iſta corrupta; cur adſervari non potuerint maxillæ, vel iſtarum oſſa; præſertim quod perduraverint dentes, quos partim teneros, & ferme carneos te comperuiſſe, fateris? Deinde neſcin' lapidefactos eſſe integros piſces Lamiis, imo & parvis canibus multo minores ac tenelliores, ut ſunt Auratæ, & Anguillæ? Hoc perdiſce a Ludovico Muſcardo, qui *loc. cit.* hæc tradit: *Varie ſpezie di peſci, come Orada, Anguilla, & altri, i quali ſono induriti in una ſorta di pietra ſfoglioſa, che aprendoſi in quelli ſfogli, il peſce reſta ſempre la metà attaccato ad una parte, e l'altra metà attaccato all' altra: dove a queſto modo reſtando ſfeſſo il peſce per lo mezzo, ſi veggono tutte le ſpine dalla teſta ſin' alla coda.* Cui quidem Scriptori conſentiunt Athanaſius Kircherius, & Valliſnerius Adverſarii amicus, qui in epiſtola a ſe conſcripta ad D. Rotarium, inſerta operi ſuo *de Corporib. Marin.* edocet, quonam modo ſimiles piſciculi lapideſcant. Ath. Kirch. mun. Subt. tom. 1. l. 8. cap. 9.

§. VII. Præterea Inſula noſtra haud tanta vi lapidifica, ſeu ſpiritu plaſtico prædita eſt, quantum ipſi ineſſe con-

Hh ten-

tendit Adverſator: ſiquidem heic plurima alia effodiuntur, quæ licet Lamiæ dentibus aptiora fuerint aſſumendæ lapideæ naturæ, tamen priſtinam retinuere ſubſtantiam; ut præ ceteris tot Phœnicum, & Gigantum, primorum hujus Inſulæ incolarum, dentes atque oſſa, heic reperta (*a*), quæ tot ſæculorum lapſu minime petrefacta ſunt. Cur tamen heic erui numquam potuerunt vel pauci Canicularum dentes, priſtinam oſſeam naturam ſervantes, vel ſaltem præſeferentes? præſertim quod in hac Inſula tot Gloſſopetræ fuerint hactenus repertæ, quot forte dentes non habent univerſi maris Carchariæ. Inſuper ſi hujuſmodi dentes lapideſcere deberent, utique in lapidem Melitenſi argillæ ſimilem verterentur: atqui noſtræ Gloſſopetræ ab ipſa multum diſcriminantur: & cruſtam habent apprime lævigatam, & pene vitream, intus vero ex alia materie conflati videntur. Enimvero dentes cujuslibet animantis ejuſmodi diverſitatem neutiquam præſeferunt.

§ VIII. Mirari autem ſatis non poſſum, quod noſter Antagoniſta tantam virtutem plaſticam, ſeu lapidificam in Melitenſi ſolo recognoſcat, & hujuſmodi e dentibus in lapides mutationes inculcet; nihilo tamen minus Abelam noſtrum irridet, ac objurgat, quod iſte retulerit, cujuſdam in Africa vici incolas, arbores, jumenta, ſupellectilem &c. fuiſſe quadam nocte in ſaxum mutata. Porro ille deridendus eſt, quem tales eventus a graviſſimis Auctoribus relati fugerint. Equidem Johannes Aventinus, accuratiſſimus Hiſtoriographus, memoriæ prodidit, Anno 1348. Octav. Cal. Februar. circa Noricum, qua Pannoniæ (*b*), Illyridi, Dalmatiæ, Hiſtriæ, Carniſque continuatur, ingenti terræmotu urbes totas fuiſſe ſubverſas, & a duobus montibus concurrentibus, una cum agrorum tractu hauſtas ac pene devoratas: quo tempore *quinquaginta amplius homines villicæ mulgentes cum vaccis extinctæ diriguerunt, & corpora in ſalarias ſtatuas redactæ*. Quæ doctiſſimus Philippus Jacobus Sachs confirmat teſtimonio Conradi de Meidenberg inſignis Philoſophi ac Mathematici, qui ea Cancella-

Joh. Avent. in hiſt. Boj. l. 7.

Jac. Sachs in diſſert. de Mir. Lapid. natur.

(a) De iſtis dentibus, oſſibuſque loquitur Abela l. 2. not. 1. & Joh. Franc. Bonamicus *in Epiſt. cit.* (b) Adverſarius ſane quæ prope domum ſuam geſta ſunt, ignorat; & tamen in Africanarum rerum notitia præferendum ſe putat noſtro Abelæ, quem merito commendat Cl. Præſul Juſtus Fontaninus, eum accenſens egregiis Auctoribus; licet illum deſpiciat noſter Zoilus, cui tantum boni Scriptores, qui nugis ipſius opitulantur.

cellario Auſtriaco, & ſibi conſpecta adſeverat. Idem affirmat Dominus Valentinus allegans Aventinum, & Cornelium de Judæis: quorum ultimus perhibet, quondam in Tartaria plures homines, eorumque jumenta fuiſſe lapidefacta: quæ quidem Ulyſſes Aldovrandus exhibet graphice delineata. Quidam volunt eam fuiſſe Tartarorum turbam, quæ uſque in præſens ævum cernitur a viatoribus: quoniam vero hujuſmodi turba ab ipſis Tartaris vocatur *Horda*; hinc fortaſſis eſt quod Joh. Buterus ſcripſerit, in quadam Tartarorum regione appellata *Orda* plurimos Tartaros una cum ſuis armentis in lapidem fuiſſe mutatos, ut animadvertit idem Aldovrandus.

D. Valentin. in Muſ. Muſæor. tom. 2. l. 4. §. 4. Cornel. de Jud. in Tab. Aſiæ. Ulyſ. Aldovrand. in Muſ. Metall.

§. IX. Necnon in Horto Piſano cernere eſt caput hominis lapidefactum: In magnificis autem Ludoviſiorum, Principum Romanorum, ædibus homo totus petrefactus conſpicitur: in quam lapideam vivi quondam hominis ſtatuam lepide luſit Andreas Gryphius binis epigrammatis, quorum prius legitur apud prælaudatum Jacobum Sachs. Sed præ aliis audire oportet ipſum Adverſarium, affirmantem cum Mauro Orbino, *ab Auſtrali Inſulæ latere in biulco quodam ſcopulo mirum ſpectaculum cerni, oſſa videlicet mutata in lapidem, rupique concreta, antiqui cujuſdam incolæ* &c. *& alibi circa eandem Inſulam* conſpecta quandoque fuiſſe *hujuſmodi in litus ejecta, & poſt diutinum tempus in ſaxum durata naufragorum cadavera*. Mirandus vero eſt fœtus ille humanus lapidefactus, quem in Muſæo Regio-Haſnienſi deſcriptum ac delineatum refert ſupra laudatus Valentinus. Hujuſmodi fœtum in utero petrefactum 28. annorum curriculo geſſerat uxor cujuſdam Sartoris in Gallia; eumque Pariſienſis Mercator vendidit Veneto gemmarum Mercatori; & hic revendidit Friderico III. Daniæ Regi, Anno 1653. Idem Lithopœdion deſcribunt Ambr. Paræus *lib.* 25. Joh. G. SchencKius *in Lithogen. p.* 82. Mauritius Cordæus *in Comm. in Hpp. de mulieb. Spacchii cum Ginecæorum Auctoribus editus*, Aloyſius Burgoiſius *de Obſtet. Offic. pag.* 102. & Thomas Bartholinus *Cent.* 2. *Hiſt.* 100. Muſſiponti autem (a) extra Genitricis uterum in abdomine lapideſcentem infantem fuiſſe repertum ævo ſuo (hoc eſt Anno 1659.) teſtantur ſupra laudati Jacobus Sachs, & Valentinus: de

In Mel. Illyr. not. §. 10.

Muſæum Regio-Haſni. ap. Valent. in Muſ. Muſæor. t. 1. l. 3 c. 1. § 13.

(a) Muſſipontum, ſeu Pontamuſſum, vulgo *Pontamuſſon*, celebri florens Academia.

quo mirabili caſu plurium illuſtrium Medicorum judicia conquiſivit ac publici juris fecit Laurentius Straus Landgravii Haſſiæ Auliater. Eamdemque hiſtoriam Antonius Deuſingius Phyſico-Anatomica conſideratione expoſuit, & Grœningæ typis mandari curavit.

§. X. Arbores vero, reſque ligneas, ferreaſque petrefieri, nedum Scriptorum teſtimoniis, ſed etiam experientia docemur. *Certum eſt*, (inquit Kircherius) *& experientia quotidiana docet, in Tyburtinis fodinis intra ipſum ſaxorum meditullium varia inſtrumenta ferrea, clavas, palas, malleos foſſorios, quos picones vocant, ſimiliaque reperiri, quæ olim ibique relicta, & foſſa terra, ſaxorumque ramentis operta, tandem poſt multum temporis denuo cum ſaxo coaluerint.* Matthiolus autem tradit, allatum ſibi ex Lacu ramum, altera parte lapideum, altera ligneum; & in Bohemia repertas eſſe arbores in lapidem duratas, perſiſtentibus adhuc ramis, radicibus, cortice, ac medulla. Albertus vero Magnus, ut animadvertit MocKius, refert, in Danico mari juxta Lubecenſem urbem inventum fuiſſe arboris ramum cum nido & pullis, qui licet in lapidem fuerint mutati, colorem tamen ſuum retinuerunt. Quid plura? Nonne idem, quod Abela, aſſerit comprobatque Joh. Daniel Major? Iſte quidem Scriptor quamdam Barbariæ urbem totam ſubito in ſaxum converſam ævo ſuo teſtatur, cauſſamque affert ejuſmodi petrefactionis. *Noſtro ſeculo* (ipſe ait) *prope Tripolim*, (a) *in Africa, Barbariæ ibidem urbem, urbs quædam continuo in ſaxum induruit* &c. *Contigit id autem ob nimiam copiam, puritatem, & libertatem ſalis alicujus petrefici, volatilis, aut fluxi, qui maximo impetu, ac veluti procella quadam alicunde emergens, corpuſque imprimis perſpirabile inveniens continuo illud occupat, quidquid volatile in eo eſt, corripit, ſibi unit, diſcuſſiſque vel obrutis violenter ſpiritibus, potentiam omnem fermentandi adimit, atque terreſtrem corporis compagem torpidam, ſpiſſam, exhauſto ſale omni volatili, innataque ipſi ſalium fixorum vi, ſponte congelantem ac indureſcentem linquit, non ſecus atque ſanguis conti-*

Ath. Kirch. Mund. Subt. l 8. c. 9. ſect. 1.

MocKius de concret. p. 48.

Major in diſsert. de Canc. & Serp. petref. c. 4.

(a) Id quum a Circumforaneis Cairi accepiſſet Dominus Pignon Conſul General. Galliarum in Ægypto, juſſu Eminentiſſ. Cardinalis de Fleury, nuper Tripolim adivit; exindeque iter fecit ad eam urbem, aliamve petrefactam; quam tamen detegere non potuit, propterea quod immenſis arenæ ac fabulonis aggeribus operta eſſet; præter multa alia incommoda, difficultates, ac pericula.

Google

continuò concreſcit, & velut in gelatinam vel glaciem convertitur, diſcuſſis per diuturnum mœrorem, ſubitaneos interdum etiam terrores, vel alias cauſas ſpiritibus; quorum natura quidni in ſale quodam volatili conſiſtat? Atque hæc dicta ſint, ut Lector meus agnoſcat, quam ſedulo Criticus noſter notandorum, carpendorumque *Philomaltenſium* anſam aucupetur (*a*); & quam inique Abelam nimiæ credulitatis ac ſimplicitatis incuſet; quandoquidem iſte retulit rem prudentiſſimis viris exploratam.

§. XI. Sed mihi fortaſſe Adverſarius reponet: Si tam varia reperiuntur lapidefacta; cur non & Lamiæ, piſciumque armatorum dentes in ſaxum durentur? Ego vero non inficior, Caniculæ, ſive Carchariæ dentes poſſe petrefieri; tamen aſſero, veras Gloſſopetras, ut ſunt Melitenſes, eorum piſcium dentes nequaquam fuiſſe; ſed calculos ſui generis, ut ex rationibus allatis atque afferendis perſpicitur. Interim vero alia Contradictoris noſtri argumenta refellere pergamus. Ipſe quidem una cum Scylla reclamat, aitque: Cur in Inſula veſtra reperiuntur tot Gloſſopetræ diſruptæ? Numne natura res fractas ac mutilatas producit? Haud arbitramur. Sed ego peſſimis hiſce argutatoribus jam jam oſtendam, nihil repugnare quin ejuſmodi fragmenta naturaliter proveniant. Interea vero ſuſcitari eos velim, unde nam colligant, effractas Gloſſopetras a Melitenſi Solo produci? Anne ex eo, quod ipſæ ita diſruptæ heic effodiantur? Toto illi Cœlo aberrant. Etenim magis credibile eſt, eas fuiſſe olim effractas a noſtris cæmentariis, ſeu Lapicidis, ex caute lapides ad conſtruenda ædificia excidentibus, ipſaſque ita diſruptas una cum inutilibus ſaxis, minutiſque calculis, quam vocant materiam, denuo in fovea repoſitas, temporis tractu eidem terræ adglutinatas, & conglutinatas eſſe, præſertim quod ſæpenumero ſimili materia circumvolutæ illæ reperiantur. Et quidem, ſi ruptos Lamiæ dentes, mergæ, tophis rupibuſque adjungi atque adglutinari ipſi Adverſarii exiſtimant; cur non & ruptas aliquot ab hinc ſæculis Gloſſopetras idem obveniſſe fateantur?

§. XII. Verumtamen demus, quod Gloſſopetrarum fragmenta

(a) Id ſane ad Pauli Naufragium minime ſpectat, neque a noſtro Abela traditur ubi de hoc is loquitur; ſed in Epiſtola quam ad Kircherium miſit. Nobis autem id appoſite pertractandum heic fuit; ubi de rebus petrefactis nos agere oportuit. Præterquamquod Abelæ cauſſam tueri nos decuit.

menta ejuſmodi eventui haud ſint referenda; nihilominus ea naturaliter heic provenire poſſe juremerito contendimus. Et quidem eadem ratione, quam in nos afferunt Adverſarii, ſibi ſuaſit doctiſſimus Sarnellius, Gloſſopetras, conchaſque in terra generari. Quam ſane ſententiam jampridem amplexus fuit vir acerrimi ingenii Alexander Taſſonus. Ille autem cuidam Amico, una cum Scylla opinanti arenam craſſam, conchaſque in montes ac loca a mari longe diſſita tranſvectas eſſe ab univerſali illuvie, aliiſve

Pomp. Sarnell. Epiſt. Eccl. Tom. 7. Epiſt. 13.

„ inundationibus, hæc inter alia ſcripſit. Se le conchiglie lungi dal mare ſi trovaſſero perfette, ſarei del parere di V. S. ma perche ſono più toſto incoazioni della Natura, che opere perfette, mi pare più a propoſito quello che tiene il Taſſone nel libro intitolato, *Varietà de' penſieri lib. 4. c. 24.* dove dice: *Io ſono andato credendo, che le conchiglie vive, e perfette nel generare loro, non poſſano veramente naſcere, nè mantenerſi in altra parte che in mare, o negli ſtagni d'acqua ſalſa, generandoſi la carne loro di quella graſſa viſcoſità dell'acqua marina di che vogliono i Naturali, che ſi generino parimente l'Anguille; ma il guſcio e nicchio loro, tengo io che poſſa generarſi per tutto, ove ſiano arene atte a congiongerſi per l'umido* (aggiungi, e la ragion ſeminale) *e queſto mio penſiero è ſecondato dall'autorità di Ariſtotele nel quindiceſimo del quinto dell'Iſtoria degli Animali, ove egli dice*; quod conchæ, camæ, ungues, & pectines loci arenoſi ſua initia capiunt, *e più oltre*: In limo ſponte gignuntur omnia teſtacea, pro ejus varietate diverſa: In cœnoſo quidem oſtrea, in arenoſo conchæ, & alia quæ memoravimus. In rimis & ſciſſuris ſaxorum tethea, glandes, & quæ affiguntur extimæ ſuperficiei ſcopulorum, ut lepades, neritæ &c. *Quindi dunque avviene che la natura avendo in mare l'arene, e l'umido, di che ſi genera il nicchio, e la viſcoſità del mare di cui ſi genera la carne, ivi ſi fanno le conchiglie vive e perfette; ma ne' monti e negli altri luoghi arenoſi, dove non ha la materia di generar la carne, genera ſolamente i guſci, e i nicchi, che latinamente poſſono chiamarſi NATURÆ INCHOATIONES; perche manca la ſufficienza della materia da poterle finire. Nè paja ſtrano che ſi trovino eziandio nicchi delle conchiglie, che le medeſi-*

me

,, *me generarono anche i ſaſſi e i tufi, e le uniron*
,, *loro : che ſe umido ſufficiente vi ſi trovaſſe, elle* [illegible]
,, *bero ancora ritrovarſi vive, come altri animali* [illegible]
,, *vi ſi trovano*. Pone idem Auctor ex Menochio tradit, Ancone reperiri quoſdam lapides, qui, quum findantur, in ipſis reperiuntur piſces vivi non inſuavis saporis.
,, Deinde dæc ſubnectit: Ritornando adunque alle conchi-
,, glie iniziate nelle noſtre tuſare ſe ne trovano continua-
,, mente, ed ivi più dove il tufo è più fragile, ed areno-
,, ſo. Così la natura ſcherza, e in un certo modo dà vi-
,, ta e moto a' ſaſſi, comunicando loro una tal virtù ge-
,, nerativa, colla quale ſecondo le diſpoſizioni diverſe del-
,, le particelle, diverſe coſe con varie forme producono;
,, ed una virtù vegetativa, colla quale le coſe predette
,, prendono accreſcimento; come appare dalla fecondità
,, delle miniere, e preciſamente in quella di Piombino
,, nell'Iſola d'Elba, dove in venti anni ſi riempie di nuo-
,, vo, e rinaſce il ferro nella vuota miniera, come cantò
,, Virgilio:

Inſula inexhauſtis Calybum generoſa metallis.

,, E vedeſi in diverſe maſse d'altri metalli, e gemme im-
,, perfette che in moltiſſimi Muſei ſi conſervano. Lo ſteſ-
,, ſo ſi de' dire di quelle lingue, occhi, e denti di ſerpi
,, in Malta, così detti dalla ſimilitudine che con quelli
,, tengono, e ſi cavano delle pietre vive per tutta l'Iſo-
,, la, benchè in alcuni luoghi più e meno, delle quali ſe
,, ne trovano molte imperfette, e che evidentemente ſi ve-
,, de dalla diſpoſizione della pietra che ſi andavano gene-
,, rando: altre che avendo già preſo l'aumento di una
,, parte cominciano a pigliarlo dall'altra.

§. XIII. Quibus aſtipulantur Athanaſius Kircherius, & Philippus Bonannus. Atque hic adverſus eos, qui hujuſmodi conchas in mari generatas eſſe autumant, ita ratiocinatur: *Kircher. Mund. Subt. l.8.c.9. S.&. 1.*
,, Antequam quæſtionem abſolvamus, difficultas di-
,, luenda nobis eſt, quam Columna *Differt. de Gloſſopetr.* *Phil. Bonann. in Muſ Kirch. claſs. 12. 1.9.*
,, objicit Teophraſto, qui multiplicis generis oſſa in terra
,, generari credebat: *Non enim* (ille inquit) *Natura quid*
,, *fruſtra facit, vulgato inter Philoſophos axiomate. Dentes*
,, *ii fruſtra eſſent, non enim dentium uſum habere poſſunt,*
,, *ita nec Teſtarum fragmenta tegendi, ſicut hæc oſſa nullum*
,, *animal fulciendi. Dentes ſine maxilla, Teſtacea ſine ani-*

ma-

„ *mali oſſa unica in proprio elemento* (*a*) *Natura numquam* „ *fecit, quomodo in alieno nunc potuiſſe & feciſſe eſt creden-* „ *dum?* Argumento huic licet adeo impar videar, ut non „ armis me, ſed hoſtili dumtaxat riſu (*b*, & ſolo claſſico „ ſuperatum iri Adverſarius arbitretur, contradicere fas eſt, „ ut totum nihil pendendum videatur. Primum igitur illud „ adverto, multas plantas humoris defectu in ipſa genera- „ tione deficere ac mori: innumeros etiam virefcere, qui li- „ cet ad fructus ordinati a Natura, in fructus non abeunt, „ imo in ipſis calycibus areſiunt, ſicuti plurimi arborum „ fructus marceſcunt, antequam matureſcant. Satis profe- „ cto apertum eſt & pluries Naturæ ſtudia fruſtrari, cum „ animalium perfectorum loco generantur Monſtra; deinde „ miror adeo facile Columnam ſibi ſuaſiſſe vera illa oſſa „ exiſtere, quæ in terræ viſceribus efformantur. Analoga „ ſignificatione nomen illis tribuendum putaverim potius, „ ſicut oſtreorum nomina applicantur Teſtis terrigenis, ſeu „ lapidibus, quibus formæ Teſtaceorum maris repræſentan- „ tur. Quid ergo arguendum dices affirmantem terrena „ Teſtacea eſſe naturæ opus, quo marina referantur? Non- „ ne in pluribus hanc agendi Methodum exprimit, & in „ convolvulis præcipue, quæ rudimenta Plinius eleganter „ dixit naturæ *lilia facere condiſcentis*: haud impari modo, „ quo Artifices argillaceas, ſeu cereas ideas conſtituunt, „ quas ſubinde in marmore, aut metallo perficiunt, &c. „ Idem colligas de noſtris Gloſſopetris imperfectis ac mu- „ tilatis.

§. XIV. Denique noſter Antagoniſta ad Kircherii opinamentum confugit; qui, quum in Melitenſi Solo magnam calculorum, oſtrea, limaces, conchylia referentium, copiam, necnon in ſaxis noſtris fibras quaſdam irregulares obſervarit; Inſulam hanc ex arenoſo limo, mariniſque rejectamentis conflatam paulatim ſuccreviſſe autumavit. Verum enimvero Scriptor iſte, ut ut de aliis accurate ſciteque egerit, in hoc autem parum cautum ſeſe præſtitit. Quandoquidem ſimiles marinarum rerum, ſeu verius lapidum

(a) Recole quæ diximus ſupra de humanis dentibus ac oſſibus a Natura confictis, quæ tamen nec oſſium neque dentium uſum habeant.

(b) Is plane mos eſt eorum qui, ut Adverſarius, futilia commenta propugnant. Cachinnis, conviciis, verborum ſtrepitu dimicant, quum urgentibus argumentis non valeant.

dum res marinas exprimentium, quiſquiliæ vel in altiſſimis, marmoreiſque montibus, ac regionibus, quas in ipſo Mundi primordio creatas a Deo fuiſſe nemo dubitat, repe- riuntur. *In altiſſimis Theſſaliæ montibus eas eſſe Solinus narrat. In arduis Calabriæ rupibus invenit Alexander ab Alexandro, & alibi multi*: inquit præiaudatus Bonannus, refellens opinionem Calceolarii, Maffei, Columnæ, Oroſii, Imperati, aliorumque aſſerentium, illas ab univerſali diluvio in montium cacumina fuiſſe delatas.

§. XV. Fibræ vero Melitenſium cautium non omnes Horizonti parallelæ ſunt, ut paucæ illæ, in quas offendit Kircherius; ſed & multæ Polares inveniuntur, ut jampridem advertit doctiſſimus noſter Bonamicus, qui in præmemorata Epiſtola ad Auguſtinum Scyllam data hæc ſcribebat. *Nè punto mi muovono quei fili Orizontali oſſervati in queſte Rocche: imperciocchè (perdonimi pure il P. Kircherio) nè qui ſono tutti Orizontali, od irregolari, ma moltiſſimi anche paralleli all' Aſſe del Mondo; nè altrove dappertutto e ſempre ſi conformano sì eſattamente coll' Aſſe (come altri pretende) che non vi ſi oſſervi allo ſpeſſo diverſità e variazione conſiderabile. So bensì d' aver fatta, viaggiando in diverſe parti, queſta oſſervazione, che ſiccome ciaſcuna ſorta di legni ha ſempre particolar teſſitura di fibre, ed ondeggiamenti di vene, comune a tutta la ſua ſpezie, e diverſa dall' altre; così anche le Rocche di ciaſcuna contrada anno propria diſpoſizione di fiſſure, ſicchè in alcune ſieno tutte Polari, in altre tutte tirino da Levante a Ponente, ed in altre altrimenti, conforme richiede la varia lor diſpoſizione e naturalezza; e queſt' iſteſſo ſi oſſerva anche nelle varie contrade di queſte noſtre Iſole.* Hæc Bonamicus noſter, Phyſicus excellentiſſimus, ac diligens naturæ Inveſtigator, qui nedum Scriptores evolvendo, ſed & multas mundi regiones peragrando pulcherrimas rerum notitias aſſequutus eſt. Eat nunc noſter Zoilus, & ſolius Kircherii teſtimonio innixus impugnet quæ a viris in hac re conſummatiſſimis, & ab ipſa experientia docemur.

Phil. Bonann. In Muſæo Kircher. Claſs. 12. c. 9.

§. XVI. Et quidem, ſi e limo, arena, aliiſque ejectamentis a mari congeſtis emerſiſſet Inſula noſtra, haud eſſet rupibus ardua, neque cautes haberet præduras, & ferme marmoreas, ſed aſſimilaretur Ægypto infe-

riori, (*a*) Zelandiæ, Amſtelodamo, aliiſque Hollandiæ tractibus: quæ ſane loca non ſolum humilia, & æquabilia ſunt, ſed etiam adeo arenoſa, & argilloſa, ut vix in ipſis fruſtulum vivæ rupis invenias, licet foveas facias profundiſſimas. Teſtis eſt accuratiſſimus Varerius, ita loquens: *Cum Amſtelodami aliquando ad puteum faciendum effoderetur Terra uſque ad ducentorum & triginta duorum pedum profunditatem, hæ ſpecies terrarum oblatæ ſunt. Hortenſis terræ pedes ſeptem, nigræ ad ignem nutriendum aptæ, quam vocant Torff, pedes novem; argillæ mollis novem, arenæ octo, terræ quatuor, argillæ decem, terræ quatuor, arenæ ſuper qua ſolent domus Amſtelodamenſes fiſtucari, pedes decem, argillæ duo, ſabulonis albi quatuor, ſiccæ terræ quinque, arenæ marinis conchulis mixtæ quatuor, deinde fundus argillę ad centum & duorum pedum profunditatem, denique ſabulo triginta pedum & unius* &c. Quæ terrarum, argillæ, & arenæ varietates in Melitenſi ſolo deſiderantur, in quo tamen fiunt profundiſſimæ in vivis rupibus lapidicinæ, rudia marmora, & metalla effodiuntur; omneſque noſtræ cautes faciendis puteis idoneæ ſunt, in queis optimæ lymphæ, diu incorruptæ frigenteſque adſervantur.

Varer. in Geogr. univer.

§. XVII. Præterquamquod Melita, Gaulusque nulli Fluvio ſunt propinquæ, a quo emiſſis aſſidue eluviis ac retrimentis, conflari ipſæ potuerint, ut ab Acheloo Echinades, referente Plinio; a Tiberi (*b*) Inſula Tiberina, ut aſſerit Livius; a Rheno inſulæ Arboricæ, & Danimarchiæ, ut tradit Varerius; ab eodem flumine, & Moſa Hollandia; & a Nilo Ægypti inferioris pars *Delta* nuncupata, quæ Herodoto δῶρον Νείλου, ideſt *donum Nili*, dicitur. Quinimo Inſulæ noſtræ a continenti longe diſſitæ, in Mediterranei maris umbilico ſitæ, adeo procelloſis fluctuationibus, violentiſque æſtibus obnoxiæ ſunt, ut, ſi unquam ex arenoſo limo, aliiſque quiſquiliis emerſiſſent, brevi eſſent diſſolutæ. Quod ſi adhuc noſter Antagoniſta, refractarius

(a) *Zelandia nihil aliud ſonat quam terram & ſolum maritimum, a terra ac mari conflatum nomen*: inquit Mercator *in Atlant.* qui ex Levino Lemnio refert, Zelandos eos fuiſse, quos Tacitus vocat *Mattiacos*: necnon Zirizææ Zelandicarum urbium antiquiſſimæ celebrem olim portum immodica arenarum congerie obſtructum fuiſse affirmat. Quod ſane nulli noſtrorum portuum obvenit, quamquam hanc Inſulam ex arena limoque ſimul aggeſtis enatam eſse dictitent noſtri Antilegontes. (b) Vulgo *Iſola di S. Bartolomeo*: quod in hujus Apoſtoli honorem magnificum ibi Templum conſtructum ſit.

rius quum ſit, hiſce rationibus minime moveatur; ab ipſo petam: Cur non & in præſentiarum hæ Inſulæ nova limi, arenæ, concharum, & Lamiæ dentium atque oculorum acceſſione augeantur? Cur imo ipſas diminui, conteri, abradique a mari cernimus? Ubinam eſt, aut quo evolavit Spiritus ille plaſticus, quo Melitæ ſolum prægnans eſſe autumant Adverſarii? Quo aufugere tot Caniculæ beneficæ (*a*), quæ magnis dentium ſuorum acervis hanc Inſulam conflare, & accumulare conſueverint?

§. XVIII. Quod ſi quidem Inſula noſtra ita e mari emerſiſſet; hujuſcemodi eventus mentionem feciſſet ſaltem aliquis Scriptor; uti Inſularum eo modo enatarum meminere tot Auctores. Inter alios Plinius has memorat. *Clare jampridem Inſulæ, Delos, & Rhodos memorię produntur enatę. Poſtea minores ultra Melon, Anaphe: inter Lemnum & Hellespontum Nea: inter Lebedum & Teon Alone: inter Cycladas Olympiadis* 135. *anno quarto Thera & Theraſia: inter eaſdem poſt anno* 130. *Hiera, eademque Automate. Et ab ea duobus ſtadiis poſt annos* 110. *in noſtro ęvo, M. Junio Syllano, & L. Balbo Coſſ. ad* 8. *Idus Julii Thia. Ante nos & juxta Italiam inter Æolias inſulas, item juxta Cretam emerſit e mari mille quingentum paſſ. una cum calidis fontibus altera, Olympiadis* 143. *anno tertio in Thuſco ſinu, flagrans hęc violento cum flatu. Proditur quoque memorię, magnam circa illam multitudinem piſcium fluitantem, confeſtim expiraſſe quibus ex his cibus fuiſſet. Sic & Pithecuſas in Campano ſinu ferunt ortas* &c. Cujuſmodi inſulas plureis recenſet Kircherius ipſe *in ſuo mundo ſubterraneo*. Quamdam vero Inſulam temporibus noſtris, nempe Anno 1707. e Mari Ægeo mire emerſam deſcribit Vallisnerius. *A' tempi noſtri* (ait ille) *pur' è apparſa un Iſola nuova vicino a Santorino, di cui io tengo nel mio Muſeo Pietre, e Pomici, e tufi, e concrezioni tetre, e abbronzate, terra vetrificata, e ſimili produzioni d' un fuoco ſotterraneo, che con orrendi ſcoppj, e fumo,* (*a*) *e faville le inalzò ſopra il piano del Mare,*

Plinius l. 2. capp. 87. & 88.

Vallisner. l. de corp Marin. pag mihi 48.

Ii 2

(a) Sane heic raro capiuntur Caniculæ: ita ut aliquam earum maxillam dentibus inſtructam præ manibus habere non potuerim; licet eam petierim a quodam noſtro cive, cui cum Piſcatoribus conſuetudo eſt. (b) *Montem Epopon* (in Pithecuſis inſulis e mari emerſis) *cum repente flamma ex eo emicuiſſet, campeſtri æquatum planitie*, tradit Plinius *loc. cit.*

Mare, e formò un' Iſola di cui ne parlerò (b) in altro luogo, e ne fece pure menzione l' Accademia Real di Parigi, avendo io lettere del Sign. Giorgio Condilli, già mio dilettiſſimo Scolare, che poco lontano avea la ſua Patria, il quale tutto generoſamente mandommi, e fedelmente deſcriſſe &c. Vides ut Inſularum e pelago enatarum mentionem faciant æque veteres, atque Neoterici Scriptores! Quis autem eorum Melitam hujuſmodi ortum habuiſſe retulit, aut ſomniavit? Qui vero ab illis memoriæ non proderetur, ſi talis eſſet, ortus hujus Inſulæ, adeo celebris, & cujuſvis ævi Scriptoribus commendatæ? Sed fortaſſis Impoſtores noſtri crediderint, ipſam e mari emerſiſſe ætate illa antiquiore, *quando boves loquebantur, & Cœlum plures benignitates produceret, quam nunc ſolet*.

§. XIX. Ut autem redeamus ad Gloſſopetras; id quoque perpendendum eſt, quod in hac Inſula reperiuntur non ſolum magnæ Gloſſopetræ minime crenatæ, quæ Carchariæ dentibus aſſimilari nequeunt; ſed etiam multæ aliæ, quæ adeo differunt inter ſe forma, colore, magnitudine, craſſitie, pondere, duritie, ut perpaucas reperire poſſis ſibi in iis omnibus ſimiles. Et quidem aliæ ſunt candidæ, aliæ ſubobſcuræ, aliæ flaveſcentes, aliæ cinereæ, quædam roſeæ, quædam cæruleæ, nonnullæ nigri coloris, aliæ rubri, aliæ rubri nigricantis; aliæ lineatæ, & duplici colore diſtinctæ: item aliæ denticulatæ, aliæ non; hę perfectum triangulum, illę acutum prȩſeferunt; aliȩ ſummitatem habent ovalem, aliȩ acutam; aliȩ bifidȩ ſunt, aliȩ ſubnaſcenti, ut ita dixerim, proli connexȩ; aliæ inſtar flammȩ flectuntur, & aliæ inſtar arcus curvantur. Inſuper noſtræ Gloſſopetræ haud parum diſtinguuntur ab illis, quæ in Gallia, Germania, aliiſve regionibus eruuntur: non autem interſtinguerentur, ſi Lamiarum dentes eſſent: ſiquidem Meliteſes Caniculas a Gallicanis eſſe diverſas nemo adhuc compertum habuit, nec, ut arbitror, habebit.

§. XX. Quȩ quum ita ſe habeat, fateri neceſſum eſt, Meliteſes, ſicut & aliarum regionum Gloſſopetras eſſe lapi-

(a) Eam Inſulam ille accurate deſcribit *in lib. de Corp. Marin. pag.* 177. Quam vero deſcriptionem, ut pote prolixam, in gratiam brevitatis prætermitto. Curioſus autem Lector illum adeat.

lapides ſui generis, & in propriis mineris, ſeu fodinis a Natura generari, ut ſentiunt tot Clariſſimi Scriptores; præterque alios ſupra allegatos, Eminentiſſimus Ptolomæus, & Ulyſſes Aldovrandus: quorum prior ſic ait: *Creſcit (Gloſſopetra) in modum linguæ ex matrice ſua: idque quia fibras habet in longum diſpoſitas, ut truncus arboris*. Alter in ſuo Muſæo Metallico hæc ſcribit: *Aliqui monimentis mandarunt Gloſſopetras eſſe naturæ lapideæ, ſed dentes piſcium armatorum & teſtaceorum eſſe voluerunt, qui in terris poſt univerſalem inundationem remanſerunt: veluti multa Oſtreorum, & Chamarum tegumenta in montibus paſſim obſervantur. Hæc opinio prorſus eſt explodenda, quum Gloſſopetræ ſint lapides ſui generis, & proprias habeant mineras*. Quod de noſtris Gloſſopetris jampridem obſervavit Joh. Franciſcus Abela. Præterire autem non poſſum Olaum Wormium, quem impudenter non minus, quam inique in ſuam advocavit ſententiam Adverſarius, licet ille nobis conſentiat, ita loquens: *Aſt ego duum generum* (Gloſſopetras) *reperiri arbitror; unum quod ex Lamiæ dentibus petrificatis ortum trahit, quod etiam exacte eos refert (a). Alterum quod figura & colore aliquantulum diſcrepat & in mediterraneis reperitur, quod majus etiam eſt, & lapis ſui generis a Natura hac figura donatus. Invenitur variis in locis. Creber eſt in inſula Melita, ex qua aliquot teneo ſuæ terræ, ſeu mineræ adhuc incluſos. In germania prope Luneburgum in aluminoſis fodinis etiam generatur, ut & arenis prope Daventriam* &c. Quid quod ipſe Adverſarius ſententiæ noſtræ ſubſcribit, quum ſeſquicubitalem illam Gloſſopetram Geſnerianam a Natura eſſe formatam fateatur? Verumenimvero in Melita quoque reperiuntur Gloſſopetræ tantæ magnitudinis, ut Lamiæ dentes cenſeri nullatenus queant; ut teſtatur ſupralaudatus Bonamicus his verbis: *Ve ne ſono anche alcune grandi come una mano diſteſa, alla quale grandezza non sò ſe dente di Lamia ſia giunto*.

Joh. Bapt. Ptolem. in Phil. ment. & ſenſ. Diſſ. 4. de Corp. mixt. inanim. Sect. 2. §. 8.

Ulyſs. Aldovrand. lib. 4. c. 10.

Ol. Worm. in Muſ. c. 10.

§. XXI. Unde etiam perſpici poteſt, quod a Natura genitæ ſint majores noſtræ Gloſſopetræ. Si vero ita generatæ ſunt

(a) Et hic ſimilitudine ducitur. Simile autem non eſt idem.

ſunt majores, quid eſt in cauſſa, cur minores noſtras Gloſſopetras alium ac diverſum ortum habere ducamus? Ne adeo inepte ſentiamus, nos monet ipſe Adverſator urgenti illo *paradigmate : Numquid in manibus majores digitos a Natura, minores vero ab Arte, ſeu miraculo factos credere poſſimus?* Cur ergo mi Contradictor, Melitenſes Gloſſopetras partim a Natura genitas, partim Caninos dentes in ſaxum converſos credamus? Nonne omnes noſtræ Gloſſopetræ ſunt *digiti* ejuſdem manus, nempe fœtus terræ Melitenſis?

Inſp. 3. Diatr. 1. §. 25.

§. XXII. Et quidem Naturam, quæ lapides cujuſvis figuræ producere conſuevit, videlicet granatos & uniones orbicularis, Amethiſtos, & Cryſtallos piramidalis hexædricæ, Topatios cubicæ, Smaragdos dodecahedricæ, Adamantes & Rubinos Octahedricæ; decebat quoque in aliquibus aliis calculis haud contemnendam Triangularem formam exhibere: quam revera exhibuit in Gloſſopetris. Hæ ſane, ut exponebam, *creſcunt in matrice ſua, propterea quod habent fibras in longum diſpoſitas, ut truncus arboris*. Non autem creſcerent, ſi eſſent Caniculæ dentes petrefacti: ſiquidem dentibus in viventium animantium maxillis creſcendi facultatem fecit Natura: Necnon illæ habent radices quandoque ſe ipſis longiores, adeoque matrici ſuæ inhærentes, ut vix ab eis evelli queant; non ita vero latera & ſummitates, quæ facili negotio a marga & tophis, quibus involvuntur, erui poſſunt. Verumenimvero ſi ejuſmodi lapides unquam fuiſſent piſcium armatorum dentes, non reperirentur ſemper ex una eademque parte, nempe ex baſi, rupibus infixæ, ſed etiam aliquando ex ſumma aut laterali parte cautibus inhærerent. Neque enim rationem aſſignant Adverſarii, cur potius ſuperiores dentis partes, quam imas afficere debeat ſuccus lapidificus, itaut illæ ſemper læves ac pene vitreæ videantur, hæ vero rudiores, ac rupibus tenacius inhęreſcentes. Etenim in tali metamorphoſi, ſeu caſuali lithogeneſia, quam ſomniant Adverſarii haud quidem unus idemque ordo ſemper ſervaretur: quum ſit incontroverſum Philoſophis pronunciatum, quod *id non fortuito, nec fruſtra fit, quod Natura ſemper eodemque modo facit*.

§. XXIII. Quæ de Gloſſopetris diximus; de calculis quoque, quos vocant ſerpentum oculos, intelligenda ſunt. Nimirum hi lapides ſunt gemmulæ, Achatis genus, qui, do-

ceu-

Google

cente Cardano, lapis eſt tam varius, ut non una tantum gemma ſit appellanda: ſiquidem ejuſmodi calculi, non ſecus atque Achates, heic reperiuntur cæſii, roſei, nigri, flavi, cinerei, viridis, aliorumque colorum: necnon quibuſdam orbiculis luteum, vel roſeum punctum circumambientibus ita pupillam imitantur, ut variorum animantium oculos repræſentent, ut animadvertit eruditiſſimus Bartholomæus Ambroſinus in Muſęo Metallico Ulyſſis Aldovrandi, a ſe concinnato, ubi tribus Tabellis varietatem colorum ac figurarum iſtius lapidis graphice exponit: in quibus videre eſt quoſdam Achates calculis noſtris affatim ſimileis. Idem ſentiunt Mercatus, aliique præclari Scriptores. Quantumvis non minus in iſtis calculis, quam in Gloſſopetris recognoſcendis allucinatus ſit Auguſtinus Scylla, qui, Adverſario plaudente, hujuſmodi calculos eſſe (*a*) Chryſophrydum, (*b*) Synodontum, Sargorumque dentes, autumavit. Verumtamen ei credat, conſentiatque, qui dentes pupillis ornatos unquam viderit. Quantum verò in me eſt, id ego mihi ſuadebo, quum oculos dentibus ſimiles videro.

Hieron. Cardan. lib 7. de var.

Lib. 4. c. 73. de Achat.

§. XXIV. Vana igitur (heic mihi reponet Adverſator) eſt opinio Melitenſium arbitrantium Gloſſopetras, alteroſque calculos, eſſe linguas, atque oculos ſerpentum, a Paulo in lapidem duratos. Fateor. Nec enim quorumdam Idiotarum noſtrorum erroribus ita deſponſus ſum, ut Veritati debitum non perſolvam honorem. Præterire autem non debeo, Melitenſes Literatos eamdem, quam modo tuebar, de ejuſmodi lapidibus ſententiam tenuiſſe, & in præſentiarum amplecti. Teſtes ſunt Joh. Franciſcus Abela, cujus ſenſa, Adverſario nota, ſupra expoſui; & Joh. Franciſcus Bonamicus, qui, poſtquam pluribus argumentis ſententiam noſtram propugnaverit, hæc ſubjungit: *Tralaſciando per altro come inette e ridicole le opinioni del Volgo, che ſieno ſtate (le Gloſſopietre) lingue di ſerpi, o d'uccelli impietrite, e le riferite da Plinio, che cadano dal Cielo in Luna ſcema, o che ſieno Ceraunie, cioè ſaſſi di fulmini; che guai a noi ſe poteſſero quì trovarſi così frequenti* &c. Huic ſubſcribit Jacobus Bonamicus ejuſdem Frater, qui in ſua *Epiſt.* ad Cl. Ab. Michaelem Juſtinianum data hæc habet: *Le lingue, gli oc-*

Extat in Part. 2. Liter. Memorab. Ab. Mich. Juſtin.

(a) Vulgo *Orade*. (b) Qui vulgo *Dentici* vocantur: ex horum cerebro eruitur gemma Synodontides, ut Auctor eſt Plinius *lib. ult. cap.* 10.

occhi, e denti di ſerpi, così detti dalla ſimilitudine, che con quelli tengono, ſi cavano dalla pietra viva per tutta l'Iſola, benche in alcuni luoghi più e meno. Le lingue ſono comunemente di color ciserizio, o lionato: gli occhi altri ſono oſcuri, altri tirano al ranciato: ed (a) i denti del medeſimo colore, ma più bianchi con certe righe o vene alquanto più oſcure. E tutte queſte coſe, come anche varie ſorti di chiocciole, ſpine di ſerpi, e ſerpi parimente intiere della medeſima pietra ſi vanno dalla Natura giornalmente producendo, appunto come le gemme, ed i metalli, nelle viſcere della terra. E non ſono altrimenti le lingue caſcate dal Cielo nella Luna mancante, come ſognoſſi Plinio lib. 37. cap. 10. Nemmeno ſon coſe impietrite dopo lo ſconvolgimento della terra fatto dal Diluvio univerſale, come penſò il Majolo Dier. Canicul. colloq. 18. in fine, e difende Gio: Daniele Major nella ſua Diſſert. de Serpent. petrefact. §. 47. Fabio Colonna nella ſua Porpora, ed altri Autori, i quali aſſeriſcono eſſer queſte lingue chiamate Glottides; e Gloſſopietre, denti di peſci armati, e particolarmente di Lamie, o Carcharie, detti volgarmente Peſci-Cani, reſtati ſotto terra dopo il diluvio ſepolti: ingannati sì dalla ſimilitudine, che molte di queſte lingue intorno dentate, e a forma di ſega con eſſi denti tengono: come altresì per eſſervi qualche opinione, che i denti de' peſci ſuddetti giovino contro i veleni, per quanto riferiſce Aldovrando de Piſcibus, parlando della Lamia e Carcharia. Eſſendo queſta opinione ampiamente riprovata da Geropio Becano citato da Gio: Laet. de Lapid. & Gemm. lib. 2. c. 3. Molto meno ſono membra impietrite de' ſerpenti velenoſi maledetti da S. Paolo dopo che fu morſicato dalla vipera; e perciò eſſer chiamate dette lingue Ophiogloſſæ, come crede il volgo, e'l riferiſce Burcardo Niderſtedio nella ſua Malt. vet. & nov. lib. 1. cap. 6. perche ſimili metamorfoſi ſono favoloſe, dicendoſi il medeſimo delle ſerpi di pietra, che ſi trovano in Inghilterra nelle pietriere della provincia di Sommerſet, che da que' popoli ſi crede eſſere ſtate vere ſerpi, così impietrite, quando

(a) Is diſtinguit dentes a linguis ob varietatem figuræ & coloris, ſed cum has, tum illos in terra, gemmarum inſtar generari, affirmat Heterodoxos iſtos, vel ſuppoſititios dentes delineavit in ſuo typo Adverſarius, callide, ut ejus eſt mos, prætermiſſis plurimis Gloſſopetrarum figuris nequaquam referentibus piſcium armatorum dentes, ut ſunt iſtæ, quas noſter Jacobus *linguas* appellat.

Google

quando furono ſcacciate dalla ſanta vergine Keina, o Hilda, ed eſſer ſenza teſta, per eſſer lor rotta, precipitandoſi dalle balze, come riferiſce detto Gio. Laet. de Gemm. & Lapid. lib. 2. c. 4. Poichè nemmeno quelle moſche, formiche, api, ragni, ſerpenti, e coſe ſimili, che ſi veggono dentro l'ambra gialla, ſono ſtati giammai animali vivi in quella, o ſia bitume, o ſia ſaſſo, rinchiuſi ſecondo l'opinione del dottiſſimo Settalſio nelle ſue Diſſertazioni, del Ghelero, e d'altri: ma tutti ſono ſcherzi della natura, la quale in certo modo dà vita e moto a' ſaſſi, comunicando loro una tal virtù generativa, colla quale ſecondo le diſpoſizioni diverſe delle particelle, diverſe coſe con varie forme producono, ed una virtù vegetativa, colla quale le coſe prodotte prendono accreſcimento &c. En quid ſentiant de iſtis calculis, & qui ratiocinentur cives noſtri literati!

§. XXV. Neque vero deridendi ſunt noſtri Idiotæ, quod eoſdem calculos fuiſſe anguium linguas, oculoſque Pauli miraculo petrefactos crediderint. Quandoquidem vel docti viri, Geſnerus, Ettmullerus, aliique Auctores apud Ulyſſem Aldovrandum idem ſenſerunt. Necnon Germanis, referente Agricola, Gloſſopetra dicitur *Nattertunglein*, ideſt Natricis lingua. Natrix autem eſt ſerpens, quæ nando venenum aquis infundit: quocirca Lucano dicitur: *Natrix violator aquæ*. Melitenſes autem, quum conſtantiſſima traditione a majoribus acceperint, Apoſtolum naufragum varia huic Inſulæ beneficia contuliſſe; hoc etiam beneficium eidem adſcribere non dubitarunt. Nec tamen errant, quum Gloſſopetras in hoc ſolo provenire Apoſtoli virtute arbitrantur: quippe licet ipſæ non ſint ſerpentum linguæ lapidefactæ; nihilominus, ſi magnam earum alexicaciam perpendas, ipſas a beneficentiſſimo noſtro Protoparente nobis impertitas eſſe, haud imprudenter conjicias: præſertim quod ipſe noſtris glebis, ut *ſuperiore diſſertatione* oſtendebam, virtutem alexipharmacam fuerit elargitus. Quamobrem noſter Bonamicus ita ratiocinatur: *Onde io conchiuderei per conto di queſt' Iſole, che quando il loro terreno fu miracoloſamente tramutato, o reſperſo di queſte vene di bolo aleſſiterio, allora riceveſſero in conſeguenza la proprietà di produrre queſte gemme a ſomiglianza di denti di Lamie, e l'altre dette occhi di ſerpi, le quali eſſendo produzioni, e quaſi frutti e quinteſſenze di quel bolo; non è meraviglia, ſe ne poſ-*

Geſner. l. 4. Aquat. Ettmuller. t. 1. ubi de Min.r. Aldovandr. Muſ. Metall. l. 4. c. 10.

Joh. Franc Bonamic. in ſupra cit. epiſt.

ſeggono le facoltà in grado così eminente. Hæc iſte Phyſicus præſtantiſſimus. Quibus hoc ego tamquam auctarium addo, quod ante Pauli Naufragium hanc Inſulam hujuſmodi calculis ditatam eſſe, nec Majores noſtri tradiderunt, neque ullus Scriptorum literis mandavit; quamquam minoris momenti rerum, quæ heic proveniunt, ut roſæ, pulvilli, catuli, veſtes, ac mella, tot inſignes veteres Auctores mentionem fecerint accuratam. Cur ergo de noſtris Gloſſopetris tanta virtute præditis nihilum illi ſcripſerunt? Nonne quod hac alexicacia non ante Apoſtoli in hanc Inſulam adpulſum præditæ ipſæ fuerunt? Quis igitur cordatus naturali hujus telluris indoli ejuſmodi virtutem adſciſcat?

§. XXVI. Ceterum nec defuere qui Gloſſopetras Lamiarum, ideſt Mulierum illarum, quæ inſtar Strigum, ſanguinem infantium abſorbere conſueverunt, dentes eſſe putaverint. Alii vero Pici avis linguam, alii aliarum alitum roſtra, ungues, ac linguas; alii ſerpentum (a) cornua; & alii alias res eſſe Gloſſopetras autumarunt. Inter tot, tamque varias opiniones noſtram eſſe ſaniorem nemo quadratus homo non fatebitur. Quocirca cum Oratorum Principe concludam: *Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat*. (Cicer. de Nat. Deor.)

DIS-

(a) *In ſerpentibus cornua quærere idem profecto eſt ac (ut habet proverbium) in aſello lanas, in lupo pennas: neque enim vel in monſtrifera Libya naſcuntur cornuti*: inquit Adverſarius; quem forte fugerit, in Ægypto repetiri viperas Rhinocerotes, quas Ægyptii *MamoliKias*, ſeu *Regias* appellant. Iſtarum, & Bucampis unicornis iconem exhibet Th. Bartholinus *de unicornu cap.* 10. qui quoque ex Muſæo Thobiæ Aldini deſcribit ac delineat Draconem, in media fronte oblongum cornu gerentem, alarumque beneficio delatum ex Arabia in Ægyptum: nec non is typum habet alterius Draconis cornuti, ex India Orientali a Patre quodam Societat. Jeſ. allati ad Fr. Corvinum Canonicum Romanum. Hujuſmodi quidem cornua ſunt oblonga, ſed non æque rigida & aſpera, atque illa animalium quadrupedum. Qui ſane iſta in ſerpentibus quærat, Adverſarii cenſura notandus eſt.

Digitized by Google

DISSERTATIO UNDECIMA.

Dithalaſſum a D. Luca memoratum in Melitenſis ſinus, D. Pauli nomine inſigniti, introitu adamuſſim cerni.

§. I. **D**Ithalaſſum eſſe locum inter duas maris profunditates aſſurgentem non inficiatur urbaniſſimus noſter Antagoniſta; ſed hujuſmodi locum in Melitenſi litore, cui illiſam Pauli navem credimus, nequaquam conſpici adſeverat. Neque ego Dithalaſſum noſtrum ab ipſo conſpectum eſſe contendo: qui enim cernere hunc potuerit qui ad noſtram Inſulam numquam adpulit? Quocirca ei objicere juremerito poſſemus:

Sed quis es tu qui vis ſedere in ſella,
Ut e longiquo judices a multis milliaribus,
Cum viſu vix ſpithamam longo?

Enimvero qui huc adpulere, viderunt, & aſſertionis noſtræ veritatem oculati teſtes confirmavere. *Viſitur* (clamat Quintinus, diuturnus Melitæ incola) *littus loci bimaris* (*Cherſoneſus Ptolemæo dicitur & vere eſt*) *nunc a Paulo vetuſtiſſime* (a) *cognominatum, in quod is navem illiſit.*

§. II. Diſertiſſimus autem Melchior Inchoffer *in ſuis Conjectationibus de Epiſtola ad Meſſanenſes a B. Virgine conſcripta* poſt multa argumenta, quibus ſententiam noſtram tuetur, hæc ſubnectit: *Verum ſi quæ hactenus diximus, Melitam illam interiorem navigationi Pauli eximunt &c.* Melch. Inchof. Conject. 49.

(a) Quintinus M. Magiſtri Philippi de Villiers dicti ab Inſula-Adami Auditor, ac Ordinis Jeroſolym. Frater Æditus, hæc ſcribebat ad Sophum Amicum Anno 1533. die 20. Januar. ideſt quum primum Militaris iſte Ordo huc advenerit: & tamen hoc litus Pauli naufragi nomine inſignitum *vetuſtiſſime*, nempe pluribus ſæculis ante ſacræ iſtius Militiæ adpulſum, affirmat. Unde perſpicitur, quam inique dictitet Adverſarius, ſententiam de Apoſtolo naufragio huc ejecto invaluiſſe poſt Rhodienſium Equitum in hanc Inſulam adventum.

&c. Locus in primis ditbalaſſus, quem nonnulli bimarem vertunt, ſive quia duo maria diſcriminat, & tota ipſa Inſula, loco quodam jacens (qui ſenſus eſt Syri) duas inter profunditates (a) *maris hæreat, ſive quia naufragii locus eodem mari utrinque allutus iſthmum conſtituat, & ut loquitur Beda, littus ſit in mari protenſum, eodemque circumdatum mari, quod hinc & hinc diſpeſcitur: & adhuc clarius ad vulgi uſum Carthuſianus explicat linguam terre in mare protenſam, & mari utrinque circumdatam; quæ quidem poſterior Bedæ & Carthuſiani explicatio tam congruit Traditioni & loco, quem nos ipſi, fama naufragii Pauli clarum, oculis non ſemel aſpeximus & conſideravimus, ut in meridie cœcutiat, cui ſecus in mentem venire poſſit. Habet vero & ſuam locus ille Syrtim hodieque conſpicuam, habet & vadoſam arenam impingendæ navi aptiſſimam* &c. Eximio huic Scriptori concinunt Cajetanus, Sylveira, Zucconus, Maſſutius, Carrerius, Maurolicus; nec non inſignes eruditione Heterodoxi, Bochartus, Pomeranus, Bullingerus, Marloratus &c. Præ quibus audiendus eſt Auguſtinus Lubinius Chriſtianiſſimi Regis Geographus, qui *in Tab. Sacr. Geogr. verbo Dithalaſſus* hæc habet: *Dithalaſſus locus, ideſt hinc inde mari cinctus ad modum Iſthmi. Act. 27. 41. ad oram inſulæ Melitæ ad Boream verſus; hodie etiam propter S. Pauli naufragium celebris, Portuſque S. Pauli, la Cala di S. Paolo, dictus &c.*

Gloſſ. Rabanus.

Cajetan. Iſag. c. 19. Sylveir in Act. 27. Zuccon. in Act. Lect. 73. Maſſut. Vit. S. Pauli l. 11. c. 10. Franc. Carrier. in Actor. 27. Maurol. Sican. Hiſt. l. 3. Bochart. lib. 1. Chan. c. 26. &c.

§. III. Criticus autem noſter cornicum, ut ajunt, oculos figere ſtudens, & ſuæ in D. Lucam pietatis zelo commotus, tot tantiſque noſtris Propugnatoribus graviter ſuccenſet, eoſque *ridenda ſapientibus ſphalmata* divino Hiſtoriographo imputare dictitat. Sed ille, ut eſt in adagio, elephantum ex muſca facit: nempe ſcopulum, in quo illi dithalaſſum locum recognoſcunt, magnifica Inſulæ nuncupatione condecorat; indeque ſic infit: Quis unquam ab accurato Auctore audivit dithalaſſas vel bimares dici Inſulas, & cum iſthmis componi. Bona verba, mi Ariſtarche: rem accuratius perſcrutare; &, quam dicis Inſulam, nihil aliud eſſe comperies, quam parvum ſcopulum, ſeu terræ laciniam, dimidium millia-

(a) Procopius ſane Græcus Auctor affirmat, hanc Inſulam dividere Adriaticum a Tyrrheno mari, ut exponebam *in Diſſert.* 4. §. 12. ubi ejuſdem verba protuli. Tametſi naufragii locus ſpeciatim innui a Luca videtur, quum ea dictio maxime conveniat loco, in quem ejectam fuiſſe Pauli navem tradunt.

milliaris, vel paullo plus, ambitu complectentem, adeo noſtro litori proximam, ut pars ipſius, fluctibus, aut terræ motu ſejuncta, videatur ac ſit. Ibi communicantur duo maria, Ortus ſcilicet, & Occaſus, ut in rudi typo hiſce Diſſertationibus præfixo; quæ quidem interlabuntur canalem ita anguſtum, ut per ipſum triremis tranſire non poſſit. Nec mihi fidem adhibeas, ſed accurato fidelique teſtimonio prælaudati Scriptoris, qui re ſedulo obſervata perpenſaque ita concluſit: *Ergo locus ille dithalaſſus, ut hinc etiam aliorum dubia dimoveam, in quem navis eatenus impegit, ut prora quidem fixa maneret immobilis, puppis vero ſolveretur a vi maris, niſi tota ſit Inſula, non alius fuit, quam revulſa illa a reliqua crepidine terræ lingua, aquis hinc inde admiſſis in iſthmum formata, & Euroaquiloni, quemadmodum & hodie cernitur, eatenus obverſa, qua neceſſarium pene navibus ex Adriaticopulſis objicit impedimentum. Recte vero cum nullis fere clivis tumeat, ſed humilis mari ſuperſtet Melita, eamque ob cauſam vel clara luce etiam non longe navigantium oculos effugiat die primum facto, & adhuc dubio, puta, Sole, terram non agnoſcebant, ſinum vero quemdam conſiderabant habentem littus, in quem cogitabant, ſi poſſent ejicere navem. Is vero Sinus Melitæ cavus erat, ſed qui protenſo iſthmi cornu vix procelloſis undis eminente navim curſu obſtinatam obſtinatior ipſe infregit, navigantes ad tabulas adegit, ac tandem nando, vadando, periculis evadentes, eam eſſe Meliten inſulam, vulgato aliis vocabulo Mytelenen, perdocuit*. Ita loquitur qui locum propriis oculis inſpexit: & ita Inſpectionum Anticriticarum Auctori, hujuſce loci inexperti, cauſſam aperit, cur Apoſtolus, sociique non terreſtri via *(a)* ſed natatu litus tenuerint, atque hujuſmodi periculum vel die primum facto non adverterint. Quid autem illis profuiſſet iſtius periculi advertentia, poſtquam ad malefidum littus appropinquaſſent, in quod Typhonici flatus violentia impulſi urgebantur? Et

Melch. Inchof. loc. ſupr. cit.

(a) Qui enim terreſtri via ad litus appellere poterant, fluctibus hinc inde ſævientibus agitati, in loco vadoſo, in quo vel undis, ventiſque aequieſcentibus difficile eſſet incedere? *Ita non appulerat navis ad littus, ſed ad locum vadoſum, ex quo enatandum erat ad terram*: inquit Bern. Lamy, qui pro *dithalaſſo* accipit *iſthmum*, ſeu *tænias, inter quas & littus mare interluat*, uti eſt ſupra expoſita terræ Lacinia, quæ in D. Pauli ſinu cernitur.

Et maxime quod jam gubernaculorum juncturas laxaverant, & artemonem levaverant.

§. IV. Hinc etiam perſpicitur quam inique Abelæ noſtro inſultet Adverſator, cauſſatus, quod ille non bene interpretatus fuerit Arabicum textum, hæc habentem: *Incidit autem navis in locum altum inter duos ſpecus maris*. Ubi Zoilus noſter, Grammaticorum more, preſſiorem poſtremarum vocum ſignificatum inquirit: & qui paſſim *in ſuis Inſpectionibus* Scriptorum auctoritates minus proprie exacteque interpretari conſuevit, in præſenti textu enucleando nares emungit, atque *τὸ maris* otioſe additum non eſſe dicit, concluditque, non humi cavernas, ſed ſubmarinas ſpeluncas iis verbis deſignari. O Criticum a fronte ſimul & occipitio oculatum! Simpliciſſimus noſter Abela hoc pacto divinare neſcivit, ſed maris ſpecus, ſicut & litora, in terra recognovit. Etenim ſicuti maris litus dicitur extima terræ pars, ſeu margo mari allutus; ita & ſpecus maris dici poſſunt cavernoſa terræ loca æquori adjacentia.

§. V. Neque nobis refragantur auctoritates Interpretum ab Adverſario allegatorum, videlicet Lorini, Benedicti Arias, Nicolai de Lyra, aſſerentium, D. Lucam dithalaſſi nomine indicare voluiſſe locum vadoſum, e fundo maris prominentem inter duas æquoris profunditates: ſiquidem juxta præmemoratum *Selmonium* ſcopulum, præter alia cœca, ſeu latentia pericula, cernitur locus iſte vadoſus, atque elevatus inter duo profunda maria, quæ, ut ajebam, anguſto illo canali communicantur, labunturque inter Selmonem, & litus obverſum, ſignata in noſtro typo literis A. & B. Canalem hunc putabant impervium Paulinæ ratis nautæ; ideoque ibi tutum eſſe litus credebant: quum vero adproperaſſent, alteri mari pervium eſſe agnoverunt; ibique navis proram impegerunt in vadum arenoſum, quod ibidem ſternitur: cujuſmodi locum rite appellavit *dithalaſſum* prudentiſſimus Evangeliſta. Hinc etiam fit, ut cum Syriaca Verſio, tum antiqua Editio, Gothica nuncupata, quæ habent, *in locum vadoſum*, nobis opitulentur. Reapſe pluribus ab hinc annis quidam e noſtris, una cum viris in cognitione iſtius loci verſatiſſimis, D. Pauli ſinum viſere curaverunt; & non ſolum juxta Selmoniam cautem locum vadoſum, quem *dithalaſſi* vocabulo deſignare Lucam

cam.

Digitized by Google

cam voluiſſe, affirmat Adverſarius, recognoverunt; ſed etiam, ut rei veritatem magis magiſque exploratam haberent, ea loca non ſecus, quam ſenex ſartor ad crenam acus intendere ſolet ſupercilia, perſcrutati ſunt; in queis Paulini Nautæ ſubmiſſa bolide invenerunt paſſus viginti, & mox paſſus quindecim, ubi anchoras de puppi miſerunt: & ipſa adamuſſim illi agnovere. Non longe enim a Selmone aduſque lævum Paulini Sinus cornu viginti paſſuum altitudinem nautico perpendiculo invenerunt, & paullo inde ad Selmonium Scopulum appropinquantes quindecim paſſus a Sacro Hiſtoriographo memoratos compeluerunt. Ex quo loco ob prominentiorem Selmonis rupem, quæ terram reſpicit, canalis ſæpe memoratus videri poteſt impervius, ſinumque refereus; at, ſi ultra tranſmittas, *locum bimarem*, ideſt hinc inde mari obnoxium deprehendes: ut experti ſunt Nautæ illi, qui atteſtante D. Luca, *ſinum quemdam conſiderabant babentem littus, in* Act. 27.39.
quem cogitabant, ſi poſſent ejicere navem. Quo, quum *ſecundum auræ flatum*, nempe *Euroaquilonem*, cui locus iſte recta obverſus eſt, pertigiſſent, *locum ditbalaſſum* invenerunt, quam litoream oram eminus putaverant. *Et cum incidiſſemus in locum ditbalaſſum impegerunt navem* &c.

§. VI. Fortaſſis etiam vocabuli iſtius ſignificatio alia occurrere poſſit. Non enim tam facile eſt aſſequi vim quorundam vocabulorum, quæ alicui arti ſunt peculiaria, & Ciceronis exemplo ingenuaque confeſſione demonſtrat Dominus Rolinus, qui de ſtudio Linguæ Latinæ agens, ita loquitur *Tom. 1. c. 3. Il peut arriver aux plus babiles gens de ſe tromper dans l'intelligence de certains mots dont l'uſage eſt rare, tels que ſont par exemple la plupart de ceux qui regardent les arts. Ciceron dans un lettre a ſon Ami Atticus ne rougit point d'avouer qu' un Matelot lui avoit appris la veritable ſignification d'un terme de marine, qu' il avoit long-tems ignoree, & ſur la quelle il s'etoit trompe*. Arbitrabar ſuſtineri remos, cum INHIBERE eſſent remiges juſſi. Id non eſſe hujuſmodi didici heri, cum ad villam noſtram navis appelleretur: non enim ſuſtinent, ſed alio modo remigant. Id ab ἐποχῆ remotiſſimum eſt. INHIBITIO remigum motum habet, & vehementiorem quidem, remigationis navem con-

convertentis ad puppim . *En effet Ciceron dans un ouvrage compoſe ſept ou buit ans avant la lettre qui vient d'etre citee , avoit donne a ce mot , inbibere , le ſens qu' il reconnut de puis etre faux* . Ut concitato navigio , cum remiges INHIBUERUNT , retinet tamen ipſa navis motum & curſum ſuum intermiſſo impetu pulſuque remorum : ſic in oratione perpetua , cum ſcripta deficiunt , parem tamen obtinet oratio reliqua curſum , ſcriptorum ſimilitudine & vi concitata . Hæc ille.

Clem. Rom. in Ep. 1. ad Jacob. fratr. Domin.

§. VII. Ceterum Apoſtolorum ævo Apoſtolicis Scriptoribus , quibus aſſentiri Lucam decebat , dithalaſſus erat locus duplici mari obnoxius . Quippe hujuſmodi eum accepit Clemens Romanus , quum ad Jacobum fratrem Domini hæc inter alia conſcriberet : *Ditbalaſſi loca , quæ duplicibus undæ fallacis ictibus verberantur , bypocritæ , & doloſi* . Vides ut *ditbalaſſi loci* nomine haud aliud is intelligit , quam locum duplicium undarum ictibus obnoxium ! Quid ergo noſter Zoilus exſpiſcari ſtudet abſtruſas alias ac reconditas illius vocabuli ſignificationes , quibus , tamquam utre vento pleno , ſciolos ac ſemidoctos territet ? Haud vero me fugit , hanc epiſtolam , ſicut & alia Clementina ſcripta , in dubium ab Eruditis revocari , ut aſſerit Lambertus Gruterus Venradius *in Præf. de Veritate Scriptorum Clementinorum* . Attamen quicumque fuerit verus ejus Epiſtolæ Auctor, procul dubio is fuit antiquiſſimus , atque Scriptoribus primi Sæculi accenſetur a Clariſſimis Editoribus Bibliothecæ Veterum Patrum .

Bibl. Vet. Patr. Tom. 2. Part. 1.

§. VIII. Itaque cuicumque *Ditbalaſſi loci* explicationi adhærere velit moroſus noſter Antagoniſta , ejuſmodi locum in noſtro Sinu , D. Pauli nomine inſignito , recognoſcere poterit : ſiquidem in hujus litore nedum cernitur rupes inter duos ſpecus maris , ut in Arabico textu , a noſtro Abela producto , legitur ; necnon terræ lingua in mare protenſa , mari hinc inde alluta , ut Ven. Beda , & Carthuſianus interpretantur ; verum etiam viſitur locus vadoſus , *elevatus inter duas profunditates maris* , ut habent Verſiones , ac Interpretes ab Adverſario allegati . Propterea ſæpe laudatus Melchior Inchoffer loquens de loco , quem pro Paulino *Ditbalaſſo* oſtendunt

Me-

Melitenſes, ac ipſemet propriis oculis non ſemel recognovit, ſic ait. *Habet vero & ſuam locus ille ſyrtim (a) bodieque conſpicuam, babet & vadoſam arenam impingendæ navi aptiſſimam*: poſtque paullo ſubnectit, hunc locum *aquis binc inde admiſſis in iſthmum eſſe formatum, & Euroaquiloni obnoxium*: denique tot tantiſque veſtigiis Paulini naufragii recognitis, adſeverat, *in meridie cæcutire cui ſecus in mentem venire poſſit*. Quid vero dixiſſet, ſi quoque ipſe, immiſſa bolide, locorum a D. Luca relatorum profunditatem exploraſſet, ac ejuſdem Hiſtoriographi verbis omnino convenire comperuiſſet, uti exploratum eſt diligentibus illis civibus noſtris, ſupra commendatis?

§. IX. Huc accedit quod Hieronymi Manducæ ætate, ut ipſe teſtatur, adhuc cernebantur rudera Publianæ domus in clivo quodam a noſtro *ditbalaſſo* parum diſtante, ut videre eſt in rudi ſchemate hiſce Diſſertationibus præfixo. Sed hei mihi! Jam Adverſarium audio pædagogica procacitate inclamantem: *Num niſi graviora indicia accedant, ſatis erit teſtimonium Manducæ, quem neſcimus quis ſit?* Idcirco ut curioſo noſtro Critico ſatisfaciam, pauca de noſtro Manduca eloquar. Inſignis iſte civis noſter in Societatis Jeſu (*b*) album relatus fuit Romæ, Anno 1590. quo D. Aloyſius Gonzaga ex eadem urbe ad Aſtra evolavit. Præceptorem habuit Cl. Johannem Lorinum, & humanis, diviniſque literis, hiſtoriarumque eruditione, necnon animi candore, morumque ſanctimonia ſummam ſibi laudem comparavit. Edocuit in Collegio Mamertino Theologiam Moralem, & ſelecta S. Scripturæ loca magno Auditorum concurſu interpretatus eſt. Eruditiſſimos ſcripſit commentarios in Oſeam, Joelem, Jonam, Amos, Abdiam, & Michæam, Prophetas: necnon diſputationes in Librum Judith duobus voluminibus comprehenſas, una cum *concordantia*

Ll Pro-

(a) Nempe periculum cæcum ac latens (præſertim atro illo die, ſole vix adparente) quale in *disbalaſſis* locis requirit Adverſarius: ſecundum cujus mentem ſyrtes, aræ, dorſa, pulvinaria ſunt Synonima. Syrtim iſtam Paulina navis tumentibus fluctibus elata, leviſque ob jactum factum, facile ſupergreſſa eſt, ac pertigit locum in noſtro typo notatum num. 8. ubi recedentibus undis hæſit, ac proram vadoſæ arenæ impegit. Licetque nautæ litori proximi eſſent, tamen refluentibus ſævis tumidiſque fluctibus, nonniſi nando, & vadando, ut ajebat noſter Melchior, terram tenere poterat.

(b) Cujus quondam fuiſſe Religioſus Sodalis fertur noſter Antagoniſta; unde mirum, quod noſtri Manducæ nomen, in Sacra iſta Societate haud obſcurum, is ignoraverit.

Prophetarum Iſaiæ, Oſeæ, Joelis, Amos, Abdiæ, Jonæ, Micheæ, & Naum; Tractatum de pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis; Hiſtoricas notitias de noſtro S. Epiſcopo, & Martyre Publio; Fragmenta Melitenſis Hiſtoriæ, ac Dormitionis Deiparæ; quæ omnia manu ſcripta Collegii Panormitani Pinacotheca, tamquam pretioſum theſaurum, adſervat. Ejus ſcripta, & maxime Hiſtoriam de D. Publio juremerito commendant Jacobus Riela, Melchior Inchoffer, Rocchus Pirrus, Joh. Franciſcus Abela, & alii.

§. X. *Sed unde* (reponit Adverſarius) *P. Manduca, item Scriptor recentior tam antiquam notitiam hauſit?* Unde? Hauſit a ſenioribus Indigenis, qui ab avis ataviſque eam accepiſſe prodiderunt. Hauſit e penu ſuæ eruditionis Melitenſium antiquitatum. Hauſit a vetuſtiſſima eorumdem Prædiorum denominatione, quæ ab ævo immemorabili, Arabice *Benuerret*, ideſt Prædia *Filii Hæreditarii*, ſive Hæreditatis, dicta ſunt. Hoc autem nomine per Antonomaſiam indicatur Princeps Hæreditarius, ut oſtendam in *Diſſert. ult. §. 7.* Hauſit ab ipſo Apoſtolicæ Hiſtoriæ Scriptore, qui tradit Publiana Prædia fuiſſe non procul a loco dithalaſſo, e quo Paulus, ſociique naufragi in terram evaſerant; ſtatimque ſubjungit, eos humano hoſpitio fuiſſe ab illo exceptos. *In locis autem illis erant prædia Principis Inſulæ nomine Publii: qui nos ſuſcipiens, triduo benigne exhibuit.* Tandem ille hauſit a tot tantiſque rationibus, atque argumentis, quibus, in ea loca naufragio ejectum fuiſſe Apoſtolum, evincitur.

§. XI. Neque nobis officit diobolaris Adverſarii oppoſitio, qui Sylveiræ teſtimonio innixus, aſſerit, Publii ædes adhuc perdurare in Inſulæ meditullio ſitas, & per conſequens non parum a Salmone, ſeu *dithalaſſo loco* diſtantes; caſque eſſe, in quibus eximium Cathedrale Templum in Pauli honorem Deo conſecratum veneratur. Namque iſtæ erant Publii ædes urbanæ; attamen ſacer Hiſtoriographus innuit domum ejus campeſtrem, litoralem, ipſiuſque prædiis conjunctam: atque hujus ruinas uſque ad ævum ſuum permanſiſſe teſtatur noſter Manduca, qui multo melius, quam Adverſator, Lucæ mentem aſſequutus eſt. Etenim divinus iſte Scriptor aperte ſignificat, Publium habuiſſe ædes ac prædia litoralia & campeſtria: ſiquidem affirmat ea ſita fuiſſe *in locis illis*, nempe in ora littorali ad quam

e nau-

e naufragio primum enataverant; non vero in urbe, adeo a *locis illis* diſſita. Et quidem *τὸ loca illa* non poſſunt referri ad Opidum, cujus nullam antea mentionem fecerat Evangeliſta; bene vero ad litora *ditbalaſſo loco* continentia, quorum paullo ante ipſe meminerat. Neque campeſtres Publii ædes fuiſſe peramplas dubitaret noſter Zoilus, ſi ſplendidam ipſius fortunam, & magnificentiam propemodum Regiam attendiſſet; quam ex ipſis D. Lucæ verbis elicere facile poterat. Quippe ſacer ille Scriptor aſſerit, illum 276. hoſpites munifica humanitate triduo excepiſſe. Nonne Baſilica domus eum decebat, qui tot, tantiſque hoſpitibus tectum menſamque per treis dies præbere potis fuit?

§. XII. Antagoniſta vero noſter, clamoſior lauro ardente, ut ex adagio fuerim loquutus, iterum nobis infit, & ita cornicatur: *Denique Lucas innuit prædia domumque Publii juxta locum fuiſſe, ubi Paulus eſt ictus a vipera: atqui communiter incolæ credunt (propter imminentem, ut in Actibus traditur, imbrem) & ignem excitatum, & Apoſtolum demorſum in ipſa Crypta Paulina, quæ prope (a) Opidum eſt: itaque Maltenſium ipſorum judicio ea domus & prædia fuere ſuburbana, & propemodum in Inſulæ meditullio ſita, non autem litoralia, & vicina Salmoni*. Verum hæc eſt pura ac puta calumnia, noſtro Impoſtore digna. Quandoquidem Melitenſes nedum credunt, Paulum ſarmenta igni admoventem a vipera demorſum fuiſſe juxta campeſtres ac litorales Publii ædes; verum etiam idem literis mandaverunt noſtri Scriptores. Audiatur Manduca, qui 195. abhinc annis floruit, ideoque melius, quam noſtri ævi Indigenæ, ſeniorum Melitenſium traditiones callere potuit. *Sciendum eſt* (inquit) *quod licet adverſus venena pulvis ex D. Pauli ſpelunca juxta urbem antiquam a mari remotam* Hier. Manduc. hiſt. D. Publ. c.4. *adhibeatur; morſum tamen viperæ* (nota) *Apoſtolo accidiſſe juxta mare, ut propterea eadem dos indita & innata impoſterum fuiſſe totius Melitæ lapillis, & pulveri conſtat* &c. En quam minus vera nobis imputet noſter Sycophanta, qui non niſi fallaciis, offuciiſque nobiſcum certare conſuevit. Neque minus falſitati obnoxia ſunt hæc alia: *Quid* (is ait) *quod teſtatur Sylveira Act. cap. 28. quæſt. 8. com-*

(a) Pauli ævo, ſacra ejus Crypta in ipſa urbe erat, ut oſtendam *in Diſſert. ult.*

munem eſſe ſententiam Templum Paulo (a) *conſecratum extare in ædibus Publii, nec eas dirutas eſſe, ut ajunt Manduca & Abela? Itaque ubique diſcordia & colliſio ſententiarum* ? Vides quam impudenter vitii ſibi familiariſſimi nos inſimulet hic Impoſtor! Sed utinam ipſe ſibi conſtaret, nec toties, ut Lectori meo planum feci, ſecum ipſe digladiaretur! Tantam quidem in aſſertionibus noſtris diſſentionem reperire in caſſum ille affectat. Siquidem tradunt Noſtrates, Cathedrale Templum in Publianis ædibus fuiſſe conſtructum, non autem has, uti fuerant tunc temporis, ſed ipſarum ſitum, ubi nunc Templum viſitur, perdurare. Ita plane legitur expreſſum literis majuſculis in Epigraphe ejuſdem Baſilicæ fronti inciſa, quam exhibuimus *in Melitæ Deſcript.* §. 9. Si vero noſter Criticulus, vel aliquis alter haud ſatis cautus, ſenſa noſtra non bene intellexerit, remque aliter, quam noſtri tradunt, eſſe putaverit; non nobis, ſed ſibi hujuſmodi diſſenſionem imputet. Et quidem ſi Publii ædes in Templum converſæ ſunt; idque Anno 1693. terræ motu funditus everſum eſt, ut *loc. cit.* ajebam; qui unquam adſeverari poteſt, ipſas minime dirutas eſſe? Mirari ſane ſatis non poſſum, quod hujuſmodi allucinationes admittat noſter Zoilus: nempe is, qui in Adriæ ſitu, Eurique plaga recognoſcendis non omnibus Auctoribus, ſed tantum Lucæ contemporaneis, & indigenis ſeſe fidem adhibere declaravit; modo poſthabito noſtrorum conterraneorum teſtimonio, exteri Scriptoris auctoritati, utut male fultæ, innititur, &, quæ major eſt impudentia, illius errorem nobis imputat, perinde ac ſi nos allucinationum omnium, in quibus verſantur quicumque de Melitenſi Pauli naufragio egerint, rationem, & quidem exactam, reddere debeamus.

§. XIII. Sed noſtrum Antagoniſtam rogo, qui tot tautiſque

(a) Adverſarius, qui omnigenam eruditionem oſtentat, ſcire deberet, quod Templa & Altaria ſoli Deo conſecrantur: huic enim ſoli debetur Latriæ cultus, qui per Altarium Templorumque conſecrationem exhibetur. Idcirco D. Auguſtinus *Lib. de vera & falſ. Relig. ſub finem* ait: *Quare veneramur Angelos charitate, non ſervitute: nec eis Templa conſtruimus*: & *lib. contra Fauſtum cap.* 21. inquit: *Nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum ſacrificamus: quamvis in memoriam Martyrum conſtruamus altaria*. Ideoque Leo Magnus *Serm.* 7. *de Nativ.* ait, *ipſam Beati Petri Baſilicam uni Deo vivo & vero eſſe dedicatam*. Reapſe Paulus V. Baſilicam Vaticanam non inſcripſit *D. Petro*, ſed *Deo Opt. Max. in honorem Principis Apoſtolorum* &c.

tiſque noſtris rationibus, atque monumentis minime acquieſcit; quæ unquam documenta & veſtigia nobis ipſe oſtendit de Meltæ ſuæ *dithalaſſo loco*, deque prædiis Publianis? De his nec verbum quidem; licet magnificarum Oppiani, Ethnici Poetæ, ædium mentionem is faciat, earumque rudera adhuc extare (*a*) affirmet. De loco autem *dithalaſſo*, in typo Dalmatenſis Inſulæ, ut plureis ſcopulos, ac terræ lacinias in iſthmi, ſeu dithalaſſi modum formatas effinxit, hæc habet: *In hoc Inſulæ latere credibile eſt navim D. Pauli naufragio fuiſſe illiſam: nam plures* (*b*) *hic dithalaſſi, ſive Iſthmi* (*c*) *Ypothalaſſi*. Ergo-ne *credibile* id eſt? Arbitror. Adverſarii quidem noſtri monumenta ſunt fide digna, utpote ea, quæ oculorum, ut Scholaſticorum phraſi utar, objectum (*d*) eſſe non poſſunt.

DISSERTATIO DUODECIMA.

Refelluntur tria Adverſarii argumenta.

§. I. QUUM quędam argumenta expendam, queis excepti e Naufragio Pauli gloriam Inſulæ noſtræ ſubripere ſtudet Adverſarius; tantum abeſt, ut ei ſuccenſeam, ut ei potius referendas eſſe a me grates arbitrer. Nimirum ea potius cauſſam noſtram adjuvant atque erigunt, quam ullo detrimento afficiant. Siquidem adeo fallacia & captioſa illa ſunt, ut ad ſubvertendam, non ad ſuſtentandam veritatem excogita-

(a) Nimirum ea Inſula nullum Pauli Naufragi monumentum unquam habuit; quod ſi habuiſſet, utique ipſius reliquias magis, quam Oppiani domus rudera, illa ſervaſset. (b) Si plures ibi *dithalaſſi*, haud quidem in Meletæ litus naufragus enatavit Apoſtolus; namque Lucas aperte tradit, ſeſe in unicum, non vero in plures *dithalaſſos* incidiſse: *Et cum incidiſſemus* (inquit) *in locum dithalaſſum* &c. (c) Alibi Adverſarius aſserit, *Iſthmos* multum a *dithalaſſis* differre; & nunc in ſuæ Inſulæ latere *Iſthmos* eoſdem pro iiſdem *dithalaſſis* oſtentat (d) Quæ enim per fidem creduntur, oculis minime objiciuntur.

gitata eſſe, eorumque Auctorem albo reti, ut Plauti utar adagio, aliena captare bona nemo non videat. Hinc equidem fit, ut illorum fallacia, maliſque Adverſarii artibus detectis, ſententiæ noſtræ dignitas, æquitaſque magis magiſque elucescat.

§. II. Ejuſmodi eſt argumentum illud, quod ex *Melitenæ* nomine adſtruit noſter Veterator. Ante Clementis VIII. Vulgatam Bibliorum editionem (ita ille ratiocinatur) fere omnes Latini Græcique Codices Apoſtolicorum Annalium, ubi de Inſula Pauli naufragio condecorata fit mentio, *Melitæ*, ſeu *Militenæ* nomen habebant: atqui ea denominatione nullam aliam præter Dalmatenſem inſulam indigitare conſueverunt antiqui Scriptores; ergo &c. Aſt noſter Antagoniſta ſibi ſuadere deberet quod inter Græca exemplaria Apoſtolicæ hiſtoriæ primas concedere illis oportet, quibus uſus eſt D. Hieronymus, quum ut ipſe teſtatur, *Novum Teſtamentum Græcæ fidei redderet*. Quis id non fateatur? Ergo-ne prudentior, ſolertiorque in evolvendis, ſeligendiſque iſtis Codicibus fuerit Adverſator, ut novatori ſuo genio indulgeret; quam Sacratiſſimus iſte Doctor, ***omnium***
D Aug.l.18. de Civit. Dei. *trium linguarum*, teſte Auguſtino, *peritiſſimus*, ut Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ veram genuinamque Scripturarum lectionem exhiberet? Deinde quota portio Græcorum Codicum, quos D. Hieronymus ævo ſuo, nempe ante tredecim ſæcula, præ manibus habere potuit, ætate noſtra deſiderantur? Idcirco quum Vulgata Bibliorum editio, expuncto *Melitenæ*, vel *Mithelenæ* vocabulo, *Melitæ* nomen juxta eximii iſtius Doctoris interpretationem retinuerit; obſequenter fateri debet Adverſarius, quod in optimis Græcis Exemplaribus hoc ipſum vocabulum continebatur; ne veridici, accurati, ſapientiſque Scriptoris laudem ab Orthodoxa Eccleſia D. Hieronymo, præſertim in enucleandis divinis Scripturis, tributam invidere videatur.

§. III. Quis autem Zoili noſtri pervicaciam atque impudentiam mirari ſatis poſſit, quum Sacrum iſtum Doctorem in partes ſuas is advocet? Nempe in illius libro *de Nom. Hebr. ex editione P. Martianæi* legitur *Militine*. Quid vero inde elicit Criticus noſter inſulſiſſimus? An-ne quod in Græco Archetypo *Militine* quoque legebatur? Toto cœlo is errat: ſiquidem id vocabulum per mendum illuc irrepſit: ſicut & illud *Melitæ* in alium Hieronymi locum. Nimirum in

in hujus *Comment. in Eſai. cap.* 45. Inſula, D. Pauli naufragio decorata, *Meleta* inſcribitur. Sed Marianus Victorius Reatinus *in notis in eum locum* mendum correxit, & *Melitam* ſubſtituit. Ita & in loco ab Adverſario allegato faciendum eſt: quandoquidem Vulgata Verſio, ab ipſo S. Doctore ad Græcum fontem emendata, *Melitæ* vocabulum retinuit. Nec alia hujus Inſulæ nomina, quæ ex variis Auctoribus vitiata & mendoſa collegit ſedulus noſter Impoſtor, nobis aliquatenus refragantur; quum nobis faveat prævenerata Verſio, quæ, vel ipſo fatente, *Melitæ nomen repoſuit, quod in Græcis Codicibus frequentius inveniebat.*

§. IV. Quinimo id affirmare non dubito, quod nempe Apoſtolicæ hiſtoriæ Scriptor *Melitenæ* vocabulo, neque ad noſtram, neque ad Illyricam Inſulam indicandam uti debuerit. Labrum forte mordebit noſter Antagoniſta; ſed ejus indignationem rationis flatu compeſcam. Equidem Inſulæ noſtræ, ſi Adverſario credimus, *Melitenæ* nomen minime conveniebat, neque ei unquam a Scriptoribus tribuebatur ante Annum 138. Qui ergo hoc nomen ipſi tribuiſſe dicendus eſt prudentiſſimus Evangeliſta? Reliquum eſt igitur mihi, ut planum faciam, quod neque Dalmatenſi Inſulæ Melitenæ nomen adſciſcere is debuerit. Id alacri animo faciam; ſed antea Adverſarium exoro, ut quaſdam ſuas ſententias heic utendas mihi commodet. Nempe D. Lucam in profana eruditione ſibi duces proponere Scriptores contemporaneos, aut ſe antiquiores debuiſſe: ideoque ipſum in Adria, Euroque, aliiſque recognoſcendis ſuæ vel prioris ætatis Auctores ſequutum eſſe. Atqui nemo Scriptorum divino Hiſtoriographo antiquiorum, neque ullus eorum, quos illius Synchronos cenſet Adverſarius; inſulam Illyricianam *Melitenæ*, ſeu *Melitinæ* appellatione indigitavit. Quo igitur pacto novum hoc & inuſitatum nomen ei impoſuiſſe dicendus eſt Lucas, cujus prudentiam, eruditionem, ac loquendi proprietatem toties adverſus nos ille inculcat? Sed magis mihi *bile jecur tumidum* facit quod in hujuſmodi quæſtione Claudium Ptolemæum ille advocat. *Enimvero* (ille inquit) *in Introd. Geogr. Tholemæi Africana inſula appellatione Melitæ, Illyricana Melitenæ, vel Melitinæ diſerte ſignificabatur.* O Tergiverſatorem impudentiſſimum! Ergone pro ſtatuenda antiqua iſtarum Inſularum nomenclatione ſufficiens ac idoneum erit Ptolemæi teſtimonium; pro Adriæ Inſp. 1. Diatr. 1. §. 2.

vero

vero finibus conſtituendis idem erit ineptum, floccique faciendum? Ita-ne Apoſtolicus ille Scriptor in appellatione Inſulæ, ad quam illiſa fuit Pauli navis, Ptolomæo conſentire, & in Adriæ, Eurique poſitione ab ipſo Geographo diſſentire ille idem debuerit?

§. V. Ea propter, quum *Melitenæ*, vel *Melitinæ* nomen ab Auctoribus, quorum ætas Antilegonti noſtro adprobatur, neutri earumdem Inſularum fuerit attributum; fateri abſque ulla moroſitate ipſe debet, quod ejuſmodi cognomentum *a cap.* 28. *Act. Apoſt.* expungendum ſit, atque ſapientiſſimo D. Hieronymi judicio, & Vulgatæ Verſioni obſequenti animo ſtandum. Unde etiam perſpicitur, quod ea vocabula, *Militine*, *Mythelene*, & ſimilia, Exſcriptorum incuria in eum locum irrepſerint. Quis enim in unicæ dictionis lectione tam varia mendum eſſe non agnoſcat? Porro quidam Semidocti, ut ait Theodorus Beza, exiſtimantes, Apoſtolicum Hiſtoriographum loquutum eſſe de Inſula Dalmatenſi, *ad marginem annotarunt* (*a*) *Melitines nomen, quod poſtea Sciolus quiſpiam in celebrius Mitbylenes* (*b*) *nomen commutarit*.

Theod. Beza in Act. c. 28.

§. VI. Prætereo Inſulam noſtram a Magno Gregorio *Militenam*, ſive per Metathefin, tranſpoſita ſcilicet literula, *Miletinam* appellari; necnon a Gauſredo Malaterra, Monacho Benedictino, eamdem *Mileti* nomine indigitari, ut *in Diſſert.* 17. §. 2. oſtendam. Prætereo, inquam, hæc, & alia; namque mihi ſat eſt, quod huic Inſulæ ſpeciatim competat *Melitæ* nomen, a Veneranda Verſione Vulgata ipſi tributum, quam, ut ajebam, Magnus Hieronymus *ad Græcum fontem correxit*: neque enim e fontibus, ſeu verius ſcatebris ab Antagoniſta noſtro nobis oblatis bibere, imo nec labella intingere volumus, quum in iſtis latices adeo limpidos delibare minime ſperamus.

D. Greg. lib. 7. Reg. epiſt. 6.
Gaufr. Malater. Hiſt. Sicil. 4. c. 16.

§. VII. Mirari autem nemo debet, quod Græci Codices hujuſmodi mendis obnoxii ſint: ſiquidem, ut Melchioris Cani teſtimonio demonſtrabam in *Diſſert.* 7. §. 6. magnam co-

---

(a) Vides ut id vocabulum fuerit in margine adnotatum, non vero primigenium Lucæ ſyngramma, ut autumat Adverſarius! (b) Opidi in Lesbo quondam nobiliſſimi, a Tullio *Orat. de Leg. Agr.* celebrati. Quo vel Paulum Naufragum adigere tentaſset Adverſarius, ſi ibi natus eſset, aut aliquid poſſideret. Neque id perdifficile ei contingeret, qui miris commentis, noviſque Hydrographiæ, ac Nauticæ regulis tam belle inſtructus eſt!

eorum partem Græci vitiarunt. Et quidem nedum in Inſulæ Pauli naufragio inſignitæ nomenclatione, ſed etiam in aliorum nominibus, a Vulgata Verſione diſcrepant quædam Græca exemplaria. Nimirum in ipſis Lucæ Annalibus, ubi Vulgata reddit: *Venimus Lyſtram, quæ eſt Lyciæ* &c. Græce pro *Lyſtra* habebatur *Smyrna*, ut animadvertit Ven. Beda: licet alii Græci cum Syro Interprete, ac D. Chryſoſtomo nec *Lyſtram*, neque *Smyrnam*, ſed (a) *Myram* legerint. Veruntamen utraque lectio inſolubilibus difficultatum nodis obnoxia eſt: ideoque iſtis vocabulis expunctis rejectiſque *Lyſtram* retinuit Verſio Vulgata, a Clemente VIII. correcta, imprimis veneranda. Necnon in variis exemplaribus varie ſcriptum legebatur navis Adrumetinæ nomen, cujus meminit Apoſtolicus Hiſtoriographus: Quippe Theophylactus eam vocat *Atramytinam*, alii *Adramytenam* (b), ſive *Hadrumentinam* (c). Sed omiſſis hujuſmodi quæſtionibus, quas *de nomine* appellant Philologi, tranſeamus ad alias Critici noſtri oppoſitiones.

§. VIII. Iſte quidem nos inſectatur hoc alio terribili argumento in *Friſeſomorum*. In *Afromelita* (is ait) olim erant Junonis Herculiſque delubra, a variis Scriptoribus celebrata, nec non opidum cultiſſimum: Atqui nullam de his mentionem fecit Lucas: quid igitur hinc eliciendum eſt, niſi quod ipſe in *Afromelitam* nequaquam adpulerit? Papæ! talem Argutatorem nec (d) Ακαδημια, neque (e) Λύκαιον unquam audivit. Aſt, bona ejus venia, mihi liceat argumentum, ut ajunt Scholaſtici, retorquere, & quidem ita: In *Meleta*, teſtante ipſo Adverſario, fuit urbs florentiſſima, Polybio dicta *Melituſſa*; eaque Inſula bellum celebre, ac diuturnum cum Romanis geſſit: nec minus clarum in ipſa erat Antrum Nympharum, a tot Auctoribus memoratum,

Inſp. 4. Diatr. 2. §. 1.

(a) Patria S. Nicolai Myrenſis. Id ei nomen a Myrone fluvio non longe diſſito. (b) Strabo *lib.* 5. recenſet *Adramyttenum ſinum* in Myſia. (c) D. Hieronymus *de loc. in Act.* Hadrumentum dicit urbem io Byzacio Africæ regiooe ſitam. Adrumenti urbis quoque meminit Plinius *l.* 6. *c.* 34. Eam inter celebriores Africæ urbes connumerat Cluverius *Intr. Geogr. l.* 6. *c.* 4. Quam hodie vulgo dici *Mahometta* aſſerit Joh. Buno *in Adnot.* in eum Cluverii locum; licet eadem urbs Mario Nigro dicatur *Siſſa*, & Alphonſo Adriano *Toulb*, ut ibidem adnotavit HeKelius. (d) *Academia*, locus celeberrimus, Athenis M. P. diſtans: ubi Plato frequentiſſimo Auditorio Philoſophiam profeſſus eſt, ut refert Laertius *in Plat.* Unde *Academici* ejus Sectatores dicti. (e) *Lycæum*, nobiliſſimum Athenarum gymnaſium, in quo Ariſtoteles Philoſophicas quæſtiones, magna diſcipulorum frequentia, pertractabat.

ratum, Nymphæ Calypſus, ſi ei credimus, domus. Atqui de his nec verbum quidem fecit Apoſtolicus Hiſtoriographus. Quid ergo hinc ſequitur, niſi quod illuc Paulus Naufragus minime enataverit? En dilutum Contradictoris noſtri argumentum, qui dum nobis tendit inſidias, ſuiſmet laqueis irretitur.

§. IX. Profecto Lucæ reticentia, ut fatetur ipſe Adverſarius, eſt argumentum negativum; licet hoc ſibi non parum prodeſſe is affirmat, concurrentibus variis obſervationibus, rationibuſque. Verumtamen hujuſmodi rationes ab illo nondum accepimus, nec accipere unquam ſperamus. Quod autem Sacri iſtius Scriptoris ſilentium circa hæc, & alia ejuſmodi, nullo cauſſam noſtram detrimento afficiat, colligi ſatis poterit ex iis quæ *in Diſſert.* 19 §. 7. *& ſeq:* dicturi ſumus. Modo mihi ſufficiat Zoilum noſtrum rogare, quid in ſuis Annalibus enarrare ſibi propoſuerit Lucas? Id ipſo titulo exponere voluit; quum eos inſcriberet, *Actus Apoſtolorum*. Si ergo S. Evangeliſta Apoſtolorum res geſtas ad Chriſti fidem, cultumque propagandum deſcribere curabat; quid ei opus erat de execrandis Idolorum Templis verba facere? Num-ne prudentiſſimus iſte Scriptor eodem modo in opere ſuo ſeſe præſtare debuit, atque Adverſarius *in ſuis Inſpectionibus*, nempe inepta & inutilia, aptis atque utilibus immiſcendo?

§. X. Non abſimilis farinæ eſt alia oppoſitio, quam ex Inſulæ noſtræ celebritate famaque elicit Adverſarius. Quippe hic poſtquam ipſius ſplendorem ac celebritatem Diodori Siculi teſtimonio exaggeravit, ita concludit: *Itaque & nominatiſſima Inſula, & navigantibus uſitata non parum fuit. Cum ergo Paulina Oneraria, trecentis* (ſi illis addas viginti quatuor) *propemodum vectoribus, majori ex parte nautis, atque ut veroſimillimum eſt, negotiatoribus* (a), *quorum mos jugiter commeare, Alexandrinis, Ægyptiis, Aſianis referta Melitam acceſſerit; mirandum quidem, & ultra fidem eſt* (modicæ enim fidei proprium eſt dubitare) *ſi Melita Africana fuit, neminem unum in tanto maritimorum homi-*

Inſp. 4. Diatr. 2 §. 2.

(a) Equidem Adverſarius Veritatem impugnare palam profitetur. Qui enim id aſſerere non erubeſcit, ſi ſecum ipſe pugnans *Inſp.* 8. *Diatr* 2. § 6. ait: *Centum quippe Milites erant* (in Pauli navi) *vinctique totidem* &c. Si ergo ex 276. quotus erat animarum in ea numerus, demas 200. qui nec Nautæ nec Negotiatores erant; qui Vectores majori ex parte *Nautas* ac *Negotiatores* fuiſse nunc dictitas?

hominum numero inventum fuiſſe, qui antea illam adierit, ut in conſpectu poſitam internoſcere poſſet &c. Verum heic Zoilus noſter, ut eſt in adagio, quærens obſonium, veſtem perdidit: ſiquidem vel ex eo, quod Inſulam, ad quam Pauli navis adpellebat, haud illico, eminuſque agnoſcere potuerint nautæ, aliique vectores, ipſam minime fuiſſe Dalmatenſem, evincitur. Nimirum divinus Hiſtoriographus jam multos annos ante Melitenſe Pauli naufragium in Dalmatia verſatus fuerat, ſanctumque Evangelium prædicaverat. Teſtis eſt Epiphanius apud Eminentiſſimum Laurentium Cozza: quippe de Luca ſic ille ſcripſit: *Huic igitur prædicandi Evangelii munus eſt: idque ipſe primum in Dalmatia, Gallia, Italia, & Macedonia præſtitit*. Quid autem opus eſt teſtibus, ubi Adverſarii confeſſionem habemus? Nempe id ipſe fatetur *Inſp.* 2. *Diatr.* 5. §. 8. allegans eumdem Epiphanium *Hæreſi* 51. Qui ergo ſacer iſte Evangelii Præco Dalmatenſem Inſulam non agnoviſſet, ſi ad eam Pauli navis acceſſiſſet? Laur. Cozza in Vind. Areop.

§. XI. Præterea in eadem navi erat Julius Centurio Cohortis Auguſtæ, in qua centum Milites numerabantur. Atque heic ſubire in Adverſarii mentem debent, quæ ipſe ſua ſponte *in Meletæ notitia* faſſus eſt: Et ut ea Lector quoque meus expendat, ipſius verba fideliter tranſcribam. *Quod ad hujus Inſulæ* (inquit) *antiquitates; Conſtat eam ſub Octaviani Cæſaris Principatu florentem armis, opibuſque, ac finitimis Corcyræ Incolis, itidem pollentibus* (*& aliis fortaſſe vicinioribus Dalmatis*) *fœderatam, nedum Adriaticum, ſed ulteriora quoque maria claſſibus infeſtaſſe: ægreque tandem, & ingenti bello ab ipſomet Octaviano fuiſſe perdomitam*. Quod mutila (a) Appiani auctoritate ipſe confirmans, ſic loqui pergit: *Tradunt Incolæ a proavis tranſmiſſa notitia, cui & Inſulę,* (b) *Inſulariumque natura conciliat fidem, eos tolerandę inedię, ac exercendę piraticę laborioſiſſimo uſu, nec non fundarum certitudine, quibus tra-*

Mm 2 *ctan-*

(a) Nempe reliqua iſtius Scriptoris verba, ut pote ſibi refragantia, callide reticuit Adverſarius: quæ tamen nos produximus *in Diſſert.* 8. § 22

(b) Vel hinc ſententiæ noſtræ veritas elicitur: namque ſicuti ingenui illi Inſulares belli adeo antiqui memoriam retinuere; ita & aliqui in Paulini naufragii, quod poſt id bellum contigit, memoriam haberent, ſi Apoſtolus naufragus ab ipſis fuiſset hoſpitio exceptus. Atqui nullam ejus adpulſus memoriam ii habent, ut oſtendam *in Diſſert.* 14. ergo &c.

ſtandis Balearicos æquabant, perinde ac pugnatorum numero, locorum aſperitate, nemorumque vaſtis, atque indeprebenſis anfractibus illam Romanorum aggreſſionem diu ac fe-
Sveton. in Octav. *rociſſime ſuſtinuiſſe; ita ut quod Svetonius prodit in quodam bello Dalmatico Auguſtum lapide vulneratum fuiſſe, numquam negare auſim id memorabile vulnus deberi potius quam aliis, peritiæ Melitenſium funditorum*. Ex quibus ſane verbis colligi debet, *Meletam* fuiſſe pernotam Romanis, & maxime Militibus. Ecquis id auſit in dubium revocare; quum illic tot memorabilia, præſertim ipſius Imperatoris vulnus, magno Romanorum exercitu adſtante, evenerunt?
Inſp 8. Diatr. 1 § 1. Neque vero ea patrata ſunt temporibus multo remotis atque immemorabilibus; ſed, ut ipſe Adverſarius fatetur, non multo ante Melitenſe Pauli naufragium: Nimirum Octavius, ſub quo geſta illa ſunt, Anno Ær. Vulg. 14. deceſſit; Nero autem, ſub cujus Principatus exordium Apoſtolus hoc naufragium pertulit, ad Imperii culmen evectus eſt Anno 54. Itaque ex tot Romanis Militibus, qui Paulum alioſque vinctos cuſtodiebant, forte nonnulli Dalmatenſi bello interfuerunt, aut parentes habuere, qui in *Meletæ* obſidione dimicaverint, aut ſaltem a Senioribus militibus id acceperunt. Quidni? Si, teſte ipſo Adverſario, adusque hodiernos illius Inſulæ Accolas rerum in eo bello geſtarum fama pervaſit.

Vell. Paterc. Lib. 2. §. XII. Huc etiam accedit, quod referente Vellejo Paterculo, Romani in Illyridem, atque Dalmatiam milites ſuos mittebant, ut militari diſciplina jugiter inſtruerentur. *Ne res* (ille inquit) *diſciplinæ inimiciſſima otium corrumperet militem, crebris in Illyrico, Dalmatiaque expeditionibus, patientia periculorum, bellique experientia durabat exercitum*. Porro Dalmatiam Italiæ prætorio Præfecto ſubjectam fuiſſe affirmat B. Rhenanus *Illyr. Deſcript. Illyrici Occidentalis* (inquit) *provinciç ſex, videlicet Dalmatiç, Pannonia prima, Pannonia ſecunda, & Savia, Valeria, Noricum Mediterraneum, & Noricum Ripenſe, quç erant ſub diſpoſitione illuſtris Prçfecti prçtorio Italiç* &c. Quo igitur pacto credibile eſt, tot Romanos una cum Paulo navigantes Dalmatenſem Inſulam nequaquam recognoviſſe, ſi tum temporis ad eam vere acceſſiſſent?

XIII. Inſuper Paulinæ Onerariæ Nautæ, ſive, ut Adverſario placet, Negotiatores, nonne & ipſi Meletam in-

terno-

Digitized by Google

ternoſcere debebant, utpote proximam tot præclaris regionibus, ut præ aliis Epidauro, portu adeo celebri inſtructæ, & Æſculapii Templo celebratiſſimæ: ex qua Romani mortifera peſtilentia vexati Æſculapium ſub forma ſerpentis Romam adduxerunt. Eapropter concludere poſſum Adverſarii verbis: *Si hæc* (Inſula) *clara, & inter Aſianos, & Libycos Navigantes* (*atque Romanos Milites*, bona ejus venia ego ſubnectam) *pervulgata illa fuit, & ſaltem ex fama Paulo, Lucæ, & ceteris* (*quod non dubito*) *ſatis nota; quid inſulam, & prorſus incognitam, inauditamque commemorat?* Recte quidem ratiocinaretur noſter Criticus, ſic hæc de Inſula Dalmatenſi pronunciaret. Inſp. 4. Diatr. 4. §. 4.

§. XIV. Quod autem Inſulam noſtram recognoſcere illi debuerint, propterea quod humilis & plana ſit, non niſi Zoilus noſter aſſerere id poteſt: ſiquidem cujuslibet ineptiæ proferendæ facultas ei conceſſa eſt. Haud ita vero ſentiunt Æqui rerum Æſtimatores. Præ aliis audiatur diſertiſſimus Melchior Inchoffer. *Recte vero* (inquit) *cum nullis fere clivis tumeat, ſed humilis mari ſuperſtet Melita, eamque ob cauſam vel clara luce etiam non longe navigantium oculos effugiat, die primum facto, & adhuc dubio, puta, Sole terram non agnoſcebant, ſinum vero quemdam conſiderabant habentem littus, in quem cogitabant, ſi poſſent ejicere navem* &c. Inſula vero Dalmatenſis, quum, fatente ipſo Adverſario, præaltis collibus aſſurgat, vel eminus internoſci facile poteſt. Itaque ſi ad eam Paulinæ onerariæ vectores adpropinquaſſent, ipſam utique agnoviſſent: necnon antea conſpexiſſent a dextra altiſſimos Albaniæ montes, a læva excelſum Gargani cacumen, præter innumera alia Promontoria, atque Inſulas, quæ in anguſto illo ſinu frequenter occurrunt: ſiquidem ſola *Illyrici ora*, teſte Plinio, *mille amplius Inſulis frequentatur*. Melch. Inchof. Conject. 40. de Ep. B.V. ad Meſs. Plin. l. 3. c. 25.

§. XV. Denique noſter Veterator verba illa Pauli: *In inſulam autem quamdam oportet nos devenire*; immiſcet his Lucæ verbis: *Et cum evaſiſſemus, tunc cognovimus, quia Melita inſula vocabatur*; atque ita ratiocinari pergit: *Utique magna ſuſpicio eſſet, quod ad eum Patavinæ v. g. urbis fama ante non pervenerit, qui ſcripſiſſet, cum perveniſſemus in quamdam urbem, tunc cognovimus, quod Patavium vocaretur. Loquendi proprietas, qua Lucas uti amat, requirebat profecto, ut ſi nota fuiſſet inſula, ita appoſite di-* Act. 27. Act. 28. §. 4. ejuſdem Diatr.

Digitized by Google

diceret; *tunc cognovimus*, *quia Melita inſula erat*. Audin'? Ludimagiſtri noſtri difficultas in eo poſita eſt, quod pro verbo *erat* τὸ *vocabatur* ſubſtituit Lucas: Sed ille Sacrum Evangeliſtam excuſatum habere deberet; namque iſte Grammaticen, qua ille utitur, non edidicit; verumtamen loquendi modo Sacris Scriptoribus uſitato ſeſe accommodavit.
Apocal. 1.9. Nimirum alter Evangeliſta ſic loquitur: *Ego Johannes frater veſter*, *& particeps in tribulatione*, *& regno*, *& patientia in Chriſto Jeſu*, *fui in inſula*, *quæ appellatur Patmos propter verbum Dei*, *& teſtimonium Jeſu*. Hinc ergo colliges, Patmon inſulam iſti Apoſtolo minime notam fuiſſe? Haud arbitror, ſi ſanus es: ſiquidem in ea jamdiu ipſe exulabat quum hæc ſcriberet.

§. XVI. Eodem loquendi modo uſi ſunt & Scriptores poſteriorum ætatum. Præ ceteris unum producam, qui fere ſex ab hinc ſæculis efflorebat. Is eſt Abbas Celeſinus (*a*) alibi allegatus, qui de noſtra Inſula loquens, ſic ait: *Et cum adoleviſſet* (Comes Rogerius), *invaſerat alias Inſulas*, *quarum una Malta vocabatur*. Cur ille non dixit: *quarum una Malta erat?* Num-ne quod hæc Inſula ſibi eſſet ignota? Ita judicabis, ſi Critici noſtri interpretationem, ſeu verius fruſtrationem attendas; ſi vero rem, uti ſe habet, reſpicias, Melitam iſti Scriptori pernotam fuiſſe fateberis. Quippe ſi hæc vel Pauli ævo clara celebriſque fuerat; quanto clarior celebriorque erat ætate, qua Celeſinus ſcribebat? quum nempe perſtrepente tot oppugnationum, quas ſuſtinuerat, fama, (*b*) celebratoque tot Dominantium, a quibus fuerat ſubacta, nomine, longe lateque inclaruerit. Huc accedit, quod ille Hiſtoriographus in multa Rerum Sicularum cognitione verſatus erat: unde fieri non poterat, quin hæc Inſula, quæ Siciliæ (*c*) accenſetur, ei ſaltem fama innoteſceret. Quidni? Si vel Aſianis ipſam fuiſſe notam cenſet noſter Antagoniſta.

§. XVII. Quid vero quod ipſe Lucas ventum, quo Pauli
Act. 27. Navis impellebatur, deſcribens, dixit: *Non poſt multum autem miſit ſe contra ipſam ventus Typhonicus*, *qui vocatur Euroaquilo*, vel ut Adverſario magis arridet, *Euroclydon?* An-ne Sacer Hiſtoriographus ventum, quo tunc urge-

(a) Nempe *in Serie Epiſcopor. Meliten.* §. 12 (b) Recole quæ diximus in *Deſcript. Melit.* §. 39. & 40 (c) Reapſe Melitenſis Epiſcopus inter Siculos Præſules connumeratur a D. Gregorio *Epiſt.* 22 *Lib.* 11.

gebatur navigium, ignorabat? Hoc denegat noſter Adverſator, qui eum ſane ventorum nomina, ac poſitiones optime calluiſſe adſeverat. Cur ergo ille non dixit: *Ventus Euroaquilo*, ſive *Euroclydon*; ſed; *qui vocatur Euroaquilo*, ſive *Euroclydon*? Non-ne advertit Zoilus noſter, quam turpiter ſibi repugnet? Profecto is ejus eſt mos, ut eorum, quæ antea dixerit, oblitus, ſecum ipſe digladietur, & unum adſtruens, aliud deſtruat.

§. XVIII. Neque nobis officit, quod Apoſtolus, *Melitæ* nomen reticens, dixerit: *In inſulam autem quamdam oportet nos devenire*: Etenim vel ille a Cœleſti Nuncio acceperat, quod ad *Melitam* erat perventurus; vel Angelus Inſulæ nomen illi minime revelaverat: ſi Paulus id noverat; perperam contendit Adverſarius ex ipſius Apoſtoli verbis contrarium elicere; ſi vero Inſulæ nomen ab Angelo non didicerat, recte quidem ille loquutus eſt, quum dixit: *In inſulam autem quamdam oportet nos devenire*: Namque humana conjectura id aſſequi non poterat, quum hæc dixiſſet ante decimamquartam noctem inſævien te immoderata, cœcaque illa tempeſtate; nullaque terra, nec Sole, neque Stellis adparentibus.

§. XIX. Quinimo vel ex eo, quod Paulus dixerit, *oportere* ſeſe in inſulam quamdam devenire, colligendum eſt; hanc fuiſſe noſtram Melitam: nimirum hæc ejus Prædicationis indigebat, quum Dei verbum nondum accepiſſet: *Id quod non erat conjectura, ſed Prophetia*: inquit ſapientiſſimus Pauli oraculorum Interpres. In *Meleta* vero, ut ſupra ajebam, Sanctum Evangelium jamdiu fuerat annunciatum a D. Luca, & ab ipſomet Apoſtolo, qui *Epiſt. ad Rom. cap.* 15. ſcripſit, ſe in Illyrico prædicaviſſe. Itaque non erat neceſſum, ut in Illyricam Inſulam deveniret: quandoquidem idem Gentium Doctor in eadem *epiſt.* eodemque *cap.* teſtatur, ſeſe Dei verbum annunciare conſueviſſe, ubi Chriſtus nondum agnoſcererur, non vero ubi jam eſſet annunciatum ejus Evangelium. *Non enim audeo* (ille inquit) *aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam Gentium verbo, & factis: in virtute ſignorum, & prodigiorum in virtute Spiritus Sancti, ita, ut ab Jeruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim Evangelium Chriſti. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alie-*

D Chryſoſt. in Act. Hom. 53.

Ad Rom. c. 15. v. 18. & ſeqq.

num

num fundamentum ædificarem ; *ſed ſicuti ſcriptum eſt : Quibus non eſt annunciatum de eo videbunt* : *& qui non audierunt* , *intelligent* . Hunc ſane loquendi modum , ac morem Apoſtoli hauſerunt a Chriſto Jeſu , qui Capharnai turbis
Luc.4. 43. ipſum detinentibus , ne diſcederet ab eis inquit *: Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei : quia ideo miſſus ſum* . Et ad hoc miſſus erat Gentium Doctor : quem quum Illyricis eſſet annunciatum Dei verbum , non ita vero Melitenſibus; *oportebat* in hanc Inſulam devenire , ut ipſam ad Chriſtum converteret : ſicuti , faciente Divina providentia , evenit .

§. XX. En itaque cujus farinæ ſint oppoſitiones , atque cenſuræ , quibus nobis inſultat noſter Antagoniſta , qui (*a*) Gorgiam Leontinum æmulans, ſeſe tam belle Philo-
Inſp. 5. §.1. ſophum , Geographum , Medicum , Theologum , Hiſtoriographum , Poetam , Navicularium , & Proretam egiſſe ja-
Eccl. c. 38. ctat : nequidquam monente illum Eccleſiaſtico , ut *unuſquiſque in arte ſua ſapiens ſit* . Et o quam melius ille feciſſet , ſi per multos illos annos , quos in ſuas *Inſpectiones Anticriticas* inſumpſit , operam navaſſet Odæo frequentando , piacularibus confeſſionibus audiendis , aut , quandoquidem Satyrico ſtylo adeo delectatur , vitiis e Roſtro reprehendendis , aut ſaltem enucleandis Fidei Myſteriis , adſtante puerorum corona .

DIS-

(a) Gorgias Leontinus jactabat , ſeſe uſque paratum ac promptum eſse ad habendas de quolibet *Scibili* diſputationes . Is nempe fuit Rhetor inſignis , diſcipulus Empedoclis , Præceptor Iſocratis : tantamque arte ſua pecuniæ vim comparavit , ut fuerit primus , qui aureum ſimulacrum in Delphici Templo poneret . Nos vero , & noſter Adverſator in caſſum adeo varias quæſtiones pertractamus : quippe nullam auri maſsam iſtis conficiemus .

Digitized by Google

DISSERTATIO DECIMATERTIA.

Argumentum de Syracuſis nobis apprime opitulari; idque diluere fruſtra conatum eſſe Adverſarium.

§. I. POſtquam Apoſtolicæ Hiſtoriæ Scriptor ſatis perſpicue ſignificavit, Paulum, Socioſque naufragos ad Inſulam noſtram appuliſſe, perque totos tres menſes heic fuiſſe commoratos; ut nullum dubitandi locum relinqueret, quin ſors adeo fauſta ac decora nobis obtigerit; inſtitutæ navigationis curſum, ſuæque narrationis filum pertexere ita pergit: *Poſt menſes autem tres navigavimus in navi Alexandrina, quæ in inſula hyemaverat, cui erat inſigne Caſtrum. Et cum veniſſemus Syracuſam, manſimus ibi triduo. Inde circumlegentes devenimus Rhegium, & poſt unum diem flante Auſtro, ſecunda die venimus Puteolos* &c. Ex quibus verbis omnino perſpicitur, Pauli navigium ex Inſula noſtra ſolviſſe: Quidpe Romam contendentibus ex hac Inſula, non vero ex Dalmatenſi, Syracuſæ tam brevi occurrunt. Ita quidem ſentiunt cuncti ſapientes, quadratique Viri. Attamen Antagoniſta noſter inſtituto ſuo, veritatem impugnandi, oſtrei in morem inhærens, ejuſmodi argumentum parvipendit ac deſpicatur. *Non enim quæritur* (inquit) *quo tunc Paulus, ſed unde diſceſſerit: alterum, quod caput quæſtionis eſt, abunde,* (a) *valideque probavimus, ſtatuimuſque ex Illyrica Melita diſceſſiſſe. Alterum quod acceſſorium eſt, & conſequens eſt, nempe Syracuſarum aditio, etſi nihil dicerem, per ſe ipſum congrueret: etenim ſive Syracuſæ occurrant ex Malta Romam euntibus, ſive taceat Lucas intermedia loca, & Syracuſas ſtatim poſt Melitam nominet, nihil impedit, quominus Apoſtoli navigium, e Melita Illyricana* Inſp. 8. Diatr. 2. §. 5.

(a) Nempe ſophiſmatum copia, invictæque proterviæ, ac impudentiæ vi.

progrediens, *a breviori* (b) *conſuetoque itinere*, *quo Puteolos*, *Romamque pergitur aliqua de cauſa potuerit in Syracuſas deflectere*. *Qua in inſula fuerit Paulus*, *& ex qua abierit*, *id mihi da*; *omnia dediſti* &c. Verumenivero hoc eſt quod non damus, nec dare unquam poteſt qui acetum habet in pectore. Quidpe jam ſatis ſuperque demonſtravimus, Gentium Doctorem in Inſulam noſtram naufragum adveniſſe, atque hinc fuiſſe profectum: & prius Adverſator efficiet, ut recti ingrediantur cancri, quam obliqua ſua commenta, fallaceſque aſſertiones pulchræ Veritatis amatoribus arrideant. Equidem unde diſceſſerit Paulus vel ex eo potiſſimum perſpicitur, quod inde profectus, Romamque contendens, Syracuſis applicuerit.

§. II. Et quidem non modo in præſentiarum, ſed etiam antiquitus eamdem navigationem atque Paulinam, facere conſueverunt qui e Melita Romam tranſmittebant; ſcilicet ut ex hac Inſula in Siciliam, e Sicilia Rhegium, inde Puteolos, demumque Romam accederent. Id plane evincit P. Bellius, allegans Itinerarium Antonino tributum, atque Svetonium *in Tito*; nec non ſubjungens, adamuſſim convenire cum hoc itinere a Luca deſcripto quæ tradit Chryſoſtomus de poſtremo Pauli Romam adventu. Idem ſentiunt eruditiſſimi Viri, Octavius Cajetanus, Thomas Maſſutius, & Joachim Vadianus. Quorum prior ita ratiocinatur: *Ipſa enim vicinia inſularum Melitæ ac Siciliæ*, *Paulique Apoſtoli navigatio ex Melita in proximam Siciliam ſatis rem probat*. *Quorſum enim naviganti Romam ex Melita*, *Illyridi adjacente*, *Syracuſas eundum erat*, *quæ illi a læva*, *imo a tergo*, *ac longe diſſitæ*? *Certe quidem ab re navigatio fuiſſet*; *nam ex Epiro recta navigandum ad extremam Italiam*, *quæ illi a fronte*, *fauceſque freti Siculi*, *Syracuſis retro relictis*.

P. Belli Glor Meſſan. lib. 2.

Cajet. Iſag. c. 19.
Maut Vit. S. Pauli l. 11 c. 10.
Vadianus Epit. trium ter. part.

§. III. Profecto ſi e Meleta ſolviſſet Pauli navis, brevius iter carpſiſſet, non vero deviaſſet in remotiores Trinacriæ portus, qualis eſt Syracuſanus: præſertim quod Julius Centurio, ejuſque milites, ac vincti adeo longæ ac ærumnoſæ navigationis, necnon trimeſtris in Inſula moræ tædio non parum erant affecti. Hujuſmodi difficultatem bene advertit noſter Veterator, eamque enodare conatur

(b) Ita plane a conſueto itinere deflectere amat Adverſarius, ut inſolentes aſſertiones ſuas tueatur.

natur *ſuſpicaci illo ac meticuloſo ritu*, quo Fautores noſtros (a) reponere aſſuetos ipſe dictitat. *Forte* (is ait) *& grave negotium avocabat Syracuſas, cui & conficiendo poſtea tres illi dies impenſi. Forte & tutius in navi aſſervatum iri vinctos videbat* (Centurio) *quos ſummo ſtudio* (b) *ſibi traditos, commendatoſque acceperat* &c. Porro heic, ut & alibi, aranearum telas ille perrexit. Etenim quod unquam negotium Syracuſis peragendum erat Centurioni, una cum ſuis militibus, vinctiſque, Romam quam citius pervenire curanti? Si vero id negotium ad nautas, naviſque dominos pertinebat, haud tanti eſſe illud poterat, ut Centurionis Cohortis Auguſtæ, ac proinde ipſius Cæſari negotio eſſet præponendum: & maxime quod Julius magnam 200. animarum catervam ſecum adducens, & magna pecunia navim conducere debuerit: ita ut præcipuum navis negotium fuerit lucrari adeo pingue naulum, & per conſequens potior ejus cura tam multos vectores ad Puteolanum portum evehere. Quo facto, ſi nautis negotium aliquod Syracuſis conficiendum eſſet, has in reditu accedere potuiſſent.

§. IV. Quod ſi autem ejuſmodi negotium fuiſſet cauſſa longioris & obliqui itineris, de ipſo quidem mentionem feciſſet accuratiſſimus Lucas, ſicuti in eadem Apoſtolica Hiſtoria facere conſuevit. Nempe *Act. cap.* 21. ita loquitur: *Cum apparuiſſemus autem Cypro, relinquentes eam ad ſiniſtram, navigavimus in Syriam, & venimus Tyrum: ibi enim navis expoſitura erat onus*. Vides ut cauſſam ille aperiat, cur Tyrum adiverint? Vides ut enucleate ſignificet, quando nautarum negotio navis aliquorſum adpulerit? Eumdem morem ſervaſſet divinus Hiſtoriographus, ſi Pauli navigium ad aliquod negotium peragendum Syracuſis applicuiſſet. Quid quod ipſe Adverſarius & in hoc ſibi repugnat, nobiſque vel invitus aſſentitur? Nimirum alibi fate- Inſp. 8 Diacr. 1. §. 5.

 tur,

(a) Ita plane Adverſarius ulteriorum ſibi familiarium nos inſimulare non erubeſcit. (b) Unde autem colligit Adverſator *ſummo ſtudio* commiſſos fuiſſe Paulum alioſque vinctos Centurioni? Equidem in Sacro Textu hujuſmodi ſtudii inculcatio minime habetur: ſed hæc dumtaxat leguntur: *Ut autem judicatum eſt navigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis cuſtodiis Centurioni nomine Julio cohortis Auguſtæ, aſcendentes navem Adrumetinam* &c. Si vero *ſummo ſtudio* traditæ ſunt Julio cuſtodiæ, ut eas Romam adduceret; cur illum per alias longinquas regiones deviare facit Adverſarius.

tur, *credibile eſſe, navem Alexandrinam a Centurione conductam, ipſum ſociſque non quo itura erat, ſed quo jubebatur, vexiſſe*. Qui ergo nunc ipſe adſeverat, eamdem navim ob ſuum negotium Syracuſas adituram fuiſſe; quandoquidem Julius cum ſua cohorte, ac vinctis Romam feſtinanter contendebat?

§. V. Neque vero difficile ei fuiſſet aliquod aliud navigium negotiis expeditum nanciſci in Melituſio, aut vicino portu Epidauritano, ſi ea navis Alexandrina recta Puteolos ipſum evehere non potuiſſet. Quidpe nedum Epidaurus, ſed etiam *Meleta*, ſi Adverſario (*a*) credimus, illo ævo florebat, tutiſſimis portubus inſtructa, & navigiis cujuslibet nationis frequentata. Equidem in Lycia navim transfretantem in Italiam, non vero ad aliam remotiorem plagam, teſtante Luca quæſivit Centurio, eamque nactus una cum ſua caterva ipſam conſcendit. Ni malimus cum Theodoro Beza, aliiſque eruditis viris aſſerere, quod ille cum ſua caterva & vinctis in aliquod e proximis Italiæ litoribus, &, præ ceteris, ad Brunduſinum portum adpellere debuerit: indeque terreſtri via Romam contendere. Et quidem illa ætate Brunduſinus portus omnibus, & maxime Romanis, ex Illyride in Italiam navigantibus peropportunus videbatur atque erat: illuc enim eodem flatu accedere, ac ſolvere navigia poteraut, ut auctor eſt. Zonaras apud Sigonium. *Deinde* (inquit) *Calabriæ arma intulerunt* (Romani) *id crimini dantes, quod Pyrrhum hoſtem recepiſſent, & ſocios ſuos vocaſſent; ſed revera, ut Brunduſium ſubigerent, & inclyto portu inſtructum, & ad trajiciendum ex Illyrico, & Græcia adeo commodum* (*b*), *ut eodem vento in portum accedere, & ſolvere portu liceret* &c. Quod etiam ante illum innuit Strabo, quum dixit: *Unde fit, ut qui rectum tenere curſum* (*c*) *poſſunt ad Hydruntem, relicta Saſone ad Lævam deferantur: ideque ſecundo vento expectato, ad Brunduſinos adpellant* (*d*) *portus*.

[Margin notes: Theod. Beza in Act. c. 28. — Carol. Sigon. in comment. ad Faſt. & Triumph. Rom. — Strab. l. 6.]

§. VI.

(a) Id eſt Adverſarii ſomnium: ſiquidem ea Inſula tunc temporis erat inculta ac deſerta, ut exponebam *in Diſſert.* 8. §. 21. & *ſeqq.* (b) Et tamen vult Adverſarius, ut tanta commoditate poſtpoſita Syracuſas uſque deviaſſet Centurio, ſi ex Illyrica Inſula ſolviſset. (c) Sicut Julius poterat, quem navis Alexandrina *non quo itura erat, ſed quo jubebatur*, ut fatetur. Adverſarius, evexiſse creditur. (e) *Brunduſinos portus* is dicit, quod unico ore plureis portus Brunduſinus ſinus concludat.

Digitized by Google

§. VI. Profecto per celebrem viam Appiam, qua utebantur Romani, quum non eſſet tuta navigatio, ſatis commode, ac ſecure Urbem adire poterant Centurio, ejuſque Milites, atque Cuſtodiæ; ſiquidem illa, referentibus Strabone, & Aur. Victore, a Brunduſio Romam uſque lapide ſtrata erat, ac teſtante Procopio, tanta latitudine patebat, ut *plauſtra duo ex adverſo invicem occurrentia libere hac poſſent pervadere*. Et quidem Romanæ eloquentiæ Parens, poſtquam e Sicilia diſceſſerat, *iter a Vibone Brunduſium petere contendit, nam maritimos curſus præcludebat hyemis magnitudo*; & inde mari Dyrrachium petivit, ut ipſemet affirmat. Sed prætermiſſis tot tantiſque teſtimoniis, Adverſarium rogo, ut ſibi in mentem reducat, quæ de Naſonis itinere ipſemet aſſerebat. *Roma igitur* (inquit) *feſtine digreſſus Naſo, emenſaque, ut reor, Appia, atque obtento Brunduſio, inde arripuerat maritimum iter eo viæ ordine, qui Romanis in Orientales plagas abeuntibus ſolemnior erat*. Cur ergo alium viæ ordinem fuiſſe a Centurione ſervandum ipſe autumat, ſi a Dalmatenſi Inſula Italiæ obverſa, proximaque ille diſceſſiſſet?

Strab. l. 5. Vict. de Vir. Ill. n. 34. Procop. lib. 1. bell. Goth.

Cicer. in Orat. pro Cn. Planc.

Inſp. 2. Diatr. 3 §. 4.

§. VII. Neque enim Centurionis, ejuſque militum animos occupare debuerit timor, quo afficiendos eos fuiſſe vult noſter Antagoniſta: qui nempe aſſerit, illos rite vereri potuiſſe, ne in terreſtri illo itinere fugam arriperent Cuſtodiæ. Etenim loca, per quæ tranſire ipſi debebant, Romanis erant ſubjecta, ſatiſque tuta: nec quidpiam tale inermes homines, vinctique ſub totius Auguſtæ Cohortis oculos, ac poteſtatem audere poterant. Verumtamen Centurioni ejuſque militibus magis timendum erat Siculienſe pelagus, in quo binas claſſes, ut alias diſſerebam Romani perdiderant; præter aliam, quam ad Palinurum iidem amiſerant. Fretum quidem Mamertinum, Scyllæ, & Charybdis periculis obnoxium, adeo formidabile erat antiquis, ut illud vel in portu metuerent ac perhorreſcerent Nautæ; ſicut cecinit Tragicus:

Sic ubi ex alto tumuere fluctus,
Brutium Coro feriente pontum,
Scylla pulſatis reſonat cavernis,
Ac mare in portu timuere nautæ.

Sen. in Thyeſt Act 3. v. 578.

Itaque illi ſatius duxiſſent in proximum Brunduſii portum adpellere; indeque commodum, tutumque terreſtre iter carpe-

pere; quam ponro adeo formidabili ſeſe committere : quod ſane transfretati nequaquam eſſent, niſi ex Inſula noſtra ſolviſſent, & per conſequens ipſum tranſmittere neceſſario debuiſſent.

§. VIII. Præterea ſi e Dalmatenſi Inſula Pauli navis profecta eſſet, in adeo longa navigatione alicui e tot portubus, queis utraque ora frequentatur, adplicuiſſet : necnon plurima Promontoria, urbeſque circumlegiſſet : quæ ſilentio minime involviſſet Apoſtolicus Hiſtoriographus. Neque enim audiendus eſt Adverſarius, quum parvam Syracuſarum a *Meleta* diſtantiam, ac ſequundos ventos cauſſetur, quibus *uno impetu, & abſque ulla deflexione* Syracuſas adpellere Pauli navim potuiſſe adſeverat, addens, eam *validiſſimo vento facile abreptam in Siciliam, divertere aliquorſum* nequiviſſe : idque confirmare ille conatur exemplo violentæ illius e Creta navigationis, qua *per tredecim totos dies portum non attigere* quicum Paulo navigabant. Non eſt, inquam, audiendus iſte Nugator : quandoquidem de *validiſſimo* iſto flatu, cujus impetu impulſam Apoſtoli navem Syracuſis allapſam fuiſſe ille autumat; nullum verbum facit Lucas, qui hæc dumtaxat profert : *Et cum veniſſemus Syracuſas, manſimus ibi triduo*. Si tamen iſta navigatio flatus violentia adeo celeriter, ut ſomniat Adverſator, peracta fuiſſet; id quidem innuiſſet divinus Hiſtoriographus; ſicuti procelloſum flamen, quo e Cretæ oris ad Melitam abrepta illa fuerat, ipſe non reticuit. Quinimo ex ipſiuſmet verbis elici poteſt, eam navigationem fuiſſe tranquillam proſperamque : non enim is inquit : *Abrepti* ſeu *impulſi* fuimus; ſed ait : *venimus Syracuſas*. Neque vero nobis refragatur Adverſarii lectio; nempe *devecti Syracuſas* : Etenim ſequundo & pacato melius quam violento & procelloſo flatu vehitur navigium. Quamobrem ex ejuſmodi vocabulo elicere incaſſum ille conatur, quod Pauli navis impetuoſo flatu fuerit impulſa, ideoque ex intimo Illyrico Syracuſas brevi advenerit.

§. IX. *Verum* (ille ſubjungit) *& ſi aliquo deflexerunt, quid tum ſi tacuit Lucas? Referre digna relatu ſeduli Scriptoris eſt, & divini Hiſtoriographi ſedulitati nil deperit, ſi locum quo forte appulere, ignobilem ſilentio præteriiſſe dicatur*. Heic vero noſter Criticus ſuo ipſius laqueo capitur. Quidpe ſi Lucæ diligentiam dedecebat ſilentio involvere lo-

ca

ca non ignobilia, nequaquam ipſe reticuiſſet loca per quæ ipſis tranſeundum eſſet, ſi ex Illyrica Inſula Syracuſas acceſſiſſent: namque nobiliſſima & celeberrima ea ſunt, ut mox ediſſeram. Quid quod idem Evangeliſta uſque ab initio ſuæ navigationis loca vel obſcura, & adhuc ignota recenſere conſuevit? Quis enim locum illum unquam novit, quem vocatum eſſe *Boniportum* affirmat? Eſt-ne in tota Italiæ, ſive Illyridis ora locus illo ignobilior? Et tamen illum miſſum facere noluit ſedulus iſte Scriptor. Qui ergo cenſeri poteſt, quod ipſe tacitus prætermiſerit tot celebres Italiæ urbes, tot inclyta & excelſa Promontoria, vel lyppis internoſcenda? Nonne *relatu digna* Brunduſium, Aletium, Hydrus, *(a)* Minervæ Caſtrum, Salentinum Promontorium, totuſque cum præclaris opidis ſuis Tarentinus Sinus, ac tria Japygum Promontoria, necnon Cocintum, & Zephyrium, & inter utrumque diffuſus Locrenſis Sinus, & ſexcenta alia illuſtria loca, quæ totum illud Italiæ latus coronant? Ita forte opinatur noſter Criticulus, ſed non ita judicant naris emunctæ Scriptores. Præ aliis audiatur Thomas Maſſutius. *Quanam ratione* (hic ait) *ex Dalmatico illo mari ad Siculum navis Alexandrina delata eſt, ut, ſicut ait S. Lucas, veniret Syracuſas? Niſi rurſus adverſo aliquo vento, de quo nihil indicat Sacer Hiſtoricus, rejecta fuiſſet? Quid quod ab Illyrica Melita retrocedentes, ut ad fretum Siculum iterum devenirent, longum Italiæ tractum, & Oppida plurima circumlegere debuiſſent, nempe Brunduſium, Hydruntum, & trajecto Sinu Tarentino, Crotonem, Scylacium, Locros, (b) Herculis Promontorium, Leucopetram; de quibus nihil indicat S. Lucas, cum tamen aliorum locorum, quæ prius per varia littora Cretæ, Ciliciæ, Pamphiliæ, Cypri, Syriæ adnavigaverant, exactam faciat mentionem. Nec ulla erat neceſſitas, ſed maximum incommodum, ut inde venirent uſque Syracuſas: quoniam tractu multo breviori Puteolos, quo tendebant, ire commodiſſime potuiſſent. At e Melita Siculi maris, ut Puteolos, ſicut fecerunt,*

Th. Maſsut. in Vit. S. Paul. lib II. c. 10.

(a) Ab Idomeneo Cretenſi conditum, vulgo *Caſtro*. (b) Adverſarius alibi miratur, quod Herculis ac Junonis delubra, quæ in hac Inſula erant, ſilentio involverit Lucas; atque hinc argumentum negativum in nos ille conficit: & tamen ille ipſe modo vult, eumdem Lucam præterire debuiſse celebre id Herculis Promontorium; necnon Lacinium, Templo Junonis Laciniæ clariſſimum.

runt, *appellerent*, *rectiſſimo curſu navigare Syracuſas debuerunt*.

§. X. Quinimo non ſolum ea loca prætermiſit Lucas, verum etiam ſuo loquendi modo, cujus proprietatem alibi miratur noſter Antagoniſta; ſatis aperte ſignificat, Inſulam e qua tunc illi diſceſſerant, Syracuſis proximam fuiſſe, uti eſt noſtra Melita. Vix enim dixerat, ſeſe ex hac Inſula ſolviſſe, quum illico Syracuſas perveniſſe ſubjunxit. *Profecti Melita devenimus Syracuſas*. Heic autem noſter Antagoniſta, qualis & quanta ſit ipſius impudentia & pervicacia, omnibus patefacit. Nimirum, ut hujuſmodi ſcopulum effugiat, ad Lucæ genus, Hebraicoſque loquendi modos

Inſp. 3. Diatr. 2. §. 10. ipſe confugit. *Lucas* (inquit) *genere Judæus* ....: *utitur quadam interdum ex gentis ſuæ ritu expeditiſſima* (a) βραχυλογία, *ita ut*, *dum rem compendiario tradit*, *quæ remota ſunt*; *videatur invicem admovere*. At o Tergiverſator optime, nonne hic Lucas ille idem eſt qui (b) *Græcus Græcis Græce ſuam ſcripſit hiſtoriam?* Itane ipſum, prout tibi arridet, ex Græco Judæum facis, rurſus e Judæo Græcum facturus?

§. XI. Ut autem Hebraica breviloquentia uſum ibi fuiſſe Lucam, ipſe, quomodo poſſit, confirmet; duo producit exempla: Unum *ex Act. c.* 14. ubi hæc leguntur: *Tranſeuntes* (Paulus & Barnabas) *Piſidiam venerunt in Pamphiliam*, & *loquentes verbum Domini in Perge*, *deſcenderunt in Attaliam*, & *inde navigaverunt Antiochiam*, *unde* &c. Alterum vero ex *Machab. lib.* 1. *cap.* 12. ubi hæc habentur: *Elegit* (Jonathas) & *miſit eos Romam*, *ſtatuere* & *revocare cum eis amicitiam*: & *ad Spartiatas*, & *ad alia loca miſit epiſtolas ſecundum eamdem formam*: & *abierunt Romam*, & *intraverunt Curiam*, & *dixerunt* &c. Verumtamen quid aliud hinc elicere poteſt noſter Sophiſta, niſi quod tum Lucas, tum Hebraicus Scriptor quædam itinera compendiario enarrare voluerint? Ergo-ne Sacer Evangeliſta in deſcribendo Pauli e Melita profecti itinere ſimili breviloquentia uti debuit? Haud arbitror. Etenim in præallatis exemplis neuter Scriptorum exactam minutamque illorum itinerum

(a) *Breviloquentia*. (b) Ita plane inquit Adverſarius *Inſp.* 2. *Diatr.* 4. §. 31. *Nam evidentia teſte Græcus* (Lucas) *Græcis Græce ſuam conſcripſit hiſtoriam*: necnon *in Diatr.* 5. *ejuſdem Inſp.* ait: *Utique Lucas non Arabibus* (ſed neque Judæis) *Acta Apoſtolica*, *ſed Græcis ſcripſit*.

Digitized by Google

rum deſcriptionem adornat. Lucas autem in *Capp.* 27. *&* 28. *Act. Apoſt.* Pauli navigationem ab ovo, ut ajunt, uſque ad mala, non quidem curſim ſtrictimque, ſed fuſe, ac minutim deſcribere inſtituit; itaque loca omnia & ſingula, per quæ tranſierat, recenſuit; ut cuicumque ea capita leget, conſtare poterit. Mecaſtor belle egiſſet facer iſte Hiſtoriographus, ſi, ut contendit noſter Zoilus, unam eamdemque narrationem Græcanico ritu inchoaſſet, & Hebraico abſolviſſet! An-ne Lucas, cujus prudentiam, loquendi proprietatem, omnigenamque eruditionem, ille toties inculcat, nunc inciderit in Horatianum illud:

Horat. de Art. Poet.

. . . . Amphora cœpit
Inſtitui, currente rota cur urceus exit?

Sed jam noſter Antagoniſta ſeſe *nugas cudiſſe meracas* advertit: ideoque ad alia commenta fruſtrationeſque confugit: perindeque ac ſi in holmo cubaverit, divinare incipit: Nimirum ſe vehementer ſuſpicari aſſerit, Syracuſas, quas adivit Apoſtolus e Melita diſceſſus, haud fuiſſe *Archimedæas* illas, ſeu *Dionyſianas*, nempe Sicilienſes. Papæ! Rem quidem magnam ille profert. Quænam igitur illæ fuerunt? Qui ſcire hoc exoptat, neceſſum eſt ei, ut multa ea apprehendat, quæ ad ſuſtentandam hujuſmodi aſſertionem congerit, effunditque verboſiſſimus noſter Impoſtor. Attamen ego in gratiam mei Lectoris, præcipuas ejus rationes paucis complectar. Priſca ætate tum Græcis, tum Barbaris uſitatum fuiſſe ille dictitat, ut ſi quas colonias, aut urbes in longinquis regionibus ipſi conderent, eas Patriæ ſuæ nomine inſignirent. Duobus exemplis id confirmare conatur, videlicet Epiroticæ Trojæ ab Heleno Trojano, & Illyricæ Paros a Pariis conſtructæ. Subnectitque Syracuſanos tam in ſinu Veneto, quam in Magna Græcia, & Epiro plurima condidiſſe, ac reſtauraſſe opida, & præ aliis Anconem, atque Adriam; Tragurium, & Epetium; necnon totum illius Illyridis tractum Iſſæ inſulæ obverſum (in quo hæ duæ urbes conditæ erant) uſque ad Flumen Tilurum, Siculotarum nomen geſſiſſe. Denique concludit, incredibile eſſe, Syracuſanos nullum ex tot Opidis, aut portubus a ſe conſtructis de Patriæ nomine nuncupaſſe: proindeque Syracuſas, quibus Pauli navis applicuit, aliquam ex ejuſmodi urbibus fuiſſe autumat, ab exteris gentibus Syracuſarum nomenclatione appellatam, *propterea quod a Syracuſiis in-*

coleretur. Adverſarii divinationem audiſti? Non-ne ille, ut eſt in parœmia, in aere piſcatur? Quis enim ſive Græcus, ſive Latinus Scriptor litteris unquam mandavit, in Illyrico ſinu, aut Italiæ fronte, ſeu Græciæ oris urbem aliquam extitiſſe Syracuſarum cognomento inſignitam? Nullus ſane, nullus; neque id inficiatur noſter Antagoniſta.

§. XIII. En igitur qui ſeverum in nos Criticum agit! Is nempe aſſertiones noſtras redarguit, utut gravium Auctorum ſententiis conſonas: imo & ipſos Auctores nobis faventes, modo ut recentiores, modo ut oſcitantes incautoſque contemnit, reſpuitque: deinde ille ipſe Lectori ſuo ſuadere affectat, quæ nec ratione, neque ulla auctoritate confirmari poſſunt. Quam vero nunc ille exultaret, ſi penes noſtrum Ptolemæum, vel Pauſaniam, imo & apud Procopium illis multo recentiorem, invenire poſſet locum aliquem ſive Calabrum, ſive Græcum, Syracuſarum cognomento appellatum! Sed ille reponit, & neminem veterum Scriptorum, præter unum Lucam, in Creta inſula *Aſſon* urbem, Thalaſſam Civitatem, & Bonos-portus recognoviſſe: ideoque mirandum haud eſſe, ſi unus itidem Lucas de Calabris, ſive Græcis Syracuſis, quarum nulli meminere Scriptores, mentionem ſecerit. At iſte Tergiverſator prius urbem in nubibus cum Ariſtophane ſtatuere poterit, quam in Magnæ Græciæ, ſive Epiri litore ſomniatas ſuas Syracuſas.

§. XIV. Equidem idem argumentum in illum ipſum retorquere poſſem hoc pacto: Apoſtolicus Hiſtoriographus in Creta Inſula loca quædam agnovit Scriptorum nemini cognita; quid ergo mirum ſi unus itidem Lucas in Siculo mari Adriam recognoverit, quem a nullo veterum Auctorum heic eſſe recognitum ille contendit? Sed audire mihi videor illum reſpondentem, fere omnes (quod vero ſatis abunde prioribus quinque diſſertationibus impugnavi) antiquos Scriptores Adriam in hodierno ſinu Veneto conſtituiſſe. Ego autem verius reponam, omnes cum veteres, tum Neotericos Auctores Syracuſas in Sicilienſi litore agnoviſſe.

§. XV. Verumtamen demus, quod in Illyrico, vel magna Græcia, ſive Epiro aliqua urbs olim extiterit a Syracuſanis condita, & Syracuſarum appellatione indigitata; haud

haud ſane adeo clara celebriſque illa fuerit, ut Siculæ Syracuſæ, ab Oratorum Principe hiſce laudibus illuſtratæ: *Urbem Syracuſas* (is inquit) *maximam eſſe Græcarum urbium, pulcherrimamque omnium ſæpe audiſtis. Eſt, Judices, ita ut dicitur: nam & ſitu eſt cum munito, tum ex omni aditu vel terra, vel mari præclaro ad aſpectum: & portus habet prope in ædificatione, aſpectuque urbis incluſos: qui cum diverſos inter ſe aditus habeant, in exitu conjunguntur, & confluunt. Eorum conjunctione pars Oppidi, quæ appellatur Inſula, mari disjuncta; anguſto ponte rurſum adjungitur. & continetur. Ea tanta eſt urbs, ut quatuor urbibus maximis conſtare dicatur.* Ipſa quidem Sicularum urbium olim Princeps ac Metropolis audiebat, ut teſtantur Valerius Max. & Solinus apud Fazellum. Nunc ſibi redigat in mentem Antagoniſta noſter ea, quæ recte, ſed minus appoſite diſſeruit *in Inſp.*4. *Diatr.*2.*ſ.*4. ubi ſic inquit: *Is enim ejus* (D. Lucæ) *mos eſt in memorando loca celebria, ut exemplis vel ex hac ipſa Pauli navigatione accitis evincitur;* Devenimus Sidonem: cum deveniſſemus contra Gnidum: Adnavigavimus Cretæ: Devenientes Phœnicem &c. *moxque* venimus SIRACUSAS, Rhegium, Puteolos, Appii Forum, tres tabernas, Romam. *Contra prorſus ignota ſic memorat:* Venimus in locum quemdam qui vocatur Boniportus: In Inſulam autem quamdam decurrentes quæ vocatur Cauda &c. Igitur vel ex ipſo loquendi modo Apoſtolici Hiſtoriographi, qui nempe non ait: *Cum veniſſemus in quamdam urbem, quæ vocatur Syracuſas;* ſed ſimpliciter inquit: *Cum veniſſemus Syracuſas;* vel ſecundum ipſius Adverſarii mentem evincitur, Syracuſas a Luca memoratas haudquaquam fuiſſe urbem Scriptoribus ignotam, ut ſomniat Adverſator, ſed celebrem illam *Archimedæam*, *Dionyſianam*, a Tullio, Valerio, Solino, aliiſque antiquis Auctoribus laudatam, cujus celebritas nedum apud Græcos, ſed & apud Romanos increbuerat, ut idem Tullius adſeverat.

Cic. Verr. 6.

Th. Fazel. Dec. 1. l. 4. c. 1.

§. XVI. Et quidem prudentiſſimus Evangeliſta, ſi præter notiſſimam hanc urbem, ævo ſuo alia extitiſſet eodem cognomento inſignita, eamque indicare voluiſſet; proculdubio aliquod appoſuiſſet additamentum, quo Apoſtolicæ Hiſtoriæ Lectores internoſcere poſſent, cujuſnam e duabus urbibus, una eademque nuncupatione indigitari ſolitis,

mentionem ipſe fecerit : præſertim quod (nulla adjecta nota) prævidere omnino is debuiſſet, ab omnibus , & ſane recte intellectum iri, ſeſe Trinacriæ urbis, quæ & clara, & Melita Romam euntibus proxime occurrit , mentionem facere voluiſſe. Abſit, ut tantam prudentiam in divino iſto Scriptore non agnoſcamus : nobis quidem ipſe Adverſarius ſuccenſebit, qui acriter nos reprehendere conſuevit, quum ſibi, ceteroqui allucinato , videamur aliqua imprudentiæ, vel oſcitantiæ nota illum inurere.

§. XVII. Hactenus divinavit , nunc vero delirare incipit noſter-Antagoniſta. Scilicet ipſe dictitat, *τὸ Syracuſam* in *Act. cap.* 28. mendoſe irrepere facillime potuiſſe pro *Ericuſa*, Inſula Epiro adjacente, quæ ex Illyride Rhegium verſus tranſmittentibus occurrit; vel pro *Racuſio portu* ſito in ſinu Amantino, qui eſt juxta *Fauces Adriæ , e Melita Illyrica Rhegium navigantibus opportuniſſimus , ex adverſo inſulæ Saſonis*. Enimvero Criticus noſter ignorare videtur quid diſtent æra lupinis : quid enim (a) Racuſio portui , & Syracuſis urbi commune? Et quidem quum hujuſmodi commentum , ſeu fruſtrationem cuidam erudito viro , magna mihi neceſſitudine conjuncto ſignificaſſem; protinus in vehementem riſum iſte effuſus eſt ; ita ut mirabundus ei dixerim : Qui tu cachinnaris ! Septem ab hinc annis mihi tecum eſt familiaris conſuetudo ; nec unquam mihi ſors obtigit, ut te ridentem viderem : nempe adeo melancholicum te natura effinxit, ut ab ore tuo riſus exularet . Bene ſit Antagoniſtæ noſtro , qui a te riſum excutere potis fuit. Tum ille mihi: Ecquis, amabo, non rideret tam facetas audiens offucias, cavillationeſque, quæ vel Heraclito riſum concitare potuiſſent. Equidem tali pacto Adverſarius veſter efficiet, ut e ſacris Literis eliciet quidquid ſibi lubebit. An-ne ipſe in Autographo ſuo Codice, quem Vulgatæ Verſioni præponere quodammodo videtur , *τὸ Ericuſam* , vel *Racuſium portum* invenerit ? Cui ego repoſui , nihil ibi tale reperiri: ſiquidem hæc ſunt , quæ in eo leguntur: Καὶ καταχθέντες ἐις Συρακούσας ἐπεμείναμεν ἡμέρας τρεῖς: *Et devecti Syracuſas, manſimus dies tres*. Quinimo omnes *Act. Apoſt.* Codices, editiones , Verſioneſque idem vocabulum, ideſt *Syracuſas*, habent.

§. XVIII.

(a) *Syraco* pro *Syracuſis* legebatur apud Epicharmum, referente Strabone l. 8. *Ericuſam* vero , & *Racuſium portum* pro Syracuſis nemo unquam accepit.

§. XVIII. Qua igitur fronte noſter Ariſtarchus nobis audet objicere, quod Scripturas detorqueamus? Quonam jure Abelam noſtrum ipſe objurgat, quod pro *Adria* Arabicum *Hadrair* fuerit amplexus? Quandoquidem vox iſta denotat mare procelloſum & periculoſum æque, atque Adriam; legiturque in Arabico Textu e Ven. Collegio Propagandæ Fidei ad ipſum miſſo, & ab eruditiſſimo noſtro Dominico Macro latinitate donato. Adverſarius autem nullius Scriptoris teſtimonio aſſertionem ſuam corroborat. Quinimo S. Scripturæ ſenſum ipſe adeo detorquet, ut ferme infidelitatis ac ſuperbiæ nota inurendus videatur. Etenim, ut inquit D. Baſilius, *eſt manifeſtiſſimum infidelitatis argumentum, ſignumque ſuperbiæ certiſſimum, ſi quis eorum, quæ ſcripta ſunt, aliquid velit rejicere, aut eorum, quæ non ſcripta ſunt introducere*. Non abſimilia habet Hieronymus *in Eſai. cap.* 19. Profecto hujuſmodi fruſtrationibus uti non decet virum Orthodoxum; ſed eas Hæreticis utendas relinquere oportet. Et quidem ejuſmodi artibus gaudet Martinus Lutherus, de quo ita conqueritur Ambroſius Catharinus: *Sed putamus* (inquit) *etiam hic lubrico homini deeſſe aliquas ejuſmodi lubricas expoſitiones? Opinor enim fortaſſis: per figuram aliquam animoſe contendat, quod noluit Gregorii nomine Gregorium intelligere, ſed Eugenium, aut quemcumque alium ſuperiorem Canonum Collectorem, & Stabilitorem: ſicut enim tam impudenter contendit, quod Petri nomine non ſignificatur Petrus; & quod verbum Petrus, cum ſignificat Petrum torquetur; quid probibebit enim ſimiliter de hac Gregorii voce dicere?* Pari quidem impudentia, licet (*a*) impari malitia nobiſcum certare conſuevit noſter Antagoniſta, qui modo Syrtim Africanam, quam innuit Lucas, pro quibuſcumque aris, ſeu dorſis e fundo maris prominentibus uſurpat; modo *locum ditbalaſſum* pro Syrti, vel hujuſmodi periculo latente accipit, modoque illum cum iſthmo componit; & nunc *Ericuſam* pro *Syracuſis* ſubſtituendam eſſe ſuſpicatur.

D. Baſil. in Tract. de pia ac ver. Fid.

Ambr. Cathar. in Excuſ. diſp. contra Martin.

§. XIX. Tametſi errorem ipſe ſuum excuſatum habere credit, quum eum transferat in Sciolum illum, qui *Mitilenæ* nomen *in Act. cap.* 28. intruſit. Sed illum ipſum audire

(a) Quippe Martinus ſuis malis artibus repugnat ſacroſanctis Romanæ Eccleſiæ oraculis; Adverſarius vero ſuis offuciis noſtræ tantum ſententiæ reluctatur, licet inique ac inepte.

dire præſtat : *Facillime* (inquit *loc. ſupr. cit.*) *potuit illc ſemidoctus Nugator, qui in hoc ipſo itinere Pauli Melitenem inſulam, ſeu Melitam Illyricam* (*ut in Inſp.* 1. *Diatr.* 2. §. 4. & 5. *abunde expoſuimus*) *in Mitilenæ notius nomen pervertit . Ericuſam quoque minus celebrem in* τὸ *Syracuſam* (*quemadmodum Wulgata præfert*) *depravare* . At miſerrimus iſte Veterator non advertit, ſe puras, ac putas ineptias proferre ! Si enim vera eſſet ejus aſſertio, ſive commentum, ſequeretur, quod *Syracuſarum* nomen non niſi in iis codicibus reperiretur, in quibus & mendoſum *Mitilenæ* vocabulum habetur : Atqui illud vel in optimis exemplaribus, in quibus incorruptum eſt *Melitæ* nomen invenitur; quinimo vel in ipſo Autographo, ab Adverſario producto , legitur : necnon idem retinetur & adprobatur a Vulgato Interprete, qui bene noverit a genuinis ſinceriſque vocabulis mendoſa & vitiata ſecernere. Quis inde Critici noſtri oſcitantiam , ac proterviam non comprehendit? Et quidem ſi ejuſmodi ſuſpicionibus , ſeu verius illuſionibus uti quis vellet, plura locorum nomina, utut germana , e ſacris paginis expungere poſſet . Eo ſane pacto Romæ , Rhegii, Cretæ, Sidonis vocabula ab eodem *Semidocto Nugatore* intruſa dicerentur . Sed nobis abſit quidquam tale proferre, vel ſentire : caveatque noſter Zoilus , ne ingenio ſuo plus æquo indulgens, nobiſque vel in rebus minime controvertendis repugnare ſtudens , a via veritatis aberret.

§. XX. Verumtamen ipſe pertinacius obfirmata mente contendit, divinum Hiſtoriographum de Sicilienſibus Syracuſis haud eſſe loquutum : idque evincere conatur duabus animadverſionibus , quæ primo quidem aſpectu nonnihil ponderis habere videntur , ſed ſi eas æqua judicii lance perpendas, *folio, quod vento rapitur, & ſtipula ſicca* leviores eſſe comperies . Nempe primum ille autographum ſuum producit, in quo legitur : Καὶ καταχθέντες εἰς Συρακούσας ἐπεμείναμεν ἡμέρας τρεῖς : *Et devecti Syracuſas manſimus dies tres* : ὅθεν περιελθόντες κατηντήσαμεν εἰς Ῥήγιον : *Unde circumlegentes deſcendimus Rhegium* . Heic duo ille animadvertit. *Primum* (illius verbis utar, ne me aliquid immutaſſe, vel minus fideliter expoſuiſſe cauſetur) τὸ κατηντήσαμεν εἰς Ῥήγιον , *quod proprie ſignificat* ; *Occurrimus infra exiſtenti Rhegio, vel deſcendimus Rhegium &c. Porro*

in

Digitized by Google

in locorum poſitionibus apud Veteres Auſtrale latus cenſebatur inferius, ſuperius Boreale, itaut qui in Meridianas regiones tenderent, infra progredi dicerentur &c. Proinde ſi e Syracuſio litore recedenti Apoſtolo deorſum navigatio fuit, & Rhegina urbs inferius, ſive in Meridiem occurrebat, abſque dubio ex Adria (*a*) *non e Sicilia proceſſum eſt, nimirum e Septentrionali parte, quæ altior communiter nuncupatur*. Hunc vero nodum expedire facile poterit quicumque mare Tyrrhenum veteribus, imo Neotericis *inferius*; Siculum autem, ſive Jonium dictum eſſe *Superius* non ignorat: ſicut Ciceronis, utriuſque Dionyſii, ſcilicet Characeni, & Halicarnaſſenſis, aliorumque teſtimoniis *in prioribus quinque Diſſertationibus* oſtendi. Idcirco prætermiſſis modo tot Auctoribus a quibus Adriæ, ſeu Superi maris jura Jonio Magno tribuuntur, unius Oratorum Principis verba in Lectoris mentem redigam. *Hæc autem* (inquit) *ut ex Apennino fluminum, ſic ex communi Sapientiæ jugo doctrinarum facta divortia: ut Philoſophi, tamquam in Superum mare Jonium defluerent, Græcum quidem & portuoſum: Oratores autem in Inferum hoc Tuſcum & barbarum, ſcopuloſum, atque infeſtum laberentur*. Quum itaque e Syracuſarum portu, qui hoc *Supero*, Græco, ſeu Jonio mari alluuntur, ſolviſſet Pauli navigium, contendens Puteolos in *Infero*, ſeu Tuſco mari jacentes, recte ſapienterque dixit Apoſtolicus Hiſtoriographus: *Deſcendimus Rhegium*, nempe in mare *Inferius*, in quo Puteolanus portus, ejus navigationis meta, tendentes. Et quidem vere deſcendere dicuntur, qui a *Supero* in *Inferum* labuntur. Ita pariter nobis minime refragatur altera Adverſarii interpretatio; videlicet: *Occurrimus infra exiſtenti Rhegio*: namque recte dicitur ea urbs infra exiſtens reſpectu navigationis Paulinæ ratis, cui e *Supero* mari Syracuſas, ut evincebam, alluente, in *Inferum*, ſeu Tuſcum naviganti, illa occurrebat.

Cic. l. 3. de Orat. c. 19.

§. XXI. Ceterum ſapientiſſimus Interpres Vulgatus nullam habuit rationem ejuſmodi deſcenſus; quippe ea verba ita latine reddidit: *Inde circumlegentes devenimus Rhegium*. Quinimo ipſe Apoſtolicæ Hiſtoriæ Scriptor hujuſmodi deſcenſus, ſive aſcenſus differentiam in minimis duxiſſe videtur:

(a) Nempe ex Adria mutilato ab Adverſario, vel hodierno Veneto Sinu.

tur: ſiquidem eas voces indiſtincte (*a*) uſurpavit. Nimirum licet in *Act. cap.* 21. ab Adverſario allegato, ipſe dixerit: *Nos vero navigatione expleta a Tyro deſcendimus Ptolemaidem*; nihilo tamen ſecius in (*b*) eodem *cap. v.* 12. inquit: *Quod cum audiſſemus, rogabamus nos, & qui loci illius* (Cæſareæ) *ne aſcenderet* (Paulus) *Jeroſolymam*. Et paullo poſt, nempe *verſ.* 15. hæc addit: *Poſt dies autem iſtos præparati aſcendebamus* (a Cæſarea) *in Jeruſalem*. In *cap.* vero 18. *v.* 22. hæc ipſe habet: *Et deſcendens* (Paulus ab Epheſo profectus) *Cæſaream* (*c*), *aſcendit, & ſalutavit Eccleſiam* (*d*) *& deſcendit Antiochiam* (*e*). En qui Apoſtolicus Hiſtoriographus aſſerit, Paulum e Cæſarea Jeroſolymam *aſcendiſſe*, atque ex Jeroſolyma *deſcendiſſe* Antiochiam; quamquam Cæſareæ, ſive Philippi, ſive Stratonis ea fuerit, ad Auſtrum ſita ſit Jeruſalem; & Antiochia Jeroſolymæ ſit Septentrionalis. Unde colligere ſatis poterit Lector meus, quam ineptæ ſint Critici noſtri animadverſiones in ea Lucæ verba: *Deſcendimus Rhegium* &c.

§. XXII. Sed quemdam ſeverioris Judicii Criticum audire mihi videor dicentem: Quid maritimæ navigationi cum terreſtri itinere? Nonne vides, Sacrum Evangeliſtam ſermonem habere de itineribus a Paulo terra factis, modo per montana (*f*), modo per declivia, & humilia loca; quæ nihil habent commune cum navigatione e Syracuſano portu verſus Rhegium, Puteoloſque ab ipſo peracta? Video plane: ſed me, licet invitum, ſeduxit Antagoniſta noſter, qui id non advertens allegavit ea Lucæ verba, quibus hic tra-

(a) Nempe nullo habito reſpectu Borealium, ſive Auſtralium locorum. (b) En qui ex eodem cap. ille allegat quæ ſibi aſtipulantur, reticet vero quæ ſibi refragantur (c) Aliqui putant eam Cæſaream, ad quam Paulus ibi dicitur deſcendiſſe, Metropolim Cappadociæ, vel Diocæſaream in eadem Provincia ſitam: ſed allucinantur; quandoquidem Apoſtolus ea provincia longe ad Septentrionem relicta navigabat, teſte Luca, ad Syriam. Alii itaque credunt eam fuiſſe Cæſaream, prius appellatam *Turrim Stratonis*, ſitamque ad litus maris inter Doram & Joppem. Ego autem cum Thoma Maſſutio arbitror, eam fuiſſe Cæſaream Philippi, ſitam ad radices Libani montis prope Jordanem. (d) Jeroſolymitanam, quam regebat Jacobus frater Domini. (e) Syriæ Metropolim, ut vult Maſſutius, allegans hæc verba Chryſoſtomi: *Tenebatur Paulus humana quadam affectione erga civitatem illam: ibi enim appellati ſunt diſcipuli Chriſtiani: ibi traditus eſt gratia Dei: ibi negotium dogmatis abſolvit*. (f) Uti eſt Jeroſolyma, quæ quum ſit in altiori illius regionis loco poſita; ideo Lucas ait, ſe illam aſcenſu petiviſſe, ab eadem vero ad Antiochiam deſcendiſſe &c.

Digitized by Google

tradit ſeſe a Tyro deſcendiſſe Ptolemaidem; quandoquidem iter iſte, ſive deſcenſus, haud mari, ſed terra fuit factus, &, ut ait ipſe Lucas, *navigatione expleta*. Mihi vero Adverſarium terraque, marique profligare prorſus arridet. Equidem ibi divinus iſte Scriptor dicit, ſe a Tyro *deſcendiſſe* Ptolemaidem; quoniam (*a*) Tyrus eſt urbs in eminentiore loco poſita, (*b*) Ptolemais vero in litore jacet, ideoque deſcenſu petitur ab iis, qui a Tyro ad hanc urbem progrediuntur. Itaque ſi Adverſarius inhærere velit ſuæ interpretationi, Paulinæ ratis e Syracuſis Puteolos contendentis *deſcenſum* exprimenti; haud ei diutius reluctabor; quandoquidem, ut ſupra exponebam, navis e Supero in Inferum mare tendens, deſcendere recte dicitur.

§. XXIII. Secundo ille animadvertit τὸ περιελθόντες, *circumlegentes*, ut reddit Vulgata, ſeu *circumvenientes*, ut ipſe vertit! Atque ita ratiocinatur, ne dicam, cornicatur. *Si e Siculis Syracuſis tendas Rhegium, perſpectum eſt, quod nuſquam hic circuitus*, (nota captioſam emphaſim) *vel flexus memorabilis occurret, nam recta pergitur, ut ex Tabulis Geograph. patet &c. Contra autem manifeſte videtur e Dalmatica Melita, & Adriaticis Syracuſis* (*ubicumque* (*) *illæ fuerint*) *ſolviſſe Apoſtolum: quippe ex Adria Rhegium euntibus, Italiæ frons, maximeque extremitas, Zephyrii ſcilicet promontorii umbo, & Brutia ora eſt circumeunda* &c. Sed ille a doctiſſimo Geographo Joachim Vadiano cauſſam ediſcat, cur D. Lucas, e Sicilienſibus Syracuſis Rhegium ſeſe *circumlegentes* perveniſſe dicat. Nempe Scriptor iſte *in trium terræ* partium Epitome, ubi de mediterranei maris Inſulis agit, ejuſmodi difficultatem ſapienter enodat his verbis: *Ea vero urbs* (Syracuſæ) *petenda erat in Melitam jactatis, & Siculum Fretum circumeundum; donec Rhegium appelleretur. Unde & a Luca* περιελθόντες, *hoc eſt, circumlegentes dictum, quod ab itinere eſſet deflexum. Epirum enim legebant, qui ab Oriente veniſſent, atque inde trajecto Adriatico ſecundis ventis Rhegium petebatur. Inde freto*

(a) Urbs rupi altæ impoſita, Incolis *Sur* dicta, in Sacris Literis *Zor*. Tyrii fideles Apoſtolum Jeroſolymas abeuntem, una cum uxoribus ac liberis ad litus uſque proſequuti ſunt. (b) Phœniclæ urbs, in Sacris Paginis *Acon*, hodieque *Accon* dicta, quæ in diſtributione terræ aſſignata fuit Tribui *Aſer*. Ad Septentrionem centum ſtadiis ab ea eſt mons, *Scala Tyriorum* dictus.

(*) Fortaſſis in Adria Mundi Platonici, vel cujuſpiam alterius, quem ſomniaverit Adverſarius.

ſuperato Puteolos navigabatur. *Svetonius in Tito*, *quare*, *inquit*, *feſtinans in Italiam*, *quum Rhegium*, *dein Puteolos oneraria navi appuliſſet*, *Romam inde contendit expeditiſſimus*. Idem ſane iter tenuit Imperator Galba ex Alexandria Romam contendens.

§. XXIV. Reclamat vero noſter Contradictor, contenditque Pauli navigium, ut pote magnum, periculoſam litorum viciniam evitare, mediumque per mare tenere iter debuiſſe. Nec non ipſe addit, quod, ſi Apoſtoli navis propius Sicaniam oram legiſſet, occurrenti ſibi Meſſanenſi portui, non vero Rhegino applicuiſſet. Aſt o Criticum oculatiſſimum, qui videre ſeſe putat, quæ meliores Geographi nequaquam adverterint! Ergo-ne prælaudatus Vadianus aliique rerum Geographicarum, Nauticarumque peritiſſimi ignorabant, quodnam iter fuiſſet tenendum Pauli navigio e Syracuſis Rhegium tranſmittenti; quantumque nocere ipſi potuiſſet litorum vicinia? Id quidem illi callebant: & tamen affirmare non dubitarunt, *circumeundum* ei fuiſſe Siculum fretum, *donec Rhegium appelleretur*. Enimvero τὸ *circumlegentes*, ſeu *circumvenientes*, non importat, quod Pauli navis litora adlambere, iiſque pene allidi debuerit; ſed tantum infert, quod circum flexuoſos Trinacriæ ſinus, ac Promontoria iter ea leniter inflexerit. Etenim illa ætate haud navigabatur ea peritia, atque audacia, qua ſequioribus ſæculis, & maxime ævo noſtro, navigatur: præſertim quod tunc temporis nondum in uſu erat Pixis Nautica, qua inſtructi, fretique Navarchi audaciores fiunt, altumque tenent tutius.

§. XXV. Porro ejuſmodi oppoſitione Criticus noſter oſtendit, ſeſe non multo pollice triviſſe præcipuos veteres Auctores, præſertim Græcanicos, quos ipſe adeo magniſacit. Qandoquidem iſti, a variis magnis navibus, imo & claſſibus, variarum regionum oras circumlectas eſſe, memoriæ prodiderunt. Audiatur Attica Muſa. *Poſtero vero die* (inquit) *ſolverunt (a)*, *& ſequundiſſimo vento oram (b) legentes*, *Jaſonium littus proſpiciebant*, *ubi Argonavim ferunt*

Xenoph. de Cyr. min. Exped. l. 6.

(a) Græcorum naves Chriſopho duce, ex Armene Sinopenſium vico, qui in Paphlagonicis finibus ſunt, Mileſiorum Coloni.

(b) Euxini maris ad Heracleam, ab Hercule conditam, referente Mela *lib.* 1. *cap.* 19. Eo loco, quo hodie *Penderachi*. Eam oram Mariandyni incolebant.

Digitized by Google

runt in anchoris ſtetiſſe; & multorum fluminum oſtia, Thermodontis primum, deinde Halis, ac Parthenii: quem præterveȼti (ſeu quum præterlegiſſent) *Heracleam appulerunt, urbem Græcam, Megarenſium coloniam, in Mariandynorum finibus ſitam*. Vides quot litora, ripaſque *legerit*, ac *præterlegerit* Claſſis iſta Græcorum! Necnon oras, ac Promontoria *legiſſe* ac *circumlegiſſe* fertur magni Darii claſſis, quæ, teſtante Herodoto, *e Thaſo tranſmittens, ac terram legens, ad Acanthum uſque proceſſit: & ex Acantho ſolvens, dum Athon circumvertit, ventus Aquilo vehemens, atque admodum atrox, & intolerandus dicitur in eam ingruiſſe, naviumque pleraſque in Athon propulſas, ad trecentas afflixiſſe* &c.

§. XXVI. Quid quod ipſius Siciliæ oras ac Promontoria circumlegere veteres navigantes conſuevere? Quipe a Poetarum Principe intoducitur Helenus Trojanæ claſſis Ducem ſic admonens:

Præſtat Trinacrii metas luſtrare Pachyni Virg. Æn. lib. 3.
Ceſſantem, longos & circumfleȼtere curſus,
Quam ſemel informem vaſto vidiſſe ſub antro
Scyllam, & cæruleis canibus reſonantia ſaxa.

Ne vero ſolis Hiſtoricorum, ac Poetarum teſtimoniis inniti videamur; nobis heic quoque veterum Geographorum auȼtoritates ſuccurrunt. Quidpe Polybius literis mandavit, (Polyb. l. 1.) quod Romana claſſis, ducibus M. Æmilio, & Servio Fulvio Coſſ. primum Africæ, dein Siciliæ oram præterlegerit. *Expeȼtatis* (ille inquit) *eo loci (a) navibus, quæ ſequebantur, cunȼtaque in unum coaȼta claſſe, oram Africæ tamdiu legunt, donec Clupeam, id nomen eſt urbis, perveniunt*. Poſtque aliquot paginas ſic ille loquitur: *Dum cupiunt* (prælaudati Duces) *urbes quaſdam in illo poſitas littore* (Meridionali Siciliæ, in quo Camarinæorum ditio,) *quod præternavigabant recentem (b) viȼtoriam illis oſtentando perterrefacere, & ad deditionem compellere* &c. Ejuſmodi veritatem melius, quam Criticus noſter, agnovit Cl. Bernardus Lamy, quum hæc ſcripſit: *Olim nautæ legebant litto-* (Bern. Lamy Appar. Bibl. l. 3. c. 7.)

 ra,

(a) In promontorio *Hermea*, ſeu *Mercurii* diȼto, ad quod *Clupea*, ſeu *Clypia*, hodie *Quipia*, urbs maritima, a Siculis condita; qui tamen eam de Patriæ nomine haud nuncuparunt, ut ſupra contendebat Adverſarius.

(b) Quam ex Punica Claſſe reportaverant illi Duces, ut alias diximus.

ra, *& ex cognitione horum littorum dirigebant curſus navis*.

§. XXVII. Quid vero e vicinia mutuamur, quæ domi habemus? Nonne ipſum Apoſtoli navigium in toto ſuo itinere juxta terram navigavit? Audi ſacrum Hiſtoriographum, qui ipſius navigationis deſcriptionem ſic inchoat: *Aſcendentes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Aſiæ loca &c. Sequenti autem die devenimus Sidonem &c. Et inde cum ſuſtuliſſemus, ſubnavigavimus Cyprum &c. Et cum multis diebus tarde navigaremus, & vix deveniſſemus contra Gnidum prohibente nos vento adnavigavimus Cretæ juxta Selmonem: & vix navigantes* (*a*) *venimus in locum quemdam, qui vocatur Boni-portus, cui juxta erat Civitas* (*b*) *Thalaſſa &c.* Quæ perpendens aureus ille Sacræ eloquen-

D.Chryſoſt. in Act. hom. 53.

tiæ fons, hæc profert: *Vide Deum nihil innovare, neque mutare, ſed permittere illum* (Paulum) *navigare ventis importunis. Sed etiam ſic miraculum operatur: nam ut ſecure navigent, non permiſit illis in mari, ſed ſemper juxta terram navigabant*.

§. XXVIII. Itaque jam ſatis ſuperque perſpectum eſt, qui, & quare litora *circumlegere* conſueverit Pauli navigium. Teneat ergo ſibi altum Adverſator, ibique (*c*) cretaceam illam, ſeu teſtudineam navem immergat, qua Paulum in Dalmatenſem Inſulam adigere incaſſum conatur. Nos autem cum noſtro Apoſtolo, ipſiuſque navigationis comite ac Deſcriptore Luca litora circumlegere malumus, benefidam (*d*) tanti Eccleſiæ Luminis facem ſequentes, ad optatum portum proculdubio adpulſuri.

§. XXIX. Reſponſionem vero minime promeretur Antagoniſta noſter, quum aſſerat, quod Apoſtoli navigium potius Meſſanam, quam Rhegium, tunc adire debuerit. Quid enim ei Meſſanæ peragendum erat, ſi, vel ipſo Adverſario fatente, Rhegium, trajecto ſiculo Freto, adpellere conſueverunt, qui Romam contendebant? Enimvero Sici-

(a) Vel, ut reddit Chryſoſt., *præterlegentes illam*; vel, ut vertit Adverſarius: *laborioſe juxta illam navigantes*: quæ quidem verſio valde nobis aſtipulatur: non ſolum enim oſtendit, illos litora circumlegere conſuetos, ſed etiam exprimit eorum ſtudium, quo juxta terram navigare conabantur. (b) Chryſoſtomo *Laſæa*. (c) Teſtaceis navibus uſos fuiſſe Ægyptios tradunt Strabo *l.* 17. & Juven. *Sat.* 15. Chelenophagos autem teſtudineis cymbis navigaſse affirmant Diodorus l. 3. Strab. l. 16. Agatharchides apud Photium. (d) Nempe D. Chryſoſtomi, cujus auctoritas nobis apprime favens, ſupra expoſita eſt.

Digitized by Google

Siciliæ oram a Syracuſano portu ad uſque Meſſanenſe litus, de more ſuo, ut ſupra exponebam, præterlegit Pauli navis; deinde, quum maris tractus eſſet brevior, Rhegio applicuit.

§. XXX. Quæ quum ita ſint, nemo non videt, Adverſarium noſtrum oleum & operam perdidiſſe, quæ ipſe inſumpſit, refellere ſtudens validiſſimum, & irrefragabile noſtrum de Syracuſis a Luca memoratis argumentum: quod ſane unum ſat eſſet ad redarguendam, explodendamque illius ſententiam. Et quidem ille vere ac ſerio dicere poſſet, quæ ironice, & jocoſe protulit de hujuſmodi argumento: *Ventum eſt ad Triarios* (nunc ille repetat) *hic Achilles hic Hercules: conſtitit hic bellum, fortunaque Cæſaris hæſit*. Verumenimvero Antilegontis noſtri fortuna non heic tantum hæſit, ſed & in *Adria*, in *Euroaquilone*, in *loco ditalaſſo*, aliiſque a Luca memoratis, quæ illius conatui reluctantur: & maxime perterrefacta eſt a *Barbaris* illis Melitenſibus, utut ſibi (*a*) inviſibilibus. Pro nobis autem nedum iſte Achilles, ſed etiam alii & Achilles, & Hercules ſtrenue dimicant, videlicet tot, tantaque argumenta a nobis allata, & afferenda, quæ non minus Adverſarii aciem fundere valent, quam Cæſaris arma Pompejanos.

DIS-

(a) In Inſula enim Dalmatenſi Barbaros reperire non erat Pauli ævo, ut oſtendi in *Diſſert.* 8.

DISSERTATIO

DECIMAQUARTA.

Expediuntur alia tria argumenta Sententiam noſtram corroborantia.

§. I. Planum fecimus in præcedentibus *Diſſertationibus*, Paulum nequaquam in *Meletam* Naufragum enataſſe, neque ab ea Inſula Syracuſas adpuliſſe. Unde quoque perſpicuum reddidimus, quod Inſula, in qua per totos treis menſes eum fuiſſe commoratum tradit Apoſtolicus Hiſtoriographus, haud fuerit Dalmatenſis, ſed noſtra Melita. Verumtamen quum tot, tantæque ſint rationes ſententiam noſtram undequaque fulcientes, ut nobis peculiaria quoque ſuppetant argumenta, quibus trimeſtrem Apoſtoli, aliorumque Naufragorum moram in *Melituſſa* impugnare poſſumus; hanc *Diſſertationem* inſtituere operæ pretium duxi: præſertim quod noſter Antagoniſta multa reprehenſione digna effutiverit, noſtrorum argumentorum, ad hujuſmodi rem facientium, ictus repellere, ſeu declinare ſtudens.

§. II. Et primo; ſi in Dalmatenſem Inſulam Typhonico vento, a Luca deſcripto, actum fuiſſet (contra quam abunde oſtendi in *Diſſert* 7.) Apoſtoli navigium; haud ibi quidem, hoc eſt in loco adeo inculto ac deſerto Centurio una cum tota Cohorte Auguſta, centum militibus conſtante, totidemque cuſtodiis, ac ſeptuaginta quinque vectoribus, ſeu nautis, tres menſes hybernos egiſſet; ſed potius in vicinum Epidauri portum, vel in aliquem alium iſti proximum; ſatis tutum commodumque acceſſiſſet. Quod ſi enim priſci navigantes haud libenter hyemabant in exteris regionibus, licet cultis ac florentibus; ita ut per initium Autumni ad poprios portus remeare conſueverint, teſte Philone, hæc ſcribente: (*a*) *Maria etiam tum navigantibus ido-*

Phil de Legat. ad Cajum.

(a) Locus iſte Philonis, forte nondum ab ullo animadverſus, lucem afferre poteſt iis Lucæ verbis: *Cum jam non eſſet tuta navigatio, eo quod & jejunium jam præteriiſſet* &c. Quæ Interpretum mentibus tanto labori fuerunt.

idoneo per initium Autumni, quæ fere poſtrema ſolet eſſe navigatio revertentium ad proprios portus (nota) *ab omnibus emporiis, præſertim eorum, qui nolunt hyemare apud gentes exteras*: Qui credibile eſt, Centurionem, alioſque Apoſtoli Navigii vectores hybernare voluiſſe in regione nedum extera, ſed etiam inculta ac deſerta, uti erat illo ævo *Melituſſa*?

§. III. In Inſula autem noſtra & libenter & percommode hyemare illi poterant, imo & debebant: quippe ipſa & rerum copia, & negotiationum frequentia, & portuum ſecuritate ſemper effloruit: &, quum teſte Tullio, *ſatis lato ab Sicilia mari, periculoſoque diſtincta* ſit; ab hac non ſine ingenti diſcrimine, atque incommodo, ſolvere; inhorreſcente bruma, poterat Julius cum populoſa ſua caterva. Hinc factum eſt, ut, non niſi exactis tribus menſibus hybernis, ex hujus Inſulæ portu illi diſceſſerint verſus Syracuſas, navem conſcendentes Alexandrinam, quæ heic quoque brumale tempus exegerat.

§. IV. Attamen reclamat noſter Contradictor, noſque ignaviæ inſimulat, propterea quod ei videamur neſcire quam diſtet Epidauri portus a *Melituſſa*; & quam importuoſa ſit Illyricæ continentis ora, illi proxima: contenditque tantum ab Epidauro Dalmatenſem Inſulam diſtare, quantum a Sicilia ſejungitur noſtra Melita. Mehercle, ſi hoc eſt ſcire, nos neſcire libenter fatemur. Enimvero Critico noſtro imprimis refragatur Geographorum Principis auctoritas, qui affirmat, *totam Illyrici oram commodis inſtructam eſſe portubus, cum ipſam, tum Inſulas etiam vicinas*. Strab. l. 7. Unde nemo non videt, quam minus recte ille opinetur, Paulinæ ratis Nautas, vectoreſque, poſtpoſitis tot commodis pottubus, in Melituſæo hyemare voluiſſe. Inſuper ille non advertit, vel diſſimulat, quod Apoſtoli navigium e Melita diſceſſum, non in viciniorem, nempe in Meridionalem Siciliæ oram, magnis navibus male fidam, & importuoſam, ſed in Syracuſanum portum adpellere debuerit. Sumat nunc circinum Criticulus noſter, & in exacta aliqua mappa exploret, an ſit eadem *Meleta* ab Epidauro diſtantia, atque ea, qua Melita a Syracuſis ſeparatur. Sane inter Melitam & Syracuſas 80. intercedunt; ni credere malimus Diodoro Siculo, ita loquenti: *Prima eſt, quæ vocatur Melita* 800. *circiter Stadia a Syracuſis diſtans*; quæ

Sta-

Stadia C. M. P. conficiunt. Inter *Meletam* vero & Epidaurum 20. tantum millia ſupputantur, ut teſtatur Cluverius: *Epidauri autem portus in conſpectu Meletæ ad* 20. *millia ſitus eſt;* vel, ut habet Itinerarium Antonino tributum, ad ſtadia (*a*) 200. Quamquam Adverſator contra Geographorum ſententiam affirmare non erubeſcat, Dalmatenſem illam Inſulam ab Epidauro 60. M. P. ſejungi, ſive oſcitantia, ſive malitia hujuſmodi errorem ipſe admiſerit.

§. V. Præterquamquod Pauli navis e *Meleta* Epidaurum pervenire, circumlegendo litus, ut ejus mos erat, potuiſſet; non ita vero a Melita Syracuſas, quas interfluit ſatis latum, periculoſumque pelagus. Cujus quidem procellas, naviſragamque vim experti fuerant Romani, qui, ut alias ajebam, quum, M. Æmilio, & Servio Fulvio ducibus, prælio navali Carthaginenſes viciſſent, & inhorreſcente bruma, contra gubernatorum conſilium per hoc mare navigaſſent, exorta immoderata tempeſtate, quum eſſent prope Pachinum P. circiter 270. naves, una cum ingenti militum, nautarumque numero amiſerunt. Quamobrem prudentiſſime ſeſe geſſit Romanæ Cohortis Centurio, quum in Inſula noſtra hybernare maluerit, quam ſubire diſcrimen adeo formidabile intempeſtiva navigatione.

§. VI. Sed expendere pergamus Adverſarii rationes, qui ubicumque lepidiſſimus, heic ita facete nugatur. *Nec Melitena* (inquit) *illo ævo ſolitaria, vel incommoda quæ non multo ante hac* (*teſte, quem & alias adduximus, Appiano*) *acerrime reſtiterat Romanis, nec niſi tandem ingenti belli mole obruta ſuccumberet* &c. Sed qui, amabo, Inſula paullo ante *obruta* tanta *belli mole*, non erat ſolitaria Naufragi Apoſtoli tempeſtate, neque tantæ Naufragorum multitudini incommoda? Reponet fortaſſis Adverſarius, illam haud adeo *obrutam* fuiſſe, ut nihil commoditatum & Incolarum ei ſupereſſet. Aſt ipſe non bene audiiſſe videtur, quæ hac de re diximus in *Diſſert.* 8. ideoque ipſa nunc repetamus: Referente Strabone, Dalmatenſes illi Populi, qui diutius in Romanos pugnaverant, ab Auguſto fuere penitus debellati, eo-

(a) Quæ conficiunt 25. millia. Nota quod cum Diodorus, tum Antoninus in aſſignanda earum Inſularum, ac urbium diſtantia largiores ſunt, quam recentiores Geographi, ſiquidem ſtadium, teſte Plinio, 125. paſſus noſtros continet.

Digitized by Google

eorumque urbes ac opida in cineres redacta: Melitini autem & Corcyræi, qui magis diuturno obſtinatoque bello Romanorum animos exaſperaverant, partim fuerunt morte affecti, partim pretio venumdati. Audiatur iterum Appianus, cujus verba abſcondere ſategit noſter Veterator. *Deficientes vero Melitinos* (ille inquit) *& Corcyræos, qui Inſulas incolunt, ingenti belli mole ſuperavit, quoniam maria claſſe prædabantur. Et horum quidem impuberes Cæſar juſſit interfici, reliquos pretio venumdedit*. Atque tanta fuit iſta cædes, depopulatio, vaſtitaſque, ut Conſtantinus Porphyrogenneta *Meletam* aduſque ſua tempora incolis deſtitutam eſſe tradiderit. Appian. in Illyric.

§. VII. Neque autem nobis deeſt ulterior ratio, qua naufragum Gentium Doctorem nequaquam in *Meleta* fuiſſe commoratum, oſtendamus. Quid enim ibi agendum erat navi Alexandrinæ, frumento oneratæ, Puteoloſque naviganti, quam ſeſe conſcendiſſe refert Apoſtolicus Hiſtoriographus? Reponit Antagoniſta noſter tot ferme ineptias, quot verba: illum audi: *Mirantur ipſi* (de nobis ille loquitur,) *at mihi juſtius eorum admiratio admirationi eſt. Etenim ſi Romani Brunduſio, quæ quidem urbs ad Adriam pertinet, frequentiſſime in Ægyptum ſolvebant, cur idem ſpatium Ægyptia navis remetiri non potuit, forte ex Oriente revectura* (a) *homines Italos, vel Dalmatenſes? Sciunt qui primoribus labellis attigerunt hiſtorias, quod Ægyptiacæ onerariæ, annonam deferentes Italiam frequentabant; quid novum igitur, ſi aliquam freto Siculo, Italiæque adnavigantem ventorum inclementia in Adriaticum ſinum compegerit?* Sed novus iſte hiſtoriarum Magiſter ediſcat, quæ nos comperta ex Hiſtoriographis, & quidem receptiſſimis, habemus. Nempe Ægyptiæ Onerariæ, præſertim Alexandrinæ, quæ Romanis annonam deferebant, Puteolos, a Veneto ſinu longiſſime diſtantes, adpellere conſueverunt: ut plane teſtantur Svetonius Tranquillus, Philon Judæus, & Strabo Amaſenus. Sveton. in Aug. Quorum prior hæc habet: *Forte Puteolanum ſinum prætervehenti, vectores, nautæque de navi Alexandrina, quæ tantum quod appulerat, candidati, coronatique, & thura liban-*

Qq

(a) Sed, amabo, ſi Romanæ naves, ut ait Adverſarius, *frequentiſſime in Ægyptum ſolvebant*, cur & eædem *Italos homines* ex Oriente revehere non poterant? Quid erat opus, ut exteras naves ipſi conſcenderent?

libantes, fauſta omina, & eximias laudes congeſſerant. Idem Scriptor (*in Ner.*) *Alexandrinos* de novo commeatu Neapolim confluxiſſe tradit. Alter autem ſic inquit: *Diſcedenti* (Agrippæ Regi) *in ſuum Regnum* ſuaſit (Cajus Cæſar) *ne a Brundufio ſolveret petiturus Syriam, quod ea navigatio longa eſſet ac difficilis: uteretur potius compendiaria per Alexandriam expectatis Eteſiis: ajebat etiam Ægyptias Onerarias celerrimas, & gubernatores harum egregios, qui more aurigarum certantium rectum curſum teneant. Paruit ille ut Domino conſulenti utilia. Cumque deſcendiſſet Puteolos, & naves Alexandrinas in portu paratas ad ſolvendum inveniſſet, proſpera navigatione uſus &c.* Geographorum vero Dictator, qui ubicumque a nobis ſtat, hanc quoque aſſertionem noſtram confirmat: *Sentiet* (is ait) *qui Alexandriæ, & Puteolis fuerit, & obſervaverit onerarias naves & venientes, & recedentes, quanto graviores, aut leviores ultro citroque navigent*. Et, ut ait Samuel Pitiſcus, *ipſa urbs Alexandria in nummo Hadriani quinto mulieris habitu dextra ſpicas tenet fertilitati indicandæ, qua Ægyptus, cujus caput eſt, & Siciliam, & Italiam, & Græciam, totaſque pene maris mediterranei accolas ſuis nutrit meſſibus, ut narrat Patin. Numiſm. Imp. p. 153. & ex eo Harduin. Numm. Antiq. p. 27.* Unde nihil mirum, ſi in portu noſtro navem Alexandrinam Paulus invenerit, quæ vel e proxima Sicilia remeans exonerata, vel Syracuſas adpulſura, ut ibi onus exponeret, inſurgente aliqua procella, ad hanc Inſulam confugerit: ut exprimitur in Græco Textu ab Adverſario producto, ac latinitate donato: *Poſt autem tres menſes diſceſſimus in navi, quæ tempeſtatem vitaverat in inſula, Alexandrina, inſignita* Jovis *pueris*.

Phil. Jud. L. in Flacc.

Sam. Pitiſc. Lex. Antiq. Rom tom. 1. pag. 458.

§. VIII. Quod autem aliquam ex hujuſmodi navibus, Puteolos, vel Neapolim navigantem, ventorum violentia in aliquem alium portum ſinus Veneti faucibus proximum impulerit, v. gr. in Tarentinum, Brunduſinum, vel huic obverſum Amantinum ſinum, aut in Oricum, vel Apolloniam, aut in aliquam ex Inſulis, quæ ſinum illum ingredientibus primum occurrunt; nolo inficiari: Sed quod eam in intimos ejuſdem ſinus angulos, aut Inſulas, præſertim in Meletam compegerit flatus inclementia; & nego & pernego: mecumque ibunt inficias quicumque in Geographicis, Nauticiſque hoſpites haud ſint. E quidem doctiſſimus Ber-

Bertius ita pronunciat: *in Actis refert Lucas, Paulum Adriatico mari jactatum poſt multos errores navi fracta cum ſuis in littus ignotum adpuliſſe; idque poſtea cognoviſſe eſſe Melitam: poſt tres vero menſes navi Alexandrina vectum Syracuſas veniſſe: ipſa narratio indicat, Melitam fuiſſe illam Africani littoris, non Illyrici Inſulam. Quid enim navis Alexandrina, Syracuſas petitura, faceret in littore Illyrico?* Eadem Gallice habet inſignis Mathematicus Michael Coignetus in *Epitome Theatr. Orb. Terr. Abr. Ortel.* P Bertius in Tab. Geogr. lib. 4.

§. IX. Tametſi ego magis indulgens, quam præclari iſti Scriptores, Antagoniſtæ noſtro dederim, quod ejuſmodi navis inveniri fortaſſe potuerit in Illyrico, non longe tamen ab hodierni Veneti ſinus oſtio, ut ſupra diſſerebam. Reapſe Acrotatus ille Spartanus, ab Adverſario contra nos adductus, in Siciliam navigans, quo fuit adverſis, violentiſque flatibus abreptus? Anne ad Corcyram nigram, aut ei proximam *Melituſſam*, in quam noſter Contradictor quaſcumque naves Paulus conſcenderit, adigere conatur? Haud equidem: Sed, teſte Diodoro, ille fuit abductus in Apolloniatarum regionem, quæ Veneti ſinus faucibus adjacet. Diod. Sic. l. 19.

§. X. Alterum vero exemplum ab Adverſario allegatum, videlicet Flavii Joſephi, qui in medio Adria naufragium perpeſſus Cyrenaicum navigium nactus eſt; nobis minime refragatur; quinimo ſententiam noſtram confirmat: namque iſte Scriptor medium Adriam, haud ſecus ac D. Hieronymus, quem allegavi *in Diſſert.* 4. in mari Siculo recognoſcere videtur: quum enim ipſe Puteolos contenderet, non per Illyricum, ſed per Sicilienſe pelagus iter facere debuit: atque in hujuſmodi itinere naufragum ſeſe Cyrenaicam navem inveniſſe tradit. Et quidem Flavius noſter, ut in *Diſſert.* 1. §. 14. exponebam, ſinum Ionium, ab Auctoribus pro Adria uſurpatum, in Sicano ponto recognoſcit. Neque obſtat quod Hudſon: ea Joſephi verba *κατὰ μέσον Ἀδρίαν* latine reddat in *medio Adriatici Sinus*; quum nihil aliud ſonent iſta verba, quam, *in medio Adriæ*, ſine ullo *Sinus* additamento, ut Cecropiæ Minervæ vel leviter madidis conſtat.

§. XI. Attamen demus quod Flavius Cyrenaicum navigium in medio Illyrici ſinus invenerit; numne hinc eliciendum eſt illud e *Meleta* ſolviſſe, aut in eam fuiſſe adpulſu-

rum? Haud arbitror: nimirum illa Inſula Orientalibus navigantibus invia erat & inacceſſa. Rem invidioſam me dixiſſe contendet noſter Antagoniſta, ſed ego ita ejus os retundam, ut ne hiſcere quidem audeat: nempe auctoritatem adducam, quam ſine turpi nota parvipendere ipſe non poterit. Ea eſt eruditiſſimi viri D. Ignatii Georgii, qui hæc ingenue protulit: *Quę (Meleta) barbara, abſtruſaque in Adriatico receſſu, & inter tot inſularum nomina, quibus Dalmatię littus prętexitur, fere demerſa Orientalium navigantium cognitioni penitus latitabat*. Si ergo ipſa Orientalibus navigantibus erat omnino ignota, qui ad eam Alexandrinæ naves accedebant, ibique reperiri poterant? Hoc ſane eſt unum ex miraculis, queis Thaumaturgus noſter Præſtigiator incautos ſuos Lectores illudere conatur.

Inſp.4. Diatr. 2. §. 4.

§. XII. Denique, ſi in *Meleta* trimeſtrem moram exegiſſet, eamque tot beneficiis cumulaſſet Apoſtolus, proculdubio nonnulla ejus naufragii, exſcenſus, manſioniſque monumenta, aut ſaltem iſtorum veſtigia adhuc cernerentur, vel aliquando fuiſſent conſpecta. Atqui hujuſmodi *μνήματα* nec modo ibi cernuntur, neque unquam ea ſe vidiſſe Scriptorum ullus teſtatur: Quod minime inficiatur noſter Contradictor; licet ipſe, quæ ſua eſt vel in perditis ac deſperatis eventibus audax, impudenſque temeritas, nullam inde ſuæ cauſſæ jacturam inferri contendit: quippę multa ille cauſatur; ſed videant ingenui Lectores, quam inepte. *Verumtamen* (inquit) *etſi bodie in memoriam ſubſtructiones non extent, conſtantiſſime tamen inficior, a ſapiente viro bene aſſeri poſſe (quemadmodum Fazellus, ejuſque* (a) *umbrę aſſeverarunt, numquam, & prorſus numquam monimenta ulla extitiſſe in noſtra Melita tam memorabilis adventus. A naufragio Apoſtoli uſque ad annum quo bęc ſcribo, pluſquam ſexdecim ſęcula interceſſerunt, in quibus procul dubio tot tantęque uſuvenerunt mutationes, viciſſitudines, ut monumentorum ipſę potuerint diſperire ruinę*. O tempus edax! (heic cum iſto Declamatore liceat exclamare) qui invido dente omnia deſtruis voraſque. Adeo-ne cuncta tibi

(a) *Umbras* appellat Fazelli ſectatores Zoilus noſter, qui nempe cum larvis, ut eſt in adagio, luctari conſuevit. In *Umbris* autem noſtris lux veritatis illucet magis, quam in nitidioribus Adverſarii *Inſpectionibus*. Et quidem quis cordatus ei nullum monumentum producere valenti credere malit, quam nobis tot tantaſque memorias habentibus?

tibi ſunt obnoxia, adeoque inexplebili ſame laboras, ut ne quidem monumentis Thaumaturgo gentium Doctori dicatis peperceris! Sed falciferum Senem mihi videor reſpondentem: Peperciſſem utique, ſi ea ſub Sole unquam apparuiſſent: næ mihi ejuſmodi monimenta in Melituſio Solo numquam fuere conſpecta. Quis autem eſt doloſus iſte Sycophanta, qui me illa voraſſe ait, incuſatque? Quandoquidem mea clementia, in eadem Inſula (*a*) *etiamnum magnificarum ædium* (*Palatium hodie vocant*) *rudera Græcanicæ ſubſtructionis viſuntur in interiori receſſu portus, qui propterea Palatinus dicitur perhibeturque tam nobile ædificium Oppiano quondam Patris ſui συνεκδήμῳ, præbuiſſe & domicilium, & Muſæum*.

§. XIII. Necnon in ipſa Adverſarii Patria adhuc permanet, referente Cavaccio, & magna veneratione frequentatur ſpelunca, quam incoluerat D. Hilarion, antequam in Palæſtinam commigravit. Cur autem & in *Meleta* non viſitur aliquis ſpecus, ſeu locus, in quo Paulus fuerit moratus? Nonne quod Apoſtoli in eam Inſulam adpulſus, ſeu naufragium eſt purum ac putum Adverſarii ſomnium? Quod vero Melituſii Templa, & alia monumenta in Pauli honorem conſtruere ac excitare olim potuerint, in dubium minime revocabit, qui Hiſtoriographos vel a limine ſalutaverit. Quippe ab Conſtantini ævo liberum erat Illyriis Chriſtianam Fidem profiteri, ut auctor eſt Sozomenus. Sozomen. Hiſt. Eccl. l. 1. c. 2. *Chriſtiani vero* (inquit) *qui in Oriente ad Lybios uſque Ægyptiis conterminos, habitabant, manifeſte non audebant Eccleſiaſticos frequentare conventus, eo quod Licinii erga eos immutata eſſet benevolentia; Occidentales vero & Græci, & Macedones, & Illyrii intrepide ſecundum Chriſtianam Religionem vivebant, propter Conſtantinum, qui Romanis in illis regionibus imperabat*. Quod maxime corroboratur auctoritate D. Hieronymi, hæc ad Julianum ſcribentis: *Extruis Monaſteria, & multus a te per Inſulas Dalmatiæ Sanctorum numerus ſuſtentatur*. Quid ergo eſt in cauſſa, cur in Dalmatenſi Inſula, noſtra Æmula, nullum fuerit extructum Templum in Pauli Naufragi honorem? Nequedum vides, Apoſtolum noſtrum, haudquaquam fuiſſe illuc naufragio ejectum?

§. XIV.

(a) Ea ſunt verba Adverſarii in Deſcript. *Melit. Illyr.* §. 5. Quæ, melius ei foret, ſi numquam protuliſſet.

§. XIV. Huc accedit, quod uſque ad Theodoſii Imperatoris ævum Ariana Hæreſis in Illyridem minime pervaſerat, ut teſtatur Auctor Incertus *Hiſt. Miſcel. in Eutrop. lib. 12. Interea* (ille ait) *Theodoſius cauſa fœderis a Gothis acceptis obſidibus, Theſſalonicam venit. Ubi cum in ægritudinem incurriſſet, baptizari cupidus, Acolium ejus civitatis Epiſcopum requiſivit, cujus fidei eſſet, quo reſpondente, quod Ariana peſtis in Illyricum non valuiſſet accedere, ſed inviolatam ab initio Nicæni Concilii fidem conſerverant, ille libenter ſuſcipiens baptizatus, atque ab ægritudine liberatus eſt.*

Extat ap. Collect. Rer. Ital. Script. Tom. 1.

§. XV. Sed noſter Antagoniſta inficiari non valens, quod illa ætate Inſulares Dalmatenſes Templa vero Numini in Pauli, aliorumque Cœlitum honorem dicare potuerint: per aliam rimam effugere ſtudet: nempe aſſerit, aliquod fortaſſe Templum fuiſſe a Melituſæis conſtructum in Pauli Naufragi honorem, ſed forte a Slavis, aut a Narentanis, qui iis Inſularibus tyrannice dominati ſunt, utraque gente feroci, & Idolorum cultui addicta, illud fuiſſe expilatum, obrutumque conjectat. At o futilem, infirmamque conjecturam! Si enim illo ævo, nempe quinto Sæculo, ulla monumenta, Pauli naufragium teſtantia, in *Meleta* fuiſſent, quamvis ab iis barbaris populis everſa, tamen illa ſilentio nequaquam involviſſet Eminentiſſimus Arator, rerum Dalmaticarum apprime gnarus, qui in eodem ſæculo natus, a Dalmatenſibus ad Juſtinianum Cæſarem Orator creatus eſt. Verum ipſe non ſolum nullam de ejuſmodi veſtigiis mentionem fecit, ſed etiam nullas in ea Inſula fuiſſe Paulini adpulſus memorias perſpicue innuit, quum Inſulæ noſtræ Apoſtoli Naufragium adjudicarit. Anne credibile eſt, Virum adeo Dalmatis addictum, gloriam adeo decoram Dalmatenſi Inſulæ abjudicare voluiſſe, ſi eam ſine Veritatis jactura ipſi vindicare ille potuiſſet?

§. XVI. Et quidem, ut ajebam, ſi quæ Templa, aut monumenta, Apoſtoli Naufragium, moramque teſtantia, ibi unquam fuiſſent, ipſorum ruinæ, ſeu rudera uſque ad noſtra tempora perduraſſent; ſicuti Oppianarum Ædium veſtigia, fatente ipſo Adverſatore, in præſens ævum ibidem exiſtunt. Quid autem dicendum eſt de veſtigiis *loci ditbalaſſi*, vel *exſcenſus Paulini*, quorum indicia nulla permanere fatetur ipſe noſter Antagoniſta? Hic ſane ut exponebam

bam in *Diſſert.* 11. *§. ult.* quemdam iſthmum, ſeu terræ laciniam in *Meletæ* typo oſtendens, meticuloſo, incertoque loquendi ritu, cujus alibi nos inſimulabat, inquit: *In hoc Inſulæ latere credibile eſt, navim D. Pauli fuiſſe naufragio illiſam: nam plures hic dithalaſſi, ſive Iſthmi, Ypothalaſſi, vel ſubmarini*. Cur, inquam, nec hujuſmodi loci memoria apud Melituſios perdurat? Num-ne barbaris illis Idololatris, qui tyrannidem in ipſos exercuerunt, æque inviſus erat *dithalaſſus locus*, ſeu *littus*, ſeu *maris dorſum* fuerit; atque Divina Templa, ac ſacra monimenta, ita ut non ſolum iſta, ſed etiam illum demoliri voluerint?

§. XVII. Quid quod noſtra quoque Inſula tot tantiſque Ethnicorum, ferociumque populorum invaſionibus, oppugnationibus, ac vaſtitatibus patuit? Quidpe ipſa, quum Naufragus Gentium Doctor huc advenerit, Romanis Idolorum cultoribus parebat. Deinde Orientis Imperatoribus mancipata eſt. Poſtea a Gothis, quorum immanitas neminem in hiſtoriis mediocriter verſatum fugit, ſubjugata; mox denuo Græcis obtemperavit. Tandem immane Saracenorum jugum per 220. præter propter annos pertulit, ut exponebam in *Melit. Deſcr.* §. 39. Et tamen haud unum, vel duo, ſed plura Paulini Naufragii, hoſpitiique monimenta ab ipſa conſtanter adſervantur.

§. XVIII. Heic vero tumultuatur noſter Antagoniſta, contenditque monumenta noſtra eſſe multo poſteriora Pauli Naufragio: ideoque ipſa parvipendit ac deſpicatur. Verumtamen ego *in Diſſert. ultim.* illi oſtendam, non omnia noſtra μνήματα ſeu μνημόσυνα nupera eſſe ac recentiora, ut perperam ille dictitat: quandoquidem & vetuſtiſſima, & ipſius Apoſtoli contemporanea habemus. Modo mihi ſatis ſit Adverſario reponere, quod ſi ipſe vel juniora recentioribus noſtris veſtigiis Paulini hoſpitii haberet, ipſa ſummopere magnifaceret, ac ovantis in morem geſtiens proferret. Qui non. Siquidem ille ſilentio prætermittere non potuit, quod Apoſtoli effigies in majori *Parœcialis* Melituſiorum Templi ara viſitur (*a*) depicta: Necnon quod iſti In-

(a) Quo tamen ſæculo picta fuit ea effigies? Næ multis ſæculis poſt Pauli Naufragium: & olei recentis fortaſſis adhuc ſervat odorem. Neque id inficiari valet Adverſarius, qui a Slavis ac Narentanis expilata ac obruta *Meletæ* monumenta, ut ſupra vidimus, autumat.

Inſulares filiis ſuis *Pauli frequentiſſime nomen imponant*. Sed, ut ajunt, Lunæ radiis non matureſcit botrus; nempe, ſi hoc pacto Pauli Naufragium Illyricæ Inſulæ adjudicari poſſet; non Paulum modo, ſed & Petrum, Johannem, totumque *glorioſum Apoſtolorum chorum* in Inſulam noſtram adveniſſe jure contenderem: quippe & heic in multis Templis, & quidem in aris majoribus ſinguli ii viſuntur depicti; necnon Petri, Jacobi, Andreæ, Thomæ, Bartholomæi, reliquorumque Sanctorum Collegarum nomen frequentiſſime ſacra lympha expiatis imponitur.

DISSERTATIO

DECIMAQUINTA.

De D. Publio Martyre, Principe Viro Melitenſi, D. Pauli Hoſpite, ac Primo Melitæ Epiſcopo.

§. I. IN Inſulam, in quam Apoſtolus noſter, ſociique Naufragi evaſere, teſtante Luca, ſplendidiſſima cujuſdam Publii enituit humanitas, quem ille tali condecoravit encomio: *In locis autem illis erant prædia principis Inſulæ, nomine Publii, qui nos ſuſcipiens, triduo (a) benigne exhibuit*. Hunc Publium in *Meleta* unquam fuiſſe, memoriæ proditum non eſt, neque litteris mandatum: In Melita vero & fuiſſe, & naſcenti Eccleſiæ præfuiſſe, nedum ab ævo immemorabili Majores noſtri tradiderunt, ſed etiam omnes fere Martyrologi, & Apoſtolicorum Annalium Exegetæ litterarum monumentis mandarunt. Unde rite ſapienterque colligitur, quod non in Dalmatenſem, ſed in noſtram, quæ inter (b). *Fortunatas* eo titulo cenſeri poteſt, Inſulam gentium Doctor,

---

(a) Vel, ut legit Syriacus, *hilariter*: vel, ut Arabs, *cum honore*: ſive, ut Æthiops, *amanter*: ut Arias, *amice*. (b) Inſulæ Fortunatæ proprie dictæ ſunt illæ ſeptem, quæ contra Mauritaniam ſitæ ſunt, Heic vero ad earum cognomentum alluditur.

Digitized by Google

ctor,una cum ſuo comitatu,naufragus advenerit. Nihilo tamen
minus Antagoniſta noſter, qui omnem aleam, licet infeli-
citer, jecit, ut Paulum Inſulæ noſtræ abjudicaret; vel Pu-
blium modo nobis ſubripere conatur, utut non minus pœ-
nitendo labore.

§. II. Antequam vero ejus objectiones diluere aggrediar,
pauca de hujus Publii conditione ac Patria præmittam:
quandoquidem de his nihil ille ſtatuit. Nonnulli autem cum
Petro Galeſino, Johanne Lorino, Jacobo Tirino, & Joh. Galeſin. in Martyr.
Croiſet, opinantur, eum fuiſſe Romanum, Proprætorem Joh.Croiſet,
Melitæ, ſeu Prætoris Siciliæ Vicarium; propterea quod ad 30. Jun.
uſitato Romanis nomine inſignitus, & a Luca *Protos* Inſu-
læ fuerit nuncupatus: quippe ipſi rati ſunt, hujuſmodi nun-
cupatione Publii magiſtratum a ſacro Hiſtoriographo indi-
cari. *Publius hic* (inquit Lorinus) *erat forte Proprætor In-* Lorin. in Act. c. 28.
*ſulæ, ſeu Vicarius Gubernator pro Prætore Siciliæ, ut propte-
rea Protos, ideſt Primus, appellatus ſit: & cum nomen ſit
Romanum, Romanus & ipſe, ſeu Italus videtur*. Cui con- Tirin. in Act. c. 28.
cinit Tirinus hiſce vocibus: *Publius, quod Romanum eſt no-
men, vocatur hic Princeps, Græce Protos, ideſt Primus,
ſeu Primarius Inſulæ, forte Proprætor, quia Melita ſuberat
Romanis æque ac Sicilia, & ab ejuſdem Prætore regebatur
per Vicarium, inquit Cluverius lib. 2. de Antiq. Sic. c. 16.*
Veruntamen eorum conjecturæ haud ſatis exploratæ mihi
videntur. Etenim penes Scriptores cum Græcos, tum La-
tinos paſſim inveniuntur Romana nomina alienigenis impo-
ſita. Et quidem Ioniis uſitata fuiſſe *Luculli*, *Fabritii*, alia-
que Romanorum nomina teſtatur Philoſtratus, Græcus Philoſtr. in
Scriptor, cujus verba referam ex Gallica verſione Blaſii Vit. Apoll. Thyan. lib
Vignerii, quum Græcum exemplar præ manibus non ha- 4. c. 2.
beam. *De fortune* (ille ait) *ſe celebroient lors les Sacrifi-
ces pour le commun ſalut, & conſervation de tous les peu-
ples de l'Ionie: & là deſſus luy ayant eſte apporte un de leurs
Decrets, par le quel ils l'admettoient de participer a leurs
conſeils, & Aſſemblees, & à leurs cerimonies auſſi il y trouva*
(Apollonius) *d'avvanture un nom, qui n'eſtoiet pas Io-
nien; car il y avoit Lucullus, dont il eſcrivoit une lettre a
l'aſſemblee generale, en les reprenant de ce barbariſme d'
avoir inſere en leurs deliberations ces noms de Lucule, Fa-
brice, & autres ſemblables purs etrangers*. Complureis quo- Ant. Beatill. in Vit.
que Græcos Romauis nominibus inſignitos refert Antonius S. Iren.

Beatillus, interque alios Regem Macedoniæ D. Irenes Patrem, qui licet Græcus Romano Licinii nomine nuncupabatur. Necnon Siculis, Melitenſium affinibus, in uſu fuiſſe Romanorum nomina teſtimonio eſt Marcus ille Craſſus Mamertinus, cujus meminit Tullius *Orat. pro Corn. Balb.*

Cic. Verr 6. & Epiſtol. Fam. lib. 12. Ep. 5.

§. III. Quid autem e vicinia mutuamur, quæ domi habemus? Nonne de Lucio Cajo, atque de Aulo Licinio Ariſtotele, Melitenſibus, mentionem facit idem Oratorum Dictator? Nimirum Melitenſes Socii Romanorum audiebant, ut alias diſſerebam; ideoque omnibus ordinibus, ac Magiſtratibus, quibus Romani, condecorabantur: nempe diſtinguebantur in Equites, uti erat prælaudatus Lucius Cajus; in Decuriones, & Populum; necnon habebant Sacerdotes, IIIViros, Quæſtores &c. Etenim, ut animadvertit Carolus Meroville, *in Municipiis* (uti erant Melita & Gaulos) *forma quædam Reipublicæ ſervabatur; adeout in iis eſſent fere Magiſtratus iidem a quibus Romana Reſp. regebatur. Nam ſi ordines ſpectentur, erant Decuriones, Equites, & Populus. Si Magiſtratus, erant Sacerdotes, Dictator, Duumviri, Quatuorviri, Cenſores, Ædiles, Quæſtores, & Flamines.* Reapſe in noſtris Inſulis olim fuiſſe Decuriones, Triumviratum, alioſque Magiſtratus, ſervatamque Reip. Romanæ formam, perſpicitur ex variis Inſcriptionibus ſaxo inciſis, heic repertis, quas fere omnes exhibet diligentiſſimus Abela, quamvis aliquarum literarum ſitum nonnumquam immutet, aliaſque literulas, pro iis quæ deſiderantur, adjungat. Nos autem in brevitatis gratiam binas heic tantum producamus, quum in *Deſcript. Melit.* alias protulerimus, aliaſque *in Diſſert.* 18. afferemus.

Carol. Merovill. in not. in Cicer. orat. pro A. Cluent.

.... QUIRO POSTU..... ICIPII
.... ADRIANI PERPETUI. QUINQ. DECUR. IUDI
.... QUATINGENARIOS ADLECTO... A DIVO
.... PIO. OMNIB. HONORIB. CIVITATIS SUÆ HO
N... E FUNCTO. ITEM LEGATIONE GRATUITA APUD
.... ADRIANUM ET APUD AMPLISSIMUM ORDINEM DE
... LIB. REDHIBENDIS PLEBS GAULITANA EX ÆRE CON.
.... PLURA MERITA EJUS ❦ DD ❦

Hæc Inſcriptio inventa eſt in Inſula Gaulo in angulo *Cæmeterii* S. Mariæ *a Gratiis* dictæ; eamque adhuc videre eſt

eſt in lapide marmoreo, prout ipſam exhibuimus. Sed accipe alteram in eadem inſula repertam.

D.N.C. AUR.... ER....
CONSTANTIO AUG.
R. P. GAUL. CUR.
F. POLLIONE.... RUFO.
M.F...... IIIVIR.R.

Sed & tertiam, contraquam ſtatueram, addam, in qua *Municipii* vox magis perſpicue legitur.

CESTIO L.F. POM PI GALLO VA
RENINO LUTATO NATALIA EM..
LINO PATRONO MUNICIPI.. DM
... MARCIUS MARCINUS AMICO OPTM..
V. KARISSIMO SIBI HONORIS CAVSA. S.L.

Inſcriptio iſta inciſa eſt in baſi cujuſdam ſtatuæ marmoreæ, capite, manibuſque deſtitutæ, quæ in præſentiarum cernitur in clivo, per quem ad Gauli Opidum aſcenditur. Eam Cl. V. Ludovico Antonio Muratorio, Amico mihi ſemper diligendo, ipſius rogatu, contuli, ut ipſam, ut pote a Gualterio ineditam, una cum aliis antiquis Inſcriptionibus ederet in ſubſequenti tomo *Script. Rer. Ital.* adeo a Literatis expetito.

§. IV. Præterea plures glorioſi Martyres ipſo Publii nomine inſigniti erant, qui tamen Romani non audiebant, ut ex Martyrologiis perſpicitur. Nempe ad diem 19. *Februar.* Publii Martyris in Africa mentionem faciunt Martyrologia Rom. Bedæ, Uſuardi, & aliorum. Ad 16. *Aprilis* Publii Martyris Cæſarauguſtæ in Hiſpania eadem Martyrologia; necnon Petrus in *Catalogo lib.4.c.55.* & Prudent. in *Periſtephan.* & Vaſæus *in Chron.Hiſp.* Alterius Publii Mart. in Africa meminit *ad diem 2. Novemb.* Martyrologium Roma-

 num,

num, Bedæ, & aliorum. Ad 12. *Novemb.* in Aſia Publii Mart. Rom. quem Beda in Africa incaute conſignavit. Nec non Publium Monachum in ſolitudine Zeugmæ memorat Nicephorus *l.* 11. *c.* 41. Quis igitur cordatus contendet, Publium minime fuiſſe Melitenſem, propterea quod nomine Romanis uſitato fuerit inſignitus? Quis potius non affirmet, id nominis a Parentibus impoſitum ei fuiſſe, quod Inſulares noſtri jam fuerint Romana Civitate donati? Profecto præmemoratus M. Craſſus, ut animadvertit ſupra citatus Carolus Meroville, *Mamertinus erat, & factus civis Romanus Romana nomina de more ſumpſit*. Scilicet *conſuevere externi homines, qui Civitate Romana donabantur, ſive Græci eſſent, ſive Judæi, Romana nomina ſibi imponere quaſi in honoris accepti ſignificationem, & teſtificationem, tradit Sveton. in vit. Claudii cap.* 25.

Coſm. Magal. in Op. Hierarch. l. 1. Ep. 1. ad Tim. cap. 1. ſect. 2. ann. 3.

§. V. Si quis vero vel inde colligat, contendatque Publium noſtrum dici poſſe Romanum Civem, ſeu verius Equitem; haud ibo inficias, dummodo Romanus privilegio, Melitenſis ortu dicatur: Sicuti quoque Paulus & Romano nomine inſignitus, & civis Romanus audivit, ut ex *Act. cap.* 22. perſpicitur; quamquam patria fuerit Tarſenſis. Atque ita intelligi debet eruditiſſimus noſter Hieronymus Manduca, quum in *Hiſt. MS. de D. Publio* aſſerat, quod glorioſiſſimus iſte Martyr *Romanus ac Melitenſis Civis fuit*.

§. VI. Tametſi Joh. Franciſcus Abela opinatus eſt Publium fuiſſe Græcum origine, non vero Patria, ut minus recte intellexit Adverſarius, qui oſcitanter legit bina hujus Scriptoris loca a ſe citata, videlicet *lib.* 2. not. 7. & *lib.*4. *not.* 4 neque advertit, ipſum *lib.*3. *not.* 1. rotunde aſſeruiſſe, *Publium fuiſſe civem noſtrum*. Quamquam ego ipſius opinioni haud me libenter ſubſcribo; nec enim illi adeo deſponſus ſum, ut omnibus & ſingulis ejus aſſertionibus calculum meum inconſiderate adjiciam: quandoquidem rationes atque argumenta, queis ille innititur, mihi haud omnino arrident. Namque Publium genere Græcum fuiſſe, ex eo conjicere quod id nominis frequenter fuerit Græcis uſitatum; ex ſuperius dictis vanum eſſe liquet. Nempe ſicuti Romanis nominibus condecorabantur, qui a Quiritibus genus nequaquam trahebant; ita etiam Græcis nomenclationibus inſigniri poterant, qui genere Græci non erant. Præterquamquod Publii nomen potius

Digitized by Google

potius Romanis, quam Græcis adſcribendumeſt. Altera vero ratio, qua Græcum Publii genus præcipue ille ſibi ſuaſit, eſt, quod Dionyſio Areopagitæ Athenienſium Epiſcopo is fuerit ſuffectus. Quandoquidem ad regendam Eccleſiam Græcam, & quidem Metropolitanam, & florentiſſimam, promotus ipſe neutiquam fuiſſet, niſi Græcanicis literis, ac ritibus eſſet apprime imbutus. Arbitror. Anne inde elici debet, quod Publius origine Græcus fuerit? Inficior. Quidpe illo ævo, ut *in Diſſert.* 8. evici, totus fere Orbis Cecropiis literis operam navabat, ut in præſentiarum Latinis: & quum Sicilia quoque Melitæ proxima, &, ut ita dixerim, cognata, Cecropiam Miuervam excoleret; mirum non eſt, quod Melitenſes, inter quos & Siculos vetus colebat conſuetudo, Græcanicum idioma calluerint: haud ſecus ac Sicilienſes Punica lingua, Melitenſibus familiari, teſte, quem alias allegavi, Apulejo, utebantur. Hnc accedit, quod Melitæ jamdudum dominati fuerant Græci, ex quibus & lingua, & ritus in hanc Inſulam effluxere. Sed de his ſatis *in præcitata Diſſert.* egimus..

§. VII. Itaque fateri oportet, Publium fuiſſe Patria Melitenſem, ut recte ſapienterque ſentiunt Octavius Cajetanus, Paulus Bellius, Sebaſtianus Salelles, Franciſcus Panigarola, Cornelius a Lapide, Dominicus Macer, Franciſcus Carrera, aliique Sapientes: quibus conſonant inconcuſſæ Majorum noſtrorum Traditiones: & ſuffragatur ipſa ratio. Silentio autem involvens Traditiones, argumenta queis moveor, breviter exponam. Equidem nullus alius locus cenſeri debet alicujus Patria, niſi ubi Parentes ac bona is habeat. Publium vero Parentes, domum, ac Prædia in hac Inſula habuiſſe perſpicue teſtatur Lucas his verbis: *In locis autem illis erant prædia Principis inſulæ, nomine Publii, qui nos ſuſcipiens, triduo benigne exbibuit. Contigit autem Patrem Publii febribus, & dyſenteria vexatum jacere.* Enimvero quis exiſtimabit, Publii Parentem, ſi Romanus, aut Græcus iſte fuiſſet, filium ſuum in Melitam, nempe inſulam longe diſtantem, Magiſtratus exercendi cauſſa profectum ſequi, & cum ipſo commorari voluiſſe, derelictis Patriis Laribus. priſcæ genti clariſſimis, & reliqua familia? Profecto & in præſentiarum Principes viri a Regibus ſuis ad gubernandas remotas provincias, aut regna, vel ad alia munera exercenda mittuntur; & tamen Patriam, Re-

Cajet. Iſag. c. 19. Bell Glor. Maſſan. c.6. Salel. Tom. 1. Prolegom. 10. Panigarol. in Comp. Ann. Baron. Corn. a Lapid. in Act. D. Macer. Itin. ad Liban. c. 2. Carrera Panth. Sicul. in Elog. D. Publ. Act. c. 28.

giam-

giamque Aulam minime deſerunt ipſorum Parentes. Et quidem, ſi Publius eſſet Romanus Eques, ipſius Parenti non deeſſet aliquod in Rom. Rep. munus gerendum, quo in Urbe detineretur. Qui vero in hac Inſula cum urbanas, tum campeſtres ædes, ac prædia ille haberet, niſi eſſet Melitenſis? Sane minus prudenter ille egiſſet, ſi in Inſula tam *lato periculoſoque mari* a Continente disjuncta, ſibi domos, ruſque paraſſet, in ea perbrevi tempore commoraturus, ſi Romanum Magiſtratum gerere deberet. Ni-
Cic. Phil. 1. mirum a Julio Cæſare ſancitum erat, *ne Prætoriæ Provinciæ* (ſunt Tullii verba) *pluſquam unum, neve pluſquam biennium Conſulares obtinerentur*: Quæ quidem Lex Lucæ ætate vigebat: iſte enim Sacer Scriptor de Felice Judææ Præſide ita loquutus eſt: (a) *Biennio autem expleto, accepit Succeſſorem Felix Portium Feſtum*.

§. VIII. Quocirca qui tunc temporis alicui Romanorum provinciæ præficiebantur, ingentem argenti aurique maſſam, pretioſaſque ſupellectiles cumulare potius curabant, quam magnificas ædes, ac prædia in terra aliena comparare: ut legimus feciſſe Verrem Siciliæ Prætorem, qui hanc provinciam adeo avare adminiſtravit, ut a Siculis repetundarum poſtulatus, a Romano Senatu fuerit damnatus, ut ex Tullii in eum actionibus, quas dicunt Verrinas, perſpicitur. Neque aliter ſe geſſit Licinius Galliæ
Dio Caſſius Hiſt. Rom. l. 54. Præfectus, qui, referente Dione Caſſio, *quoniam ſingulis menſibus tributum erat Gallis pendendum, quatuordecim menſes anni conſtituit, Decembrem menſem vere decimum dictitans: itaque duos quoque alios Auguſtos (undecimum, & duodecimum a ſe vocatos) eſſe pecuniamque iis competentem Gallis conferendam*. Tantam Prætorum, ac Proconſulum avaritiam ut compeſceret, atque coerceret Antoninus Pius, pulcherrimam illam legem edidit, *qua bona quæ repetundarum damnati ante ſuſceptam provinciam habebant, eorum liberis relinqui; cetera vero ſpoliatis provincialibus reddi ſanciverat: quibus antea lege Julia in auctione*

(a) Non me fugit, quod Beda *in Act. c.* 24. opinetur, ibi Lucam loqui intellexiſſe de biennio *converſionis Pauli in Cæſarea, non autem Præſidatus Felicis*; ſed novi quoque, ea verba rectius intelligi poſſe *de adminiſtratione Judææ*, in qua *Felix accepit Succeſſorem Portium Feſtum*, ut ſcite evincit Th. Maſſutius *in Vit. S. Pauli l.b.* 11. *c.* 6. Magno Hieronymo conſentiens: Quibus ſane aſtipulatur ſupra relata Ciceronis auctoritas.

ne venditis, & per Sectores redemptis, Fiſco ut plurimum pecunia inferri ſolebat. Ita loquitur Johannes Vignolius, qui pone allegat hæc verba Capitolini *: Si quos repetundarum damnavit* (Antoninus Pius) *eorum liberis bona paterna reſtituit, ea tamen lege, ut illi provincialibus rederent, quod parentes acceperant*.

§. IX. Sed Publius noſter tali avaritia affectus non erat, ut Melitenſium prædia domoſque occupare voluerit, ſi Romanum geſſiſſet Magiſtratum. Enimverò a S. Evangeliſta commendatur, utpote munificus, humanus, & hoſpitalis; neque alia de cauſſa ab ipſo nuncupatur *Protos*, ſeu *Primas Inſulæ*, quam quod inter ſuos conterraneos generis ſplendore, opumque copia eminebat. Quocirca rectè inquit Cajetanus *: Ego arbitror equidem Publium domo Melitenſem fuiſſe ; ſed enim Romana nomina jam in Romanorum provincias ea tempeſtate exundàrant ; notum ex ejus ævi Scriptoribus. Vox Græca* Πρῶτος, *quam Latinus Interpres Inſulæ Principem vertit; numquam uſurpata pro Magiſtratu, ſed ad nobilitatem & potentiam refertur: rectè quidem D. Joannes Chryſoſtomus ad hominem retulit divitem & abundantem; quod D. Lucas plane docet, qui Publium ; ait, ex viris Inſulæ Principibus fuiſſe, & qui opibus maxime polleret, quum triduum homines* 276. *hoſpitio exceperit*. Cui ſententiæ ſubſcribunt Sylveira *in Act. c.* 28. Rocchus Pirrus *not.* 7. *Eccl.Mel.* Franciſcus Carrera *in Panth. Sic. in Elog. D. Publ.* Oct. Cajet. Iſag. c.19.

§. X. Et quidem nedum a Demoſthene, Herodiano, Varrone, Thucydide, Plutarcho, Val. Maximo, aliiſque ab Adverſario allegatis, verumetiam ab ipſo Actuum Apoſtolorum Scriptore *Proti*, ſeu *Primates*, aut *Principes* appellantur, qui inter ſuos Municipales opibus, nobilitate, aut aliis Fortunæ bonis emicant. Quidpe *Act. c.* 13. Πρώτας τῆς πόλεως ille nuncupavit Fœminas, quæ in Antiochia Piſidiæ Opido principem locum tenebant. Necnon *Act. c.* 19. *Protum*, ſeu *Principem Publicanorum* Zacchæum appellavit, non quidem quod iſte ceteris Publicanis præeſſet, ſed quod ipſorum ditiſſimus ac potiſſimus audiret. Sic ille dicit Act.4. *Principes Populi*, & *Seniores*: cap. 13. *Principes Synagogæ* : cap. 17. *Principes Civitatis :* & pluries : *Principes Sacerdotum*. Hinc ſatis perſpicuum fit, quod viri primarii alicujus cœtus, aut populi dicantur

Pro-

Proti, ſeu *Principes* : atque hoc ſenſu Publius noſter *Melitenſium Princeps* audiebat.

§. XI. Præterquamquod ſi Publicus Romanum gereret Magiſtratum, ſive is eſſet Pater patratus, ſive 3. vir Quæſtor, ſive Prætor, ſive Prætoris Vicarius: nonne a D. Luca, qui, monente ipſo Adverſario, proprietatem amabat loquendi, ejuſmodi Magiſtratus propria nomenclatione indicaretur? Profecto ille in ipſa Apoſtolica Hiſtoria paſſim memorat *Tribunos*, *Præſides*, *Proconſules*, alioſque Romanos Magiſtratus. Sed demus etiam, quod Publius Romanum Magiſtratum obtinebat: num-ne inde neceſſario colligi debet, quod ipſe & patria fuerit Romanus? Haud quidem arbitror: ſiquidem nihil obſtabat, quin vir Melitenſis Romano munere fungeretur: namque Inſulares noſtri, ut aſſerebam, & *Socii Romanorum* illa tempeſtate audiebant, atque iiſdem, quibus Romani, Magiſtratibus fungebantur.

§. XII. Antagoniſtam vero noſtrum mihi reponentem audire videor: Omnia belle: rite Publii Patriam fuiſſe Melitam oſtendiſti; ſed utram? Sicilienſem veſtram Inſulam? Haud equidem: nempe illius ædes ac prædia in Dalmatenſi Melita eſſe potuerunt: ſiquidem *Proti appellationem eſſe ſolius Afro-Melitæ indicem, & nullatenus cum aliis populis communem præſtantiæ characteriſmum, nec novi, nec novero*. Sic ait, & plurimos congerit Auctores, qui primarios viros variorum populorum *Protos*, ſeu *Principes* appellarunt. Sed hercle Zoilus noſter *nec novit*, nec noverit, Melituſiorum primores nuncupatos eſſe *Protos*, ſeu *Primates*. Quinimo vel ſuo ipſe judicio ſe damnat. Qua enim fronte affirmare ille poteſt, Melituſios Græcanica iſta nomenclatione uſos fuiſſe, ſi eis Græciſmum ipſemet abjudicat, contenditque illos Pauli ævo *Barbaros*, imo *Tri-Barbaros* audiviſſe?

Inſp. 6. Diatr. 1. §. 2.

§. XIII. In Inſula autem noſtra, quamvis hanc, ut *in Diſſert.* 8. evici, *Barbari* incolebant, tamen erant in uſu Græca nomina, & literæ. Quinimo uſitata erat ipſa *Proti* appellatio. Neque enimvero aſſertionem noſtram futilibus conjecturis, uti Adverſarii mos eſt; ſed vetuſtiſſimis monumentis confirmamus. Nimirum olim fuit heic inventum perantiquum marmor, in quo hæ literæ erant inciſæ:

Λ. Κ ....

Λ. Κ.... ΚΤΟΣ. ΚΙΡ. ΠΓΟΥΔΙΝΣ
ΙΡΡΕΥΣ. ΡΩΜ.
ΠΡΩΤΟΣ. ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ.
ΚΑΙ. ΡΑΤΡΩΝ. ΑΡΞΑΣ
ΚΑΙ. ΑΜΦΙΠΟΛΕΥΣΑΣ
ΘΕΩ. ΑΥΓΟΥΣΤΩ.... ΕΣΧ..... Ν.... F I.NE.

Quæ voces ita redduntur Latine : *L. Caſtricius. Quirina. Prudens. Eques. Romanus. Protos. Melitenſium. Patrum. Præfectus. Et famulatui addictus Divi Auguſti*. Hoc monumentum tanti facit Cl. Ludovicus Antonius Muratorius, ſæculi noſtri decus, & admirabile Literarii Orbis Ornamentum, ut de ipſo hæc mihi conſcripſerit : *Il Grezio, che co' migliori tiene per Malta, ed altri prima di lui citano un' Iſcrizione, che dicono trovata coſtì, in cui un certo Lucio Prudente vien chiamato* Πρῶτος Μελιταίων, *Principe o ſia Primate de' Malteſi. Anche in S. Luca Publio è chiamato* Πρῶτος τῆς νήσου, *Principe o ſia Primate dell' Iſola. Se foſſe in eſſere una tale Iſcrizione, nulla più potrebbe chiarire con sì bella concordia il fatto, di cui ora ſi diſputa*. Hanc autem Inſcriptionem in hac Inſula exiſtere teſtatur Th. Bartholinus, qui eam accurate exſcripſit: necnon fatetur Adverſarius, qui eamdem ex Grutero Græviano *pag*. 388. 4. & Reineſio *in ſupplem. Grut. claſſe* 5. ingenue protulit. Ipſa quidem inciſa eſt in quodam marmore elaborato inſtar tegminis alicujus capſæ, ſive urnæ ſepulcralis, quod pluribus ab hinc luſtris inventum, collocatum eſt ſub Fontem ſcaturientem ad portam urbis antiquæ; ut jamdudum literis mandarunt Joh. Franciſcus Abela, Cluverius, & ante ipſos Quintinus, diuturnus hujus Inſulæ accola. Abel. l. 2. not. 4. Cluver Sic.ant. l. 2. cap. 16. Quint. in deſcr.Melit.

§. XIV. Quid quod ipſius Publii domus, ac prædia in hac Inſula olim cernebantur, & in præſentiarum eorum ſitus recognoſcitur, ut in *Diſſert*. 20. §. 7. oſtendam? Quamobrem doctiſſimus Cajetanus intrepide faſſus eſt, haud eſſe dubitandum, *Plubium Melitæ virum Principem, & opibus maxime abundantem fuiſſe ; ejus domus* (ipſe ſubjungit) *fuiſſe dicuntur, quæ in urbe Melita ædes maxima Paulo Apoſtolo dedicata eſt; prędia Publii, quorum D. Lucas meminit, ea fuiſſe putantur, quę hoc ęvo Benuerrat dicuntur, quę juxta ſinum, ad quem navis afflicta eſt ; nec longe a Pago Naſſar oſtenduntur*. Cui conſentit Thomas Maſſutius Cajet. Iſag. c. 19.

in Vit. S. Paul. lib. 11. *cap.* 10. & alii. Eat nunc Criticus noſter, & nullis monumentis, nulliſque auctoritatibus innixus, Publium iſtum *Meletę* adſciſcere contendat.

§. XV. At nos manet atrocior conflictus: nempe video Adverſarium in nos irruentem, armis adeo inſtructum, onuſtumque, ut, ſi metallica ea eſſent,

Laxaret gerulos ſarcina abena ſuos.

Sed bene habet nobis, quod ipſa ſunt arundinea, imo arundine fragiliora. Nimirum de Melitenſi Publii Epiſcopatu lis nobis eſt. Atque o! quot offucias, fruſtrationes, technas, calumnias, quæ ejus ſunt arma, ipſe congerit, ut e Faſtis Melitenſis Eccleſiæ tantum Præſulem expungat! Verumenimvero, favente Numine, ſicut Paulum naufragum, ita & Publium Epiſcopum nobis aſſeremus. Nihil enim nobis officiunt Zoili noſtri difficultates, ut ex earum ſolutione perſpicietur.

Inſp. 6. Diaſt. 2. § 1. §. XVI. Primo ſane Adverſarius ſic nobis infit: *At ſaltem cogitaſſent (Philomaltenſes) illis tribus menſibus Paulinę commorationis in Melita, quando Publium a Paulo inſtitutum in Epiſcopum ajunt, eum recentem, imo recentiſſimum Chriſtianum fuiſſe, atque, ut ita dicam,* Νεοτατόφυτον *Pauli, qui certe in Epiſt.* 1. *Timoth. c.* 3. 6. *Neophitos ab Epiſcopatibus arcendos apertiſſime ſancit.* Bona verba, mi Ariſtarche: ne nobis adeo ſuccenſeas; namque ſenex Pſittacus, ut eſt in Adagio, negligit ferulam: ſiquidem nos cogitavimus, advertimus, & perpendimus, Publium fuiſſe in Chriſti fide novitium; quum Apoſtolus in hac Inſula commoraretur: nihilum tamen id obſtare cenſuimus, quin ille ad Melitenſe Pontificium fuerit evectus. Rationem accipe ab uno e noſtris Commilitonibus: *In tali autem electione* (inquit doctiſſimus Theologus Sebaſtianus Salelles) *& conſecratione, circa Annum* 59. *a Nativitate Domini executa, abſit, quis judicet* (a) *Apoſtolum ſibi ipſi contrarium* 1. *Timoth.* 3. *ſcribentem, & aſſignantem inter multiplices virtutes, & qualitates in perſona ad gradum & ordinem ſublimiorem Epiſcopatus promovenda requiſitas, hanc in primis:* Non Neophitum, ne in ſuperbiam elatus incidat in judicium Diaboli: *Quia etiam, tametſi ob cauſam hanc in ſacro textu expreſſam, & ob alias non paucas de lege ordinaria, & ex Jure*

(Tom. 1. de mat. Tribun. S. Inq. Prolegom. 10.)

(a) Vides ut difficultates ab Adverſario, tamquam inauditas, allegatas, jampridem explanaverint noſtri Propugnatores! Is enim Auctor ſcribebat Anno 1653.

Jure communi rationabiliter ſit præſcriptum, ut quicumque Neophiti, ſeu novelli in fide, ad quoſcumque alios ordines, & a fortiori ad Epiſcopatum ſint irregulares; vix tamen ulla eſt lex adeo univerſalis & ſtricta, quæ circa caſus particulares non habeat aliquam exceptionem, uti habuit hæc de Neophitorum irregularitate quoad caſum præſentem. Nam S. Apoſtolus Principem Publium per illud breve tempus adeo firmum (quæ eſt ſumma ejus laus, & major multo quam quæ ipſi tribui poſſit) ita radicatum in Fide Catholica vidit, ut prudentiſſime judicaverit, fore ut non ſolum in ſe eam eſſet retenturus abſque periculo ullo retrocedendi, ſeu ad Gentiliſmum, aut ad aliam ſectam redeundi; ſed de ipſa etiam in iſtarum Inſularum incolis integre conſervanda diligentiſſime curaturus, propulſis hæreſibus, vel erroribus quibuſcumque, ſi qui forte poſtea pullularent; merito itaque Publium ſuum tamquam valde dignum & aptum, maturo conſilio, & non ſine Divini Numinis afflatu S. Apoſtolus in Epiſcopum Melitenſibus elegit. En qui loquantur Sacrorum Canonum Pragmatici.

§. XVII. Sed ne ſolis auctoritatibus inniti videamur, aſſertionem noſtram tum exemplis, tum rationibus confirmabimus. Equidem cultiſſima urbs Neapolis gloriatur, ab altero Apoſtolorum Principe primum Epiſcopum ſibi datum S. Aſperenatem, recenter ad Chriſti Fidem ab eodem Apoſtolo perductum. Antiquiſſimæ Neapolitanorum Traditioni conſentit Petrus Subdiaconus, qui circa Annum 872. hæc ſcribebat: *Beatiſſimus Petrus Apoſtolorum Princeps Aſprem (ſive Aſprenam) Sanctiſſimum inibi ordinavit Epiſcopum.* Nec non Martyrologium Rom. III. Non. Auguſti hæc habet: *Neapoli in Campania S. Aſpren Epiſcopi, qui a S. Petro Apoſtolo ab infirmitate curatus, & deinde baptizatus, ejuſdem civitatis Epiſcopus ordinatus fuit.* Idem legitur in Actis ejus vitæ, quæ in Neapolitani Theſauri archivio adſervantur, atque ex characterum antiquitate creduntur eſſe quarti Sæculi: quibus aſtipulatur Johannes Diaconus, atque ex recentioribus Cardinalis Baronius, Gulielmus Lindanus, Raphael Volaterranus, Joh. Villanus, Chioccharellus, & alii (a). Divum autem Marcum elegiſſe, & cumdem

Petr. Subdiac. In Vit. S. Athan.

Joh. Diac. in Chr. Epiſc. Neap. Baron. ad Ann. 46. Lindan. in Apol pro Miſſ. Volaterr. Geogr. l. 6. Villan. Chron. Neap. l. r. c. 34. Chiocchar. el. de Epiſcop. Neap.

Ss 2

(a) Non me latet, quod Franciſcus Blanchinius *in not. ad Chron. Epiſcopor. Neapol. Eccl. Joh. Diacon.* inſertum *Tom. 1. part. 2. Rer. Ital. Script.* con-

dem Apoſtolorum Principem confirmaſſe in Aquilegienſem Epiſcopum, quemdam Hermacoram, ipſius urbis civem, & ejuſdem Evangeliſtæ diſcipulum, ac Neophitum, teſtatur Andreas Dandulus *Cbron. lib.* 4. *c.* 1. *&* 2. Quem Hermagoram fuiſſe primum Aquilejæ Epiſcopum, tradit vetus Martyrologium Romanum a Cl. Heriberto Roſvveydo publicatum, in quo *Prid. Id. Septembr.* leguntur iſta: *Ticini, Confeſſoris Syri, & Eventii, diſcipulorum Hermagoræ, Aquilejenſis primi Epiſcopi.*

Extat hoc opus ap. Collect. Rer. Ital. Script. Tom. 12.

§. XVIII. Quid plura? Nonne Dionyſius Areopagita, Athenis ortus, ab eodem Paulo in fide eruditus, ſacro profuſus lavacro, atque in primum Athenienſium Epiſcopum inſtitutus eſt? Ita plane affirmant Hilduinus, & Notkerus: nec non Suidas, Nicephorus, Syncellus, & alii apud Guilielmum Cave. De iſto autem Præſule ita loquitur S. Maximus: *Dionyſius omnibus quidem ſalutis dogmatibus a præſtantiſſimo Paulo initiatur, ab Hierotheo vero maximo, ut ipſemet ait, Præceptore inſtruitur. Deinde (ut in ſeptimo Apoſtolicarum Conſtitutionum libro babetur) Dionyſius a Paulo Chriſtifero Athenienſium Fidelium Epiſcopus conſtituitur.*

Hild. in Areop. Notker. in Martyr. Guillel. Cave in Hiſt. Litter. Sec. Apoſt. n 50. S. Max. in Prolog. in Op. S. Dionyſ.

§. XIX. Sed fortaſſe Zoilus noſter inquiet: Eſto quod prævenerati Antiſtites fuerint in Chriſti Fide novitii, quando Epiſcopali thiara fuere redimiti: non tamen evincis, eos fuiſſe adeo in Fide novitios, ſicuti Publius veſter, qui bimeſtri, vel ad ſummum trimeſtris Chriſticola erat, quando ipſum ad Melitenſe Eccleſiarchium a Paulo promotum aſſeritis. Ageſis, mi Ariſtarche; tibi morem gerere, atque omnino ſatisfacere volo: quinimo ultra expectationem tuam, moroſiſſimum tuum animum explebo. Nempe adducam Antiſtites, qui nedum ex Neophitis, ſed & ex Catechumenis, & ex Paganis facti ſunt Epiſcopi. Profecto S. Ambroſius, quum adhuc eſſet Catechumenus, acclamatus fuit Epiſcopus, ut tradunt Theodoritus Epiſcopus Cyri, & Andreas Dandulus; ita ut quem Valentinus Imperator Mediolanenſi provinciæ præfecerat, Mediolanenſi Eccleſiæ præfecit Deus. Hac de re audiendus eſt Nicolaus Papa, in Epiſtola ad Photium miſſa ita loquens: *Ad ſacerdotalem*

ab

Theodorit. Hiſt. Eccl l.4. c.7. Andreas Dandul ap. Collect. Rer. It. Script. tom. 12 Dan. Papebroch. in Act. SS. & alii.

Hæc Epiſtola inſerta eſt Act 4. Concil. Conſtant. 4. ap. Labbeum & Coſſart.

---

tendit, S. Aſprenatem multo poſteriori ævo floruiſſe. Ei tamen refragantur ſupra allatæ Auctoritates minime contemnendæ. Ceterum non deſunt nobis alia exempla, aſſertionem noſtram conroborantia.

ab omni populo, & Clero divinitus eſt dignitatem electus, & ex Catecbumeno per ſingulos gradus Eccleſiaſticos proficiſcens, octavo die ab omni Catbolicorum, Divina annuente Clementia, conſenſu eſt conſecratus Epiſcopus. Idem Summus Pontifex in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem conſcripta meminit cujuſdam Nectarii, qui *non ſolum ex laico babitu, verumetiam ex Pagano, Sancta Synodo Secunda ordinante, meruerit Epiſcopus fieri*. Necnon in præcitata epiſt. ad Photium data mentionem ille facit de quodam Taraſio, *qui ex laicali cœtu ad Patriarcbatus culmen* (a) *extemplo promotus eſt*. Cujuſmodi promotiones *per neceſſitatis fieri eventus* ille docet, ita concludens. *Ecce propter neceſſitatem, & inopiam Clericorum Nectarius; ecce propter Eccleſiaſtica dogmata, & Hæreticorum expugnationem, qui venerandas deponere imagines præſumpſerunt, Taraſius; ecce per Miraculorum ſigna Ambroſius, ad regendas Eccleſias promoti ſunt*.

Hæc epiſt. extat in eodem Concil. act. 14.

§. XX. Vides Critice mi belle, ut in uno, aut altero ex modo expoſitis eventibus, non ſolum Neophiti, ſed & Pagani ad Epiſcopales dignitates evecti ſunt! Cur igitur frontem contrahis, nobiſque ſuccenſes, quum Publium, bimeſtrem aut trimeſtrem Chriſticolam ad Melitenſem Epiſcopatum fuiſſe a Paulo promotum cenſeamus? Quandoquidem *neceſſitatis eventus* a Nicolao Papa recenſiti, quorum ſinguli ſuffeciſſent ejuſmodi conſecrationi, omnes ea tempeſtate recognoſcere heic erat. Sive enim *Clericorum inopiam* reſpicias; quos, amabo, Clericos in hac Inſula, tunc primum ad Chriſti fidem converſa, reperire erat? Si naſcentis Eccleſiæ Melitenſis *neceſſitatem* attendas; næ ipſam Paſtore ac Doctore maxime indiguiſſe fateberis, quum recenter orta eſſet in Inſula quidem, ab aliis Eccleſiis, adeo diſſita; in qua licet non eſſent Hæretici, qui *expugnarentur*; erant tamen Pagani tum indigenæ, tum advenæ, ex variis regionibus ad noſtros portus negotiationibus perquam opportunos, necnon ad celeberrima Junonis, Herculiſque Fana, quæ tunc heic viſebantur, confluentes: quorum ritus, exempla & familiaris conſuetudo novellis noſtris Chri-

(a) Nota *τὸ extemplo*: dein expende, an fuerit intempeſtiva noſtri Publii conſecratio, qui tres fere menſes potuerat a Paulo ſatis inſtrui iis, quæ Epiſcopo neceſſaria ſunt: præſertim quod vir erat acris ingenii, & doctiſſimus Taraſii vero conſecrationem reprehendit Hadrianus Papa, ut ait idem Nicolaus.

Chriſtifidelibus eſſe poterant magno periculo, ac detrimento. Neque autem dubites, quin Publius noſter fuerit, ſicuti Ambroſius, divinitus electus; ſiquidem eum ſelegit ipſe Sancti Spiritus Apoſtolus, Divinorum Arcanorum Conſcius, ac eximias illius virtutes expertus.

§. XXI. Et quidem glorioſus noſter Heros virtutibus, quæ decent Epiſcopum, erat luculenter ornatus. Nempe, ut nos docet Hieronymus, *ante omnia Hoſpitalitas futuro Epiſcopo denunciatur. Si enim omnes illud Evangelii audire deſiderant* : Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me; *quanto magis Epiſcopus, cujus domus omnium debet eſſe hoſpitium? Laicus enim unum, aut duos, aut paucos recipiens implebit Hoſpitalitatis officium; Epiſcopus niſi omnes recipiat, inhumanus eſt*. Ecquis autem hujuſmodi virtute magis effulſit, quam Publius noſter? Hic ſane *non unum, aut duos, aut paucos, ſed omnes*, omnes Apoſtoli comites, fractique navigii Nautas, ac vectores, qui haud minorem, quam 276. animarum, numerum conflabant, hoſpitio & quidem humaniſſimo excepit, ut dubitare neminem ſinunt Sacri Evangeliſtæ verba : *Qui nos ſuſcipiens, triduo benigne exbibuit*. Alia virtus, Epiſcopo potiſſimum digna, eſt doctrina. *Summa enim* (inquit Hilarius) *omnium virtutum Epiſcopalium eſt ſcientia, & doctrina* : & ut aſſerit Theophylactus, *eſt doctrina virtus, & Character Epiſcopi*. Et quidem in Pontificis veteris Legis Rationali inſcribebantur hæc : *Doctrina & Veritas*. Quanta vero fuerit Publii ſcientia, vel ex eo conjici poteſt, quod Athenienſibus omnium populorum doctiſſimis præfici promeruerit, ut Galeſinius, NotKerus, aliique veteres Martyrologi teſtantur, quorum auctoritates rationibus fultas contra incepta Adverſarii commenta in *ſequenti Diſſertatione* producam. Heic autem prætermittere non poſſum Magni Adonis teſtimonium, cui noſter Publius dicitur *præclarus virtutibus, ac doctrina præfulgens* : idemque affirmat Ven. Beda.

D. Hieron. ep. ad Ocean.

D. Hilarius de Trinit l. 8.

Theophylact. in c. 1. 1. ad Tit.

§. XXII. Propterea Paulus vereri non poterat, ut Publius ex Neophito factus Epiſcopus *in ſuperbiam elatus incideret in judicium Diaboli*. Quæ quidem ratio Apoſtolum induxit, ut Neophitos ab Epiſcopali dignitate prohibendos eſſe decerneret. Qui enimvero timere ille poterat, Publium in ſuperbiam ſeſe elaturum ob Melitenſis Eccleſiæ Principatum; quandoquidem ipſum, jamdudum principem locum in-

inter ſuos conterraneos occupantem, humilem, atque humanum expertus ille idem erat? Anne Heros noſter in parvula Eccleſia, tunc primum naſcente, gubernanda ſervare non poterat animi virtutem, quam in ſplendido illo fortunæ ſtatu, inter univerſos hujus Inſulæ accolas eminens, præſeferebat? Ii plane ſuperbiunt, qui quum abjecti, & virtutibus, meritiſque deſtituti ſint, in altum immerito tolluntur. Publii vero noſtri virtus ac ſplendor major erat, quam ut ob novam dignitatem in ſuperbiam efferretur. Quinimo prudentiſſimus gentium Doctor ſperare debebat (ut quidem ſperavit, ac prænovit) fore ut ille virtutem ſuam nedum haud eſſet diminuturus, ſed etiam ſummopere adaucturus. Si enim ille adhuc Idolatra, Jeſu-Chriſti Miniſtros tanta humanitate excepit; quis, niſi imprudens, eumdem jam Chriſticolam, imo Chriſtifidelium Caput, majori hoſpitalitatis laude, ergaque fratres benevolentia, emicaturum eſſe non putaſſet? Profecto, ſi nondum Epiſcopus Epiſcopalibus virtutibus ornabatur; eaſdem multo magis excoluiſſe credendus ipſe eſt in Pontificem inſtitutus. Et quidem ſicuti de Martino Epiſcopo dixit Dominus, veſtem, ab eo donatam pauperi cuidam, indutus: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veſte contexit*; ita & de noſtro Præſule affirmare poterat, innuens eximiam ipſius erga Paulum ſocioſque Naufragos hoſpitalitatem: *Publius adhuc Paganus hoc me hoſpitio ſuſcepit*.

§. XXIII. Heic autem mihi redarguenda occurrit quorumdam Sciolorum opinio, qui Publium neutiquam fuiſſe conſecratum a Paulo Epiſcopum arbitrantur; propterea quod tam brevi temporis curriculo, videlicet trimeſtri, nec perfecto, intervallo, per ſingulos Eccleſiaſticos Ordines gradatim ad Epiſcopatum promoveri difficillime ille potuerit. Nimirum ii Eccleſiaſtica in Hiſtoria hoſpites eſſe videntur; quum ignorent, quod in primitiva Eccleſia minime aſcendebatur per ſingulos Ordinum gradus ad Presbyteratum, ut animadvertit Petrus Bleſenſis, Archidiaconus Bathonienſis, ſeu ut aliis placet, Petrus Comeſtor, ſive Manducator (*a*): *Ubi* (inquit) *primo notandum occurrit*, *quia*

P. Bleſenſ. ſiv. Comeſt. ſerm. 47.

(a) Sermones enim numero 51. quos Petro Bleſenſi tribuit Jo: Buſæus *in Præf. ad oper. P. Bleſen.* eoſdem Petro Comeſtori adjudicat Petrus de Guſſanvilla, Presbyter Carnotenſis *in Præf. in eadem opera*; ut videre eſt in *Biblioth. Vet. Patr. Tom. 24. Edit. Lugdun.*

quia productior eſt aſcenſus ad hunc gradum (Sacerdotalem) *nunc, quam in primitiva Eccleſia. In qua qui tantum fidelis erat, Diaconus fiebat, vel Sacerdos. Introducti poſtea ſunt quidam minorum ordinum gradus, per quos, tamquam per cantica graduum, aſcenditur ad Sacerdotium.* Quod ſane confirmatur auctoritate Angelici Doctoris, ita loquentis: *Quod etiam in primitiva Eccleſia aliqui ordinabantur in Preſbyteros, qui prius inferiores ordines non ſuſceperant, & tamen poterant omnia, quæ inferiores ordines poſſunt.* Audi rationem, quam ipſe mox aſſignat. *Quia inferior poteſtas comprehenditur in ſuperiori virtute, ſicut ſenſus in intellectu, ducatus in regno.* Neque vero huic ſententiæ refragatur Ignatii Martyris auctoritas, hæc ad Antiochenos ſcribentis: *Saluto Sanctum Presbyterorum Collegium, ſaluto ſacros Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores, Cuſtodes ſacrorum veſtibulorum* &c. Namque ex hiſce verbis ſolidum pro omnibus argumentum deſumi non poteſt, ut animadvertit Eminentiſſimus Bona; quandoquidem nec ſingulos ordines ille recenſet: quidpe *Acolythos* (*a*) prætermiſit: necnon inter eos adnumerat *Cantores, Laborantes*, ſimul ordines, & officia Eccleſiaſtica permiſcens. Præterquam quod Apoſtolorum ævo minores ordines haud erant in Eccleſia neceſſarii: ſiquidem eorum miniſteria *non a diſtinctis perſonis, ſed ab uno dumtaxat miniſtro exercebantur, qui & Oſtiarii, & Lectoris, & Exorciſtæ, & Acolythi officio fungebatur*, ut inquit idem Scriptor: qui pone allegat hæc verba D. Thomæ, D. Dionyſium itidem allegantis: „In primitiva Eccleſia propter paucitatem miniſtrorum omnia inferiora miniſteria Diaconibus committebantur, ut patet per Dionyſium cap. 3. Eccleſ. Hierarch. ubi dicit: *Miniſtrorum alii ſtant ad portas templi clauſas, alii aliud proprii ordinis operantur; alii autem Sacerdotibus proponunt ſuper altare ſacrum panem, & benedictionis calicem.* Nihilominus erant omnes prædictæ poteſtates, ſed implicite, in una Diaconi poteſtate. Sed poſtea ampliatus eſt cultus Divinus, & Eccleſia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diverſis.

D. Thom. in Suppl. 3. Part. q. 35.

Joh. Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 25. §. 17.

§. XXIV. Profecto Gajus Papa, qui non ante Annum Ær. Vulg. 296. glorioſum pro Chriſto certamen ſubivit, ut

(*a*) Acolythorum meminit Gelaſius Papa, ad Epiſcopos Lucaniæ ſcribens.

by Google

ut legitur in ejus vita, *conſtituit, ut omnes ordines in Eccleſia ſic aſcenderent. Si quis Epiſcopus fieri mereretur, ut eſſet Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolythus, deinde Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, exinde Epiſcopus ordinaretur*. Quam quidem conſtitutionem renovavit Synodus II. Romana, ſub S. Sylveſtro celebrata, in qua fuit ſancitum, *ut ſi quis deſideraret in Eccleſia militare, aut proficere, eſſet prius Oſtiarius, deinde Lector, & poſtea Exorciſta, per tempora, quæ Epiſcopus conſtituerit; deinde Acolythus annis quinque, Subdiaconus quinque annis, Cuſtos Martyrum (a) annis quinque, Diaconus annis quinque, Presbyter annis tribus &c.* Quid vero heic amplius inſiſto? Quandoquidem ſupra expoſita difficultas eſt adeo futilis, ut licet Apoſtolorum ætate in uſu eſſet quod poſt duo & amplius ſæcula conſtituit Gajus Papa; nihilotamen minus in multo minori, quam trimeſtri, temporis ſpatio, per omnes ordines gradiens ad ſummum Epiſcopatus apicem evehi Publius noſter potuiſſet. Quare non? Siquidem teſtante, quem ſupra allegavi, Nicolao Papa, D. Ambroſius *ex Catechumeno per ſingulos gradus Eccleſiaſticos proficiſcens, octavo die ab omni Catholicorum, Divina annuente Clementia, conſenſu, eſt conſecratus Epiſcopus*. Quid quod prælaudatus Taraſius *ex laicali cœtu ad Patriarchatus extemplo culmen promotus eſt?* Sed tranſeamus ad alias Adverſarii oppoſitiones, ſeu verius calumnias.

§. XXV. Scilicet ipſe vitium, ſibi familiare, aliis imputare conſuetus, ut alias demonſtravi, & poſthac, maxime *in Diſſert. ſequenti §. 4.* oſtendam; Fautores noſtros falſitatis inique non minus, quam impudenter inſimulat. *Porro illud plane mirandum* (inquit iſte Sycophanta); *quod Afro-Melitenum Publii Pontificatum nulla, inquam, nulla, non falſo adducta auctoritate conentur aſtruere*. Nempe Adonem, Bedam, alioſque Martyrologos a nobis perperam allegari contendit, ſed quam minus recte, videat ingenuus Lector. Ado ſane ex optima Roſvveydi editione, quam Adverſarius ipſe commendat, in *Libello de Feſtivit. Apoſt.* ita loquitur. *Natalis S. Publii Athenarum Epiſcopi, qui Princeps Inſulæ Melitæ, vel Militenæ, cum navigantem B. Paulum*

Inſpect. 6. Diatr. 2. § 2.

Tt

(a) En Eccleſiaſticum officium ordinibus ſacris immixtum: Sicuti D. Ignatius Martyr in *præcit. epiſt. Laborantes*, & *Cantores* permiſcuit *Oſtiariis*, *Lectoribus* &c.

lum Apoſtolum Romam, ſub cuſtodia detentum, per triduum hoſpitio receptum humane tractaſſet, ut D. Lucas refert, Patrem ipſius Publii contigit febribus, & dyſenteria vexatum jacere. Ad quem cum intraſſet B. Apoſtolus, & impoſuiſſet illi manus, & oraſſet, ſanavit eum. Quem Publium adhærentem ſibi B. Apoſtolus poſtea ordinatum Epiſcopum ad prædicandum direxit, qui poſtmodum Athenienſium Eccleſiam nobiliter rexit: & præclarus virtutibus, ac doctrina præfulgens ob Chriſti Martyrium glorioſe coronatur. Nam primus Dionyſius, inde Publius iſte Athenis præfuit. Cui quidem Scriptori conſonat Ven. Beda *ad* 15. *Kal. Februar.* Quamvis autem ea verba ſint electro lucidiora, tamen Zoilus noſter, ut ex parœmia loquar, ex natali emortualem nobis facere ſtudet: nempe ipſa neque ab Adone prolata, neque nobis ſuffragari contendit. Nimirum aſſerit, Moſandrum Carthuſianum Adonis Martyrologio pleraque ab aliena manu inſerta addidiſſe; idque vitiaſſe, ac per conſequens deformaviſſe. Sed, amabo, mi Ariſtarche, quid Libello *de Feſtiv. Apoſt.* ex quo illa verba decerpſimus, cum Adonis Martyrologio commune? In iſto quidem hæc ſola de noſtro Publio ſcribuntur: *Apud Athenas B. Publii Epiſcopi ob Chriſti Martyrium coronati.* Qua igitur fronte, mi Criticule, cauſaris vitiatum a Moſandro Martyrologium, quum nos Adonis opus ab iſto valde diverſum allegemus?

Roſvveyd. in Prælim. in Martyr. Adon.

§. XXVI. Deinde *inſerta illa*, ut teſtatur Heribertus Roſvveydus, *fere Coloniam, ubi liber hic* (vitiatum Adonis Martyrologium) *ſcriptus erat, & vicina loca ſpectant*, non vero Melitam, & Athenas, mille & mille paraſangis a Colonia diſtantes. Præterquamquod ipſe Roſvveydus, quæ Moſander intruſerat, in caſtigatiſſima ſua editione rejecit, Adonemque ſuo priſtino nitori, trium veterum Codicum ope, reſtituit. Sed ipſum audi. *Cum hic* (Moſander) *& ordinem mutaverit, & quædam ab aliena manu inſeruerit, paucula dempſerit, nonnulla quoque aſſecutus non fuerit, placuit rurſus Adonem recenſere, eumque priſtino nitori reſtituere, & veteri Martyrologio Romano, ſicut ipſe olim fecit, ſubnectere. Quod ut ex Fide præſtarem, tres mihi veteres codices fuere ſubſidio, perbenigne a quibuſdam antiquitatis Eccleſiaſticæ Fautoribus communicati.* Ediſcat igitur Criticus noſter, quam aliena ſint a *Miſcellaneo Moſandriano* prææallegata verba, a nobis excerpta ex Adonis libello *de*

Roſvveyd. loc. cit.

Fe-

Feſtivit. Apoſt. & reliquorum, qui diſcipuli, aut vicini, ſucceſſoreſque ipſorum Apoſtolorum fuerunt: in quo iſte Auctor juremerito Publii noſtri fuſius meminit, ut pote diſcipuli Gentium Doctoris, inter Apoſtolos principem locum poſt D. Petrum tenentis. Hujuſce autem Libelli (ut teſtatur idem Roſvveydus, qui ſeſe nihil in eo dediſſe, *ſine Auctoribus, libris, iiſque vetuſtiſſimis* adſeverat) *auctoritatem tuetur ipſe Ado in ſuo Martyrologio* 11. Julii, *ubi poſtquam breviter SS. Proceſſi, & Martiniani Martyrum meminit addit*: Quorum paſſio in Libello Apoſtolorum ſupra notata eſt: *quæ verba in vulgato Adone deſiderantur, uti & nonnulla alia*. Vides ut heic quoque brevem SS. Proceſſi & Martiniani mentionem fecerit Sacer iſte Martyrologus: propterea quod *in lib. de Feſtiv. Apoſt.* paſſionis eorum prolixius meminerit! Nihil ergo eſt in cauſſa, cur mireris, Adonem in ſuo Martyrologio tacuiſſe Melitenum Publii Epiſcopatum, & alia quæ de ipſo *in lib. Feſt. Apoſt.* fuſius differuerat.

§. XXVII. Sed licet ſupra allegata verba Adonis vere ſint, tamen nobis nequaquam opitulari contendit moroſiſſimus noſter Antagoniſta: ſcilicet ex his verbis: *Quem poſtea ordinatum Epiſcopum ad prædicandum direxit;* ille conjicit, Publii *ordinationem factam poſt Pauli diſceſſum e Melita*. Grammatici veſtram fidem! Ergo-ne hæc dictio *poſtea* adeo remota reſpicit tempora, ut Publii ordinationem, factam tribus fere menſibus poſt Apoſtoli in Melitam adpulſum, indicare minime poſſit? Non-ne Sacer iſte Martyrologus appoſite dixerit, Publium fuiſſe *poſtea* ordinatum a Paulo Epiſcopum, ſi hujuſmodi ordinatio fuerit peracta, non quidem ſtatim ac Apoſtolus huc adpulerit, & Publii Parenti ſanitatem reſtituerit, ſed utique poſt aliquod temporis intervallum, puta bimeſtre? Ita quidem Adonis verba accipere debet, qui eadem extorquere non affectat. Nimirum ille ordinatim & ſucceſſive narrat, quæ inter Publium, & Paulum in hac Inſula obtigerint: videlicet humaniſſimum hoſpitium, quo Apoſtolum ille ſuſcepit; curationem illius Parentis; illiuſque promotionem ad Epiſcopatum; quæ ſane quum non illico poſt redditam ejuſdem Genitori ſalutem facta fuerit; ſed poſtea quam Apoſtolus illum in Fide ſatis erudiverit, & Epiſcopali muneri aptaverit (quæ quidem brevi fieri potuerint, ſi perſpicax Pu-

blii ingenium, ac virtutem attendas); recte ſapienterque Ado dixit, Publium *poſtea ordinatum Epiſcopum* &c.

§. XXVIII. Attamen Adverſarius, ſeſe Æthiopem lavaſſe ratus ad aliam fruſtrationem confugit. Nempe contendit, ex præallegato Adonis loco eliciendum eſſe, quod Publius in Epiſcopum fuerit a Paulo inſtitutus non ad regendam Melitenſem Eccleſiam, ſed ad annunciandum procul ab hac Inſula Evangelium. Si autem quæras, cur ita opinetur Criticus noſter, hoc tibi repoſiturum arbitror; propterea quod ſacer iſte Martyrologus dixerit, Publium *ad prædicandum* fuiſſe a Paulo directum. At o feliciſſimam Melitam, quanto te honore dignatur Adverſarius, licet invitus! Siquidem te totam, nemine tuorum incolarum demto, ad Chriſtum a Gentium Doctore perductam, & adeo in Fide, ſolo trium menſium curriculo, eruditam reputat, ut poſt Pauli diſceſſum, nullius amplius *Prædicatoris*, aut Doctoris, Paſtoriſque ope indigueris. Sed Inſula noſtra Adverſarii encomium reſpuit, tamquam vanum, & inſincerum: ſiquidem ipſa poſt Pauli *prædicationem*, Publii concionibus, & paſtorali cura egebat. Nec enim omnes noſtri Inſulares ab Apoſtolo fuerant ad Chriſtum adducti; neque ſine Doctore ac Præſule in Evangelica ſemita progredi poterant, qui jam fuerant Chriſto Domino aſſerti. Mihi ſane conſentit prudentiſſimus Ludovicus Zacconus, ita loquens: *Ottenuto ch' egli* (Publius) *ebbe il Veſcovato, s' impiegò tutto a quel ſervigio, sì per ſervir Dio, com' egli dovea, come anche per convertirvi quelli, che non erano convertiti, ed a' convertiti moſtrare, quale foſſe la buona via della ſalute.*

Zaccon. l. 3. Vit. SS. Liter. P.

§. XXIX. Riſum vero mihi concitat Zoilus noſter, quum ſeſe conjicere aſſerat, in ſupra expoſito Adonis loco *innui Publium non Antiſtitem fuiſſe a Paulo, ſed Presbyterum conſecratum*; *phraſi enim antiqua Eccleſiaſtica nomen Epiſcopi pro Presbytero, ſeu mero Sacerdote uſurpabatur*. Hoc autem argumentum nimis probat, nihil vero concludit. Et quidem, ſi ei velimus inniti, Epiſcopatum abjudicabimus iis omnibus, qui ab antiquis Scriptoribus Epiſcopi fuiſſe dicuntur; eoſdemque puros ac putos presbyteros audiviſſe (ſi Deo placet) una cum Critico noſtro adſeverabimus. Ipſe tamen, qui Adriæ, ac Euri nomina preſſe accipienda eſſe, prout Lucæ tempeſtate ſonabant, tam acri-

ter

Digitized by Google

ter contendit; advertere quoque debuiſſet, quod Beda, & Ado non ſcripſerint illo ævo, quo Presbyteri vocabantur Epiſcopi, ut eos appellavit Paulus ante plura ſæcula. Enimvero diſcretas fuiſſe iſtas appellationes ævo ſuo teſtantur plures Sancti Patres, qui multo ante Bedam, & Adonem inclaruerunt. Literarum quidem Parens Auguſtinus ſcribens ad Hieronymum aperte diſcriminat Epiſcopatum a mero Sacerdotio, atque hoc eſſe illo inferius, affirmat. *Atque identidem rogo* (inquit) *ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus eſſe perſpexeris; quamquam enim ſecundum honorum vocabula*, (nota) *quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio major ſit; tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt: licet etiam a minore quolibet non ſit refugienda, vel dedignanda correctio*. Epiſcoporum autem nomine Presbyteros a Paulo nuncupatos animadvertens aureus ille ſacræ eloquentiæ Fons, ita loquitur: *Itane unius civitatis plures erant Epiſcopi? Nequaquam; ſed hoc titulo deſignat Presbyteros: tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune*. Unde perſpicitur, quod Chryſoſtomi ævo hujuſmodi vocabula erant diſcreta. Cujus quidem immutationis cauſſam affert D. Ambroſius ab Amalario Fortunato allegatus. *Quæ autem ſit cauſa* (inquit) *non eſt juſtum eam ſilentio prætterire ob illam immutationem nominum, quæ ad præſens eſſe videtur, & qua ex cauſa diſcreta ſunt nunc nomina, & neque Epiſcopus dici poteſt Presbyter, neque Presbyter unquam Epiſcopi nuncupationem poterit ſibi vendicare, neque dum Presbyter eſſe deſiſtit. Antiquis etenim temporibus, quando pietati ſtudebant, Presbyteri omni in loco ordinabantur, hoc quidem nomen contemplatione honoris accipientes: ſicut & apud Judæos Presbyteri dicebantur, qui populo præerant. Vocabantur autem & Epiſcopi ab illo opere, quod & implere videbantur, eo quod conſiderare omnia, quæ ad cultum pertinent pietatis fuerant conſtituti, itaut univerſorum diſpenſationem haberent commiſſam. Nam & perfectam diſpenſationem, & auctoritatem Eccleſiaſtici miniſterii ipſi tunc commiſſam habebant, & omnia regebantur pro eorum arbitrio &c. Beatis vero Apoſtolis* (a) *decedentibus*,

D.Aug. Ep. 19. de Petr. reprehenſ. a Paul. &c.

D.Chryſoſt. Hom. 1. in Ep. ad Phil.

D. Ambr. epiſt. ad Timoth.

Am. Fortun. de Eccl. Offic. l. 2. c. 13.

(a) Plane Ignatii Martyris, Apoſtolorum diſcipuli, tempeſtate jam cœperant diſtingui nomina Epiſcopi & Presbyteri: ſiquidem ipſe *ad Trallianos* inter alia hæc ſcripſit: *Epiſcopus typum Dei patris omnium gerit, Presbyteri vero ſunt conſeſſus quidam, & conjunctus Apoſtolorum cœtus*

bus, illi qui poſt illos ordinati ſunt, ut præeſſent Eccleſiis, illis primis exæquari non poterant, nec miraculorum teſtimonium par illis habere, ſed & in multis aliis inferiores illis eſſe videbantur: grave exiſtimaverunt Apoſtolorum ſibi vendicare nuncupationem: diviſerunt ergo nomina ipſa, & eiſdem, ideſt Presbyteris, Presbyterii nomen reliquerunt. Alii vero Epiſcopi ſunt nuncupati, hi qui & Ordinationis præditi poteſtate, itaut pleniſſime iidem Præpoſitos ſe Eccleſiarum eſſe cognoſcerent. Ejuſmodi diviſionis peculiarem quoque rationem adſignat doctiſſimus Sedulius Scotus Hyberonienſis. *Antequam* (inquit) *Diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & dicerent in populis: Ego ſum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam vero unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur ceteris, ad quem omnis cura Eccleſiæ pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur* &c. Itaque agnoſcat noſter Antagoniſta, quam inepte fuerit cornicatus, quum Epiſcopi nomen pro Presbyterio uſurpatum a Beda, & Adone, ipſe dixerit.

Sedul. Scot. in cap. 3 Collectan. in Epiſt. ad Titum.

§. XXX. Aſt relinquamus haſce ineptias ipſarum Auctori, quem jam pudet eas protuliſſe: quippe is calculum, ut ajunt, reducens, opinatur, Publium fuiſſe a Paulo conſecratum Epiſcopum, quem vocant, *Evangelicum, ſive cum Epiſcopali poteſtate Evangelii Præconem* ει κυκλῶ, *nulli certæ ſedi addictum, ſed quo uſus poſceret dirigendum*. Sed, amabo, quo uſus magis poſcebat Publium dirigendum, quam ad alendam Dei verbo, fovendamque Melitenſem Eccleſiam, adhuc infantulam, duos nempe menſes præter propter natam? Præſertim quod Apoſtolis uſitatum erat idoneos ex Indigenis Paſtores deligere. Itaque Paulus ipſe Coloſſi Eccleſiæ Epaphram Coloſſenſem, Theſſalonicenſi Ariſtarchum Theſſalonicenſem præfecit. Qui ſane mos in primitiva Eccleſia vigebat firmatus conſtitutione Divina, hoc eſt, ut Scholaſticorum verbis utar, *de jure Divino in lata, non vero in ſtricta ſignificatione accepto*. In Conſtitutionibus quidem Apoſtolicis S. Clementis *lib.* 8. *cap.* 4. habetur, quod fuerit ab Apoſtolis ſancitum, ut ordinaturus aliquem in Epiſcopum percontaretur Presbyteros, ac populum, an ipſe eſſet, quem ſibi præfici efflagitarent; iiſque ipſum eſſe affirmantibus; eos denuo interrogaret, an eumdem adeo ſublimi

blimi munere dignum exiſtimarent; an in rebus ad Dei cultum & religionem ſpectantibus ſeſe cum laude geſſerit; an jura ſervaverit? an res domeſticas bene rexerit, & an honeſtam laudabilemque vitam traduxerit. Quum vero populus, facta ſibi hac terna interrogatione, teſtatur, Ordinandum hujuſmodi virtutibus præditum eſſe, atque Epiſcopatu dignum; *petatur ab omnibus* (ſunt verba illius Textus) *ut præbeant* (a) *ſignum, & libenter præbentes audiantur, ſicque ad ordinationem accedatur*. Quamobrem, quum Conſtantius Imperator in Alexandrinorum Epiſcopum elegiſſet quemdam virum alienigenam, nomine Gregorium, ſive Georgium; magnus Athanaſius hæc in illum protulit: *Hic* (Conſtantius) *excogitavit, quo pacto legem alteraret, diſſolvens Domini Conſtitutionem, per Apoſtolos traditam, & mores Eccleſiæ immutans, novum excogitans conſtituendorum Epiſcoporum modum. Ex aliis quippe locis, & quinquaginta manſionum intervallo diſſitis ad populos nolentes cum militibus Epiſcopos mittit*. Conſulat meus Lector *Can. Nec emeritis diſt.* 61. *cauſ.* 13. *Can. Nullus invitus ibid. Can. Metropolitano defuncto diſt.* 63. *cauſ.* 19. *Can. Sacrorum ead. diſt. cauſ.* 34. *cap. bonæ memoriæ* 4. §. *intelleximus de poſtulatione Prælatorum* (b). D Athan. Epiſt. ad ſolit. vitam agent.

§. XXXI. Verumtamen Antagoniſta noſter reſipiſcere, atque ab hujuſmodi controverſia deſiſtere videtur: nempe contendere amplius non valens, Adonem, Bedamque nobis ſuffragari, ſic inquit: *Ut Beda, atque Ado Publium hunc Melitenum dixiſſent, nominatim quoque Melitenſem Epiſcopum, non major adhiberetur dicto fides, quam cum Epiſcopum dixere Athenienſem. Atqui falſo in Athenienſem Sedem intruſerunt, ut tota ſequenti Diſquiſitione aperiemus, ergo* &c. Perbellum eſſet hoc argumentum, niſi ſecunda ejus aſ-

(a) Hujuſmodi ſignum populus edebat modo vociſerationibus, & acclamationibus exprimentibus, ſeſe adprobare ac petere eum, qui fuerit ad Epiſcopatum propoſitus; modo manibus plaudens conſenſum ſuum ſignificabat; & interdum eam exprimebat manum extollens: qui mos fuit antiquis in quibuſvis electionibus, ſive ſacris, ſive profanis: & iſte modus adprobationis fuit Græcis dictus, *manuum extenſio*, ideſt *ſuffragatio*. (b) Haud ſum neſcius, eas Conſtitutiones juxta temporum, locorum, & perſonarum diverſitatem temperari conſueviſſe. Sed Publii noſtri virtutes, ut ſupra diſſerebam, omnino expoſcebant, ut eum quovis Alienigena poſthabito, in Melitenſem Epiſcopum inſtitueret Apoſtolus. Tantum abeſt, ut in ejus electione fuerit opus temperare Dominicam Conſtitutionem.

aſſertio laboraret falſitatis vitio, cujus adeo graves ac venerabiles Martyrologos inique ac temere ille inſimulat; ut nos quoque tota ſequenti Diſceptatione planum faciemus; in qua quidem plureis graviſſimos Scriptores, Bedæ, Adonique conſentientes allegabimus, illiuſque commenta non ſecus diluemus, quam Ætnæas nives ſolent Æſtivi Solis ardores. Pergamus modo alios inſignes Martyrologos, Melitenſe Publii Pontificium recognoſcentes, a calumnioſis Adverſarii fallaciis eripere, tuerique.

§. XXXII. Profecto Vetus Romanum Martyrologium a Cl. V. Heriberto Roſvveydo evulgatum, *ad* 12. *Kal. Febr.* hæc habet: *Athenis S. Publii Epiſcopi, qui Melitenſis a Paulo Epiſcopus ordinatus*. Attamen huic Martyrologio auctoritatem fidemque abrogare omnibus unguiculis conatur noſter Sycophanta: qui, quum inficiari non poſſit, ex præallegatis verbis perſpicue elici Melitenſe Publii Eccleſiarchium; contendit, ex ipſis minime colligi, quod iſte Athenis præfuerit, ſed dumtaxat, quod illic mortalitatem expleverit: proindeque verba illa: *Qui Melitenus a Paulo Epiſcopus ordinatus*; a parum cauto Scriptore inſerta ille dictitat. Quæ quidem aſſertio reſponſione indigna quum ſit, repoſitionis vice, aliam haud abſimilem ejuſdem fruſtrationem ob Lectoris oculos ponamus. Nempe ipſe, quum alios Martyrologos, apertius exprimentes Athenienſem Publii Epiſcopatum, Melitenſem vero obſcuris verbis, aut ſilentio involventes, adducamus; ſtatim nobis opponit ipſorum ſilentium; indeque Publium haudquaquam fuiſſe Melitæ Epiſcopum contendit. Nimirum doloſus iſte Tergiverſator non advertit ſeu diſſimulat, quod ſententiæ noſtræ nihil officiat, ſi ex hiſce Scriptoribus unum, ex illis alterum Publii Præſulatum, ex aliis vero utrumque colligamus. Sed illum rogo, quanam phraſi, Athenienſem Publii Epiſcopatum nobis indicaret, ſi Martyrologii Scriptorem ageret? Anne ſeligere ille poſſet verba his, quibus utitur noſter Martyrologus, nitidiora; videlicet, *Athenis S. Publii Epiſcopi?* Nonne ſimili modo exprimit Athenienſe illius Pontificium Ado in ſuo Martyrologio, ubi ait: *Athenis S. Publii Epiſcopi*, ſine ullo alio additamento? Et quidem, ſi Roſvveydæi Martyrologii Auctor indicare tantum voluiſſet, Publium Athenis diem obiiſſe; haud opus ei eſſet addere τὸ *Epiſcopi*; ſed ſat fuiſſet dicere: *Athenis*

nis S. Publii, qui Melitenus a Paulo Epiſcopus ordinatus. Verumenimvero Publium bis Epiſcopum conſulto ille appellat, ut duplicem ejus Epiſcopatum vel ad talia cæcutienti perſpicuum reddat.

§. XXXIII. Cavillator autem noſter, qui pro Adriæ recognitione *Anteptolemaicos* requirebat Scriptores; pro Meliteno Publii Eccleſiarchio *Antegregoriana* flagitat Martyrologia. Hæc ei agiographa, incorrupta, & fide digna ſunt; *Poſtgregoriana* vero, ex quibus unum eſſe Martyrologium a Roſvveydo editum, ipſe contendit; pſeudographa, vitiata, & auctoritate deſtituta. Quis unquam hujuſmodi fruſtrationes audivit! Novi equidem Henricum Valeſium, & Caſimirum Oudinum contra iſtud Martyrologium ſtare: ſed quoque novi, Bollandum, Emanuelem a Scheleſtrate, quampluresque alios illuſtres Scriptores una cum Roſvveydo illud ut vetus Martyrologium habere, atque allegare. Neque id inficiatur ipſe Valeſius: quippe ſic inquit: *Adeoque perſuaſit doctis hominibus Roſvveydus, ut ab omnibus, diverſæ etiam communionis viris, hoc Martyrologium pro vetere Romano accipiatur, ejuſque auctoritate ac teſtimonio omnes paſſim in libris ſuis utantur*. Ita-ne allucinati ſunt tot *docti diverſæ communionis viri*; ſolusque Valeſius tanta ingenii perſpicacia præditus fuit, ut quod illi non viderint, iſte adverterit! Sed prætermiſſis Scriptorum teſtimoniis rationes, quas in nos affert Adverſarius, expendamus.

Valeſ. in diſſert de Mart. Antiq. Rom. Oudin. diſſert de Scri- pt. S. Hier. c. 7. Bolland. t. 2. in Vit. S. Publ. n. 2. Em a Scheleſtr. in diſſert. 3 antiq. ill. art. 1.

§. XXXIV. In antiquo Martyrologio Romano (ita ratiocinatur Criticus noſter) plurima Martyrum nomina, tantumque locus ac dies eorum paſſionis, legebantur (id enim ille colligit ex Magni Gregorii *Regeſt. lib. 6. Ep. 29. ad Eulogium*.) Atqui in Roſvveydæo non modo pauciſſima ſingulis diebus Martyrum nomina adnotantur; verum etiam vix ullus Divus abſque encomio memoratur. Vetus igitur Martyrologium Romanum non eſt, quod effertis, Roſvveydæum. Niſi prima hujus argumenti aſſertio parum vera eſſet, ſecunda vero falſiſſima; haud male ratiocinaretur noſter Sophiſta. Enimvero quando unquam D. Gregorius adſeveravit, in antiquo Martyrologio Romano Martyrum turmam unoquoque die recenſeri, & ne unum quidem ex illis vel brevi elogio commendari? En ejus verba: *Nos pene omnium Martyrum, diſtinctis per ſingulos dies paſſioni-*

Vu *bus*,

bus, collecta in uno Codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum venerationem Miſſarum ſolemnia agimus. Non tamen in eodem volumine quis qualiter ſit paſſus indicatur: ſed tantummodo locus paſſionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diverſis terris, atque provinciis per dies, ut prædixi, ſingulos agnoſcantur martyrio coronati. Plurima quidem Martyrum nomina *in uno Codice collecta*, multoſque ex ipſis per ſingulos dies diſtributos innuit præveneratus Pontifex: ſed & multos Martyres in Roſvveydæo Martyrologio memoratos paullo infra oſtendam. In illo autem Codice deſiderari ille affirmat, non eorum brevia encomia, ſed Martyrii ſpecificationem: nempe ibi non exprimebatur, an huic vel illi Martyri gladius, aut flammæ, an lapides, an jacula, an feræ, ſive crux, aut flagra fuerint glorioſi certaminis inſtrumenta *(a)*. *Multo minus* (reponit Adverſarius) *aliæ inutiliores elogiorum fimbriæ Martyris nomen in Gregoriano hoc codice circumſiſtebant*. Concedo *Conſequentiam* (Scholarum phraſi uti mihi aliquando liceat) mi R. P. ſed pernego *ſuppoſitum*. Putaſne igitur inutilem elogii fimbriam eſſe additamentum illud, quo quiſnam fuerit Publius iſte dilucidatur? Toto erras cœlo. Etenim illud ad nominis, non vero ad paſſionis indicationem, quam tantum in eo volumine deſiderari ait Gregorius, referri debet. Deinde quis cordatus inutile, ac deſpiciendum putaverit elogium illud, quo indicatur, Publium fuiſſe eximium illum *Melitæ Principem*, Pauli, ejuſque naufragi comitatus Hoſpitem, *in Act. Apoſt.* celebratum? Nonne quidem veteris iſtius Martyrologi encomium merebatur, qui a divino Evangeliſta commendari potuit? Id inficiari non deberet Adverſarius, qui Publii humanitatem, cœtui illi naufrago exhibitam, a Græcis Martyrologis prætermitendam minime fuiſſe alias faſſus eſt, hanc afferens rationem: *Namque inibi* (inquit) *cum Athenienſium, tum ipſius Publii non minima commendationis ſeges, quod nimirum humanitate præcipuus, quod Thaumaturgiam Apoſtoli domi expertus, quod Apoſtoli diſcipulus, quod eximię indolis, ac primi ſubſellii vir*

Inſp. 2. Diatr. 3. §. 2.

(a) Contraquam aſſerit ipſe Valeſius: *In Martyrologiis vero* (is inquit) *& genus paſſionis & tempus quo paſſi ſunt Martyres, & locus ac Judex adnotari ſolent*. Necnon ipſe contendit, *Eccleſiam Romanam proprium ac peculiare Martyrologium numquam habuiſſe*, bene vero *ſuos Faſtos*, & ſuum *Calendarium*.

Digitized by Google

vir &c. Audis quam varie variis in locis loquatur Criticus noſter! Recte igitur prudentiſſimus illius Martyrologii Auctor expreſſit Publii ad Melitenſe Pontificium promotionem a Paulo factam; quo id quoque ille præſtitit, ut Præſul noſter inter tot alios Martyres (*a*) eodem nomine inſignitos nitide diſtingueretur.

§ XXXV. Huc accedit, quod Publii encomio & Paulus honoratur. Res autem a tanto Apoſtolo geſtas, in quas enarrandas majorem Hiſtoriæ ſuæ partem inſumpſit Lucas, vel leviter innuendi anſam amittere non decebat Martyrologum noſtrum, ſummæ in Apoſtolorum Principes pietati, qua ipſos (*b*) antiqui Chriſtifideles venerabantur, proculdubio addictum. Reapſe haud aliis elogiolis ipſe magis gaudet, quam iis, quibus Apoſtolorum Principes commendentur; ut colligi poteſt ex his: 8. *Kal. Februarii. Converſio S. Pauli Apoſtoli. Apud Damaſcum S. Ananiæ, qui ipſum Paulum baptizavit.* 2 *Id. Martii Romæ Martyrum* 47. *qui baptizati ſunt a beato Petro Apoſtolo, cum tenerentur in cuſtodia &c.* 13. *Kal. April. Arcbipii Commilitonis Pauli Apoſtoli.* 2. *Non. Maji B. Evodii Epiſcopi, qui primus ab Apoſtolis Antiochiæ ordinatus eſt. Et S. Lucii Cyrenenſis, qui Cyrenæ ab Apoſtolis Epiſcopus ordinatus eſt* (*c*). 14. *Kal. Junii Potentianæ Virginis, & Prudentii Diſcipuli Pauli.* 6. *Kal. Junii: apud Athenas Quadrati diſcipuli Apoſtolorum.* 6. *Non. Julii. In Cœmeterio Damaſi Proceſſi & Martiniani, ab Apoſtolis Petro & Paulo baptizatorum. Et trium Militum, qui cum Paulo Apoſtolo paſſi ſunt.* 8. *Id. Septemb.*

(a) Vide plurimos Divos Publii nomine inſignitos in *Diſſert. iſta* §. 4.

(b) Tanta ſolemnitate, & populorum concurſu olim celebrabatur feſtus Apoſtolorum Petri, & Pauli dies, ut vel Epiſcopi circumvicinarum urbium Romam petere ad iſtam ſolemnitatem conſueverint, ut ſcribit D. Paulinus Ep. Nolanus *ep.* 10. *ad Delphinum*. Et quidem in eodem die Summus Pontifex Miſſæ ſacrificium bis peragebat; ut cecinit Prudentius *in Hymn.* 12. *de Coron.*

Aſpice per bifidas plebs Romula funditur plateas,
Lux in duobus fervet una feſtis.
Tranſtiberina prius ſolvit ſacra pervigil Sacerdos,
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Quem Prudentii locum allegans Eminentiſſimus Bona *Rer. Liturg. lib.* 1. *c.* 18. §. 7. ſic ait: *Papa in die Apoſtolorum bis olim celebrabat, ſemel in Baſilica S. Petri, & iterum in Baſilica S. Pauli* &c.

(c) Nota, quam ea phraſis, ſeu pericope reſpondeat illi alteri: *Qui* (Publius) *Melitenus a Paulo Epiſcopus ordinatur*: inde jam comprehendetis, quam imprudenter aſſeruerit Adverſarius, hanc eſſe aliena manu inſertam; quandoquidem ipſius Auctoris locutionem ſapit.

ptemb. Zaccbariæ Prophetæ, & Oneſiphori Pauli Diſcipuli. 2. Non. Sagaris Epiſcopi Laodicenſis, de antiquis Pauli Apoſtoli Diſcipulis. 3. Id. Octobr. Troade, Carpi, Apoſtoli Pauli Diſcipuli. 11. Kal. Decemb. Rufi, quem Apoſtolus ad Romanos ſcribens ſalutavit. Ecce quam libenter de Apoſtolorum Principibus, præſertim de Paulo mentionem faciat noſter Martyrologus, quotieſcumque ipſos celebrandi occaſionem nactus fuerit. Haud minorem in eoſdem pietatem præſetulit Ado, qui licet omnium fere Martyrum meminerit *in ſuo Martyrologio*; tamen cum Apoſtolorum, tum eorum, qui Apoſtolorum Diſcipuli, Succeſſores, aut vicini fuerint, res geſtas peculiarius recenſere ſtudens, id opus inſtituit, quod *de Feſtivitatibus Apoſtolorum &c.* inſcriptum voluit. Nimirum Sapientes iſti Scriptores bene noverint, quantum Chriſtianæ Reip. proſit priorum illorum Fidei Propugnatorum memoriam recolere. Deſinat igitur inſipiens noſter Zoilus ut importunam ineptamque habere adjectionem illam, qua Publium a Paulo ordinatum Melitenum Epiſcopum Martyrologus noſter indicavit.

§. XXXVI. Minimi quoque ducenda eſt alia ipſius conjectura; quum nempe ex eo, quod in recentiore Martyrologio Romano nulla fiat mentio de Meliteno Publii Epiſcopatu, hunc minime fuiſſe noſtrum Antiſtitem ipſe conjiciat. Quandoquidem iſtius Pontificii meminere tot alii Scriptores fide perquam digni, & Eccleſiæ Romanæ recepti, quorum nonnullos infra citabimus: necnon ipſa Eccleſia per Sacram, ut vocant, *Ritum Congregationem*, viſa eſt ſententiam noſtram adprobare, quum *recitandi Officii proprii S. Publii Martyris, Epiſcopi Melitenſis* (*a*) privilegium huic Diœceſi fecerit 19. Kal. Sept. Ann. 1666. Et poſt quindecim annos eadem (*b*) decrevit, ut natalis noſtri Martyris dies *Miſſa*, quam vocant, *propria* heic celebraretur. Quod quidem argumentum haud parvi pendendum eſt: ſiquidem
P. Alex. t. 1. Sect. 1. c. 11. Art. 8. ſimili ratione utitur P. Alexander pro tuendis Actis S. Andreæ, tributis Presbyteris Eccleſiæ Achajæ, ut animadvertit inſi-

(a) Id privilegium a *S. Congregatione Rituum* obtinere curaverunt Johannes Montemagnus, & Dominicus Macer, ſtudioſiſſimi Melitenſis Eccleſiæ Canonici, ideoque digni, qui heic breviter commendentur. (b) Facultatem celebrandæ in hac Diœceſi *Miſſæ propriæ S. Publii M. Epiſcopi Melitenſis* ab eadem S. Congregatione impetravit, die 9 Aug. Ann. 1681. Hieronymus Mich. Molina, tunc harum Inſularum Epiſcopus.

inſignis Criticus Honoratus a S. Maria. *Le Pere Alexandre* (hic inquit) *veut-il prouver, que les Actes de S. Andrè, attribuez aux Pretres, & aux Diacres de l'Egliſe d'Achaie, ne ſont pas ſuppoſez, il apporte pour preuve l'autoritè de l'Egliſe, qui les fait lire dans l'office de S. Andrè. Ce meme Docteur s'appuye auſſi ſur le temoignage des Breviaires, & des Miſſels pour ſoutenir que S. Denys l'Areopagite eſt venu dans les Gaules de le primier Siecle.* Honor. a S. Mar. in Reflex. in Reg. Critic. tom. I. Diſſert. 7.

§. XXXVII. Reclamat tamen Adverſarius, & Bedæ, quem nuper deſpiciebat, Caſſiodori, Walafridi Strabonis, aliorumque teſtimonio innixus, contendit, Romanam Eccleſiam Gregorii Magni ævo uſam fuiſſe Martyrologio, quod D. Hieronymo tribuebatur; idque eſſe autumat *quod nomine D. Hieronymi inſcriptum, Lucas Dacherius, in Codice ante annos fere ſexcentos exarato apud Monachos Corbejenſes invenit ediditque in Spicilegii tom.* 4. Poſtque paullo hæc ille ſubnectit: *Et hoc Hieronymo-Dacherianum* (Martyrologium) *ſi cum ſupralaudatis verbis Gregorii conferatur, ad unguem reſpondet: in ipſo enim & ſingulis diebus plurimorum Divorum nomina, & hæc elogiis atque adjectionibus deſtituta; niſi quod loca ſolummodo apponuntur, in quibus viri ſanctimonia illuſtres cum cœleſti corona mortalitatem permutarunt. Contra quam in Roſvveydæo, ubi vix Divus abſque encomio: & non modo ſingulis diebus nullam turmam nominum reperias, ſed ægre duorum monumenta, & lugeas perpetuam, velut florum in Scythia, commemorationum raritatem.* Rationes hæ omnes, quas tamquam a ſe excogitatas turgidus eructat Criticus noſter, ſunt Henrici Valeſii: utque hoc Lectori meo conſtet, planumque fiat, quam inique vitii ſibi familiaris Fautores noſtros ille inſimulet, quum hos unum ex altero ſententias ac verba exſcripſiſſe dictitet; ipſius Valeſii verba heic adſcribam: *Certe hoc B. Hieronymi Martyrologium* (iſte inquit) *in Italia, atque Occidentis partibus vulgo receptum fuiſſe docet Caſſiodorus in libro de Divinis lectionibus* (a) *cap.* 32. *Ex quo colligitur Martyrologium illud, licet falſo nomen Hieronymi præferat, tamen vetuſtiſſimum eſſe, ac paulo poſt obitum ipſius Hieronymi a neſcio quo evulgatum. Legimus illud nu-* Henr. Valeſ. in ſupra cit. Diſſert.

(a) Adverſarius falſo citat *cap.* 4.

nuper a viro doctiſſimo, religioſiſſimoque D. Luca Dacherio ex bibliotheca S. Germani nobis commodatum. Simulque perſpeximus, verba Gregorii Magni huic Martyrologio egregie convenire. Quod enim ait Gregorius, locum dumtaxat, & diem paſſionis in eo volumine poſitum fuiſſe, id in illo B. Hieronymi (b) *Martyrologio perſpicue deprehenditur. Deinde quod Gregorius addit, per dies ſingulos notata illic fuiſſe multorum Martyrum nomina, id etiam cernere licet in illo quod dixi Martyrologio, in quo nullus dies eſt ſine Martyrum turma, contra quam in Martyrologio Roſvveydi. Quare locus Gregorii Magni nullo modo accipi poteſt de Martyrologio illo, quod pro vetere Romano edidit Roſvveydus: cum in illo Roſvveydi Martyrologio, unius fere Martyris nomen ſingulis diebus deſcriptum ſit.* Quæ ſane verba ſi cum ſuprarelatis Adverſarii verbis conferantur, ad unguem reſpondent, & multo magis ſibi invicem conveniunt, quam D. Gregorii dicta ſubdititio Hieronymi Martyrologio aptentur. Quum itaque harum rationum, ſive conjecturarum Auctor ſit Valeſius, cum hoc breviter pugnandum eſt.

§. XXXVIII. Equidem Scriptor iſte, ceteroqui doctiſſimus, minus recte adſeverat, in Roſvveydæo Martyrologio, *unius fere Martyris nomen ſingulis diebus adſcriptum eſſe*. Quod ut Lectori meo conſtet, heic adſcribere operæ pretium duco, quæ in uno dumtaxat menſe Martyrum nomina, paſſioneſque in iſto Codice adnotantur. Sitque menſis iſte Sextilis, in quo quidem hæc:

1. *Cal. Aug. Romæ, ad S. Petrum ad vincula.*
   Antiochiæ SS. Machabæorum.
   Philadelphiæ, Martyrum Cyrilli, Aquilæ, Petri, & aliorum.
   Vercellis, Euſebii Epiſcopi.
2. *IV. Non. Romæ, Stephani Papæ & Martyris.*
   In Bithynia, Theodotæ cum tribus filiis.
3. *III. Non. Jeroſolymis, inventio corporis B. Stephani, Gamalielis, Nicodemi, Abibon.*

Con-

(a) Nempe oblitus is eſt, ſe alias dixiſſe, quod in Martyrologiis non ſolum *locus & dies paſſionis, ſed & genus paſſionis, & tempus & Judex, ſub quo paſſi ſunt Martyres, adnotari ſolent*: ut in ſuperiori nota a, pag. 338. vidimus.

Conſtantinpoli, Hermelli Martyris.

4. *II. Non. Ariſtarchi, diſcipuli Apoſtolorum.*
In Crypta Arenaria, Tertullini Mart. Romæ.

5. *Nonæ. In Civitate Auguſta in Rhætia, Sanctæ Afræ Martyris.*

6. *VIII. Id. Romæ, via Appia, Xyſti Papæ & Martyris. Feliciſſimi, & Agapiti Diaconorum in Cœmeterio Prætextati.*

7. *VII. Id. Apud Aretium, Donati Epiſcopi & Martyris. Romæ, Petri, Julianæ, cum aliis XVIII.*
Mediolani, Fauſti Martyris.

8. *VI. Id. Romæ, via Oſtienſi, Cyriaci Martyris cum aliis XXI. quando VIII. die menſis Auguſti reconditi ſunt.*

9. *V. Id. Romæ, Romani militis.*
Vigilia S. Laurentii.

10. *IV. Id. Romæ, Laurentii, Archidiaconi Martyris.*
Et Militum CLXV.

11. *III. Id. Romæ, inter duas Lauros, Tiburtii Martyris, & Suſannæ Virginis Martyris.*

12. *II. Id. Catanæ, Eupli Diaconi Martyris.*
In Syria, Macarii, & Juliani.

13. *Idus Romæ, Hyppoliti Martyris cum familia ſua, Et S. Concordiæ nutricis ejus.*
In Foro Syllæ, Caſſiani.

14. *XIX. Cal. Sept. Romæ, Euſebii Presbyteri & Confeſſoris, ſub Conſtantio Arriano, ſepulti in Cœmeterio Calliſti.*

15. *XVIII. Cal. Sanctæ Mariæ dormitio*
Sancti Tharſitii Acolythi & Martyris

16. *XVII. Cal. In Nicea Bithyniæ, Urſatii Confeſſoris ſub Licinio.*
Romæ, Serenæ Uxoris Diocletiani Auguſti

17. *XVI. Cal. In Africa, Martyrum Liberati Abbatis, Bonifacii Diaconi, Servii, & Ruſtici, & aliorum ſub Vandalica perſecutione.*
Cæſareæ, Mamertis Martyris

18. *XV. Cal. In Præneſtina Civitate Agapiti Martyris.*
Romæ, Joannis, & Criſpi Presbyterorum.

19. *XIV. Calen. S. Magni, ſeu Andreæ Martyris cum ſociis ſuis duobus millibus 597.*

Ro-

Romæ, Julii Senatoris & Martyris

20. *XIII. Cal. Samuelis Prophetæ,*
Et Porphyrii hominis Dei.

21. *XII. Cal. Salonæ, Anaſtaſii Martyris*

22. *XI. Cal. Romæ, via Oſtienſi, Timothei Martyris.*
Et Antonii Martyris.
Et Peregrinorum Martyrum Martialis, Epicteti, Saturnini cum ſociis eorum.

23. *X. Cal. Romæ, Hippoliti, Quiriaci, & Archillai.*
Zachæi Epiſcopi
Theonæ Epiſcopi

24. *IX. Cal. Bartholomæi Apoſtoli & Martyris*
Maſſæ Candidæ, Carthagini

25. *VIII. Cal. Romæ, Geneſii Martyris mimi. Thymelicæ artis magiſter is fuit.*
Et S. Geneſii Arelatenſis.
Romæ, quatuor Martyrum Euſebii, Pontiani, Peregrini, & Vincentii.

26. *VII. Cal. Zephyrini Papæ.*
Irenæi, & Abundii.
Bergamis, Alexandri.
Apud Victimilium Secundi Martyris

27. *VI. Cal. Capuæ, Rufi Martyris, Apollinaris diſcipuli.*
Tomis, Marcellini, & Manneæ

28. *V. Cal. Romæ, Hermetis Martyris.*
In Africa, Auguſtini Epiſcopi.
Conſtantinopoli, Alexandri Epiſcopi.

29. *IV. Cal. Romæ, ad Arcum Fauſtini, Sabinæ Martyris.*
Eo die veneratur decollatio S. Johannis Baptiſtæ.

30. *III. Cal. Via Oſtienſi, Felicis, & Audacti (alias Adaucti) Martyrum.*

31. *II. Cal. Apud Athenas, Ariſtidis, qui Adriano Principi de Religione Chriſtiana libros obtulit.*

Ecce quod in uno iſto menſe Divorum *ex diverſis*, ut ait Gregorius, *terris*, *atque provinciis*, monumenta : Necnon in aliis menſibus multorum Martyrum commemorationem apud noſtrum Martyrologum reperias. Hinc ſatis colligere poteris, quam imbecilles ſint Valeſii oppoſitiones, cujus verba exſcribens Adverſator, *ægre* (inquit *in Roſvveydi Martyrologio ſingulis diebus reperias duorum* (Divorum) *monu-*

numenta, & lugeas perpetuam, velut florum in Scythia, commemorationum raritatem. Ubi autem ſunt *inutiles elogiorum fimbriæ*, quas in hoc volumine Martyrum *nomina circumſiſtere* ipſe dictitat? Ea plane video elogiis deſtituta: quinimo neque inibi *quis qualiter ſit paſſus indicatur*, ut Magnus ille Pontifex ſignificat. Haud tamen eo inficias, majorem commemorationum frequentiam in Pſeudo-Hieronymi Martyrologio haberi: Sed hinc eliciendum eſſe non arbitror, Gregorium *in ep. ad Eulog.* iſtud indicare voluiſſe: quandoquidem ejus dicta Roſvveydæo Codici, in quo & multa Martyrum nomina, & quidem ſine paſſionis ſpecificatione, adnotantur, aptari optime poſſunt, maxime concurrentibus aliis rationibus, quas in Adverſarios mox adducam.

§. XXXIX. Et quidem fortius Valeſii argumentum, ut ipſemet fatetur, nonniſi Bedæ, ac Uſuardi ſilentio innititur: Nempe diligentiſſimos hoſce Scriptores Romanum Martyrologium proculdubio commemoraturos fuiſſe ille arbitratur, ſi ipſorum ætate illud extitiſſet. *Primum enim* (inquit) *Uſuardus in Epiſtola ad Carolum Calvum, quam Martyrologio ſuo præfixit, omnium qui Martyrologia ante ipſum conſcripſerant, indicem texens nullam Romani Martyrologii mentionem facit. Ait enim primum omnium Hieronymum ſcripſiſſe Martyrologium: poſt hunc vero Bedam Presbyterum. Cujus liber cum eſſet breviſſimus, & plurimos dies vacuos haberet; eum a Floro magiſtro auctum eſſe dicit ac locupletatum; idque duplici editione. Quod ſi tunc Romanum Martyrologium aliquod extitiſſet, procul dubio id non omiſſurus fuiſſet Uſuardus propter maximam Romanæ Eccleſiæ auctoritatem &c. Beda quoque in cap. 6. Evangelii B. Marci agens de die quo Joanni Baptiſtæ præciſum eſt caput, citat librum Sacramentorum, & Martyrologium quod B. Hieronymi inſignitum eſt nomine: Romani vero Martyrologii nullam mentionem facit. Atqui ſi Bedæ temporibus Martyrologium Romanum ullum fuiſſet, cur Beda Sacramentarium potius Gregorii Magni, quam Martyrologium Romanum laudare voluiſſet? Cur teſtimonio potius libri ſubdititii, qui Hieronymo falſo adſcribitur, quam Romani Martyrologii auctoritate uſus eſſet?* Hæc ille: quæ quidem argumentum conficiunt *negativum*, nihil autem concludunt. Quippe haud abſimili argumento utuntur qui Dionyſio abjudicare ſtudent opera ei-

 dem

Em. a Scheleſtr. in diſſert. 3. Antiq. III art. 1.

dem tributa : ſcilicet ſilentium allegant Euſebii, veterumque Patrum, qui nullam eorum mentionem fecere. Sed contra iſtos ita ratiocinatur Cl. V. Emanuel a Scheleſtrate, Vaticanæ, quum viveret, bibliothecæ Præfectus. *An Euſebius* (inquit) *inter lucubrationem infinitorum pene Scriptorum, etiam ſponte omiſerit opera Dionyſii Areopagitæ, vel quod librorum iſtorum materia non ſpectaret ad ſuum inſtitutum, vel quod nomen Auctoris non haberent annexum, quis iterum certo affirmabit, Euſebium qui tot opera ſuorum, quæ S. Maximus recenſet, non habuiſſe videtur, habuiſſe opera Dionyſii? Quidquid ſit, cum ex ſilentio Euſebii male concludatur, Dionyſium Areopagitam non ſcripſiſſe libros, ponamus Euſebium, vel ſponte, vel ex ignorantia illos prætermiſiſſe, male adducitur in confirmationem D. Hieronymus, qui in libro Script. Eccleſiaſticorum illos dumtaxat refert, qui ab Euſebio memorantur, additis iis, qui poſt Euſebium adſua uſque tempora floruerunt. Quid mirum ergo quod poſt Euſebium D. Hieronymus non meminerit operum S. Dionyſii? Quod vero adſeratur SS. Patres non meminiſci operum S. Dionyſii, reſpondet Petrus de Halloix, rariſſime loca citari a SS. Patribus, addique poſſet cum Bellarmino opera illa alicubi latuiſſe, ut multa alia ſæpe longo tempore delituerunt* &c. Nonne ſimiliter Uſuardum ac Bedam latere potuit vetus Martyrologium Romanum a Roſvveydo evulgatum? Sed Uſuardus (reponit Valeſius) vir fuit *doctiſſimus, ac diligentiſſimus*. Arbitror. Verum & Euſebius adeo doctus, ac rei Hiſtoricæ peritus erat, ut ipſum ſibi ducem propoſuerit ſapientiſſimus Hieronymus in recenſendis Eccleſiaſticis Scriptoribus: & tamen illum eumdem fugerunt tot opera *ſuorum*, nempe Græcorum, quæ S. Maximus memoriæ prodidit. Haud aliter Adoni exploratum fuit vetus illud Martyrologium, quod Bedæ, ac Uſuardi diligentiam fugerat.

§. XL. Inſuper, ſi Martyrologium a Gregorio ad Eulogium ſcribente commendatum, eſſet illud quod Hieronymo tribuebatur; id minime ignoraſſe dicendus eſſet prævenerratus Pontifex, qui Uſuardum cum ætate, tum doctrina præivit. Atqui ille nedum reticuit, Martyrologium a ſe laudatum, fuiſſe illud quod Hieronymo adſcribebatur; ſed etiam ſuo loquendi modo perſpicue indicat, illud fuiſſe volumen ab iſto valde diverſum: *Nos* (ille ait) *pene omnium Mar-*

Digitized by Google

Martyrum diſtinctis per ſingulos dies paſſionibus collecta in uno Codice nomina habemus &c. Quis enim ex hujuſmodi circumlocutione non eliciat, Gregorium haud innuere voluiſſe Martyrologium Hieronymo adtributum? Equidem ſi de hoc loqui intellexiſſet prudentiſſimus iſte Pontifex, nitidiore phraſi, & loquendi proprietate, quam in ſuis operibus præſefert, dixiſſet: *Nos Codicem, quem de martyribus ſcripſiſſe creditur Hieronymus, habemus* &c. Neque enim libenter prætermiſiſſet nomen tanti Doctoris, de Romana Eccleſia adeo bene meriti, quo non parum auctoritatis volumini a ſe commendato acceſſiſſet. Sed Valeſius, Bedam allegans, mihi reponit, quod Gregorii ævo Auctor iſtius Codicis credebatur Euſebius Cæſarienſis, non vero Hieronymus. Ageſis mi Valeſi: heic te præſtolabar: mihi enim præbes, unde opinionem tuam facilius refellam. Nimirum, ſi illius voluminis Auctor fuit Euſebius, vir Orientalis, illud magis Orientalibus quam Occidentalibus Eccleſiis notum eſſe debuit: ita ut non eſſet Gregorio ſubdubitandum, quin Alexandrina Eccleſia, cui præerat Eulogius, illud ipſum haberet: multoque minus ei opus eſſet, certiorem facere de contentis in eo Codice Eulogium ipſum, qui fontem libare, ideſt Archetypum Græcum Textum perlegere, ac per conſequens optime callere poterat methodum, reſque in Euſebiano illo volumine contentas. Ridiculum quippe foret, ſi aliquis Juriſperitus Gallus, aut Hiſpanus, habens *Romanæ*, ut vocant, *Rotæ deciſiones* patrio idiomate donatas, Romano Juriſconſulto per epiſtolam ſignificare vellet earumdem Deciſionum materias, methodum, & alia ad eas ſpectantia. Verum abſit tantam imprudentiæ notam ſummo illi Pontifici inurere, qui ob ſuas virtutes, doctrinamque *Magnum* ſibi nomen comparavit. Idcirco fateamur potius oportet, ipſum ideo Eulogio Alexandrino ſignificare voluiſſe quæ in ſuo Codice notata eſſent; quod ipſe loquebatur de Romano Martyrologio fortaſſe Orientalibus parum noto: atque ipſum ſubjunxiſſe; *ſed hæc habere vos beatiſſimos credimus*; non quod ipſe exiſtimaſſet, quod Orientales haberent idem Martyrologium Romanum, ſed quodpiam aliud, puta ipſum Euſebianum, cujus notitia tantum Pontificem nequaquam fugerit. Reapſe Gregorius, poſtquam eum Codicem, & nomina in eodem collecta ſe habere dixit; non ſubdidit: *Sed hunc* (ideſt Codicem) *habere vos bea-*

Digitized by Google

beatiſſimos credimus; verum ipſe ſubjunxit*: Sed hæc* (ideſt *Martyrum nomina*, a quovis alio Scriptore *collecta) habere vos credimus*. Unde ſatis perſpici poteſt, Sanctum iſtum Pontificem Eulogio minime commendaſſe Martyrologium Hieronymo, vel Euſebio tunc temporis adſcriptum, ſed illud plane, quo Romana utebatur Eccleſia.

§. XLI. Heic etiam animadvertendum eſt, quod in Euſebii Martyrologio, ut ipſiuſmet Auctoris teſtimonio evincit Eminentiſſimus Cæſar Baronius, *non tantum ipſa acta Martyrum, rogata, & reſponſa, & cetera ad eorum Martyrium ſpectantia, ſed etiam ipſorum apologiæ, & ſi non aliorum, certe Apollonii (a)* continebantur. Hinc quoque perſpicuum fit, quod Martyrologium a Luca Dacherio evulgatum, in quo non niſi Martyrum nomina recenſentur, falſo fuerit antiquo illi Scriptori adtributum.

Baron. in Præfim. ad Martyrol. Rom. c. 6.

§. XLII. Quod vero de Martyrologio, a Roſvveydo evulgato, non vero de illo a Dacherio edito, loqui intellexerit Magnus Gregorius in *ſæpe memorata epiſtola ad Eulogium;* etiam atque etiam Adonis auctoritate confirmatur. Nempe inſignis iſte Martyrologus nedum ſentire videtur, Eccleſiam Romanam habuiſſe aliud Martyrologium ante illud quod Xyſti juſſu editum eſt; ſed etiam perſpicue indicat, Martyrologium, quod ſuo præfixit (poſteaque Roſvveydus publicavit) fuiſſe vetus illud quo Romana jamdudum utebatur Eccleſia. Sed inquit Valeſius*: Ex ejus* (Adonis) *verbis nihil elici poteſt, quo probetur fuiſſe ullum Martyrologium Romanum. Ait enim Ado vetuſtiſſimum Martyrologium ſibi traditum fuiſſe a quodam, quod olim a Pontifice Romano miſſum eſſet Aquilejam* (quibus addenda ſunt hæc alia Adonis verba, a Valeſio prætermiſſa) *cuidam Sancto Epiſcopo directum*. Verumenimvero ſatis mirari non poſſum, quod Criticus iſte doctiſſimus ex brevibus Adonis dictis minime colligat, Martyrologium ab eo laudatum, eſſe ipſiſſimum vetus Romanum. Quodnam enim aliud Martyrologium, niſi Romanum, & Romanæ Eccleſiæ uſitatum, miſſurus eſſet Sancto Epiſcopo Romanus Pontifex? Sed demus, quod id minime fuerit Romanum; inficiari tamen ſine temeritatis nota non poſſumus, idem fuiſſe Romanæ

(a) Senatoris Martyrio coronati, qui orationem apologeticam, a D. Hieronymo quoque laudatam (*lib. de Script. Eccl.*) pro Chriſtiana Fide apud Senatum habuit.

Digitized by Google

manæ Eccleſiæ receptum, atque adprobatum. Ut tale quidem illud habuit Ado, qui *venerabile, & perantiquum* illud vocavit. *Verum Monachus ille* (reponit Valeſius) *qui hoc Adoni affirmabat, ei impoſuit procul dubio, ut majorem ſuo Codici auctoritatem compararet, & munus ſuum ac deſcribendi copiam, quam Adoni fecerat, venditaret.* Ego autem Valeſium calumniæ poſtulo, eumque Adverſario noſtro judicandum trado: nec dubito quin illum damnet, quod in Monachum hujuſmodi fraudem cadere potuiſſe ille cenſuerit. Quinimo jam illum a noſtro Antilegonte reprobatum eſſe ſatis ex eo elicio, quod ejuſmodi Valeſii conjectatione uti noluerit, quum tamen alias ejuſdem obſervationes ipſe fideliter exſcripſerit. Sed mittamus jocos, utut non inſulſos. Nec enimvero Monachum Adoni impoſuiſſe ego arbitror; neque ſi huic imponere ille voluiſſet, adeo imprudentem incautumque fuiſſe Viennenſem Epiſcopum, ut in Monachi laqueum inconſiderate incidiſſet. Vidit ſane, vidit prudentiſſimus iſte Martyrologus ſibi aurum, non aurichalcum venditari: ideoque illud *diligenti cura tranſcriptum in capite (a) ſui operis ponendum putavit*, ut ipſemet adſeverat.

§. XLIII. Nec Roſvveydæi Martyrologii auctoritati refragatur Caſſiodori auctoritas, quam Adverſarius noſter extorquet, ut Valeſii animadverſionibus, nonnihil addidiſſe videatur. Sed melius ei foret, ut fidelis Valeſii exſcriptor, quam infidelis Caſſiodori interpres audiret. Quandoquidem ex Caſſiodoro colligit Valeſius, Martyrologium Hieronymo adſcriptum *in Italia, atque Occidentis partibus vulgo receptum fuiſſe*. Zoilus vero noſter ex Caſſiodoro conſtare dictitat, uſum illo fuiſſe Romanam Eccleſiam. Sed, amabo, ipſum Caſſiodorum audiamus. *Et ideo* (inquit) *futuræ beatitudinis memores vitas Patrum, confeſſiones fidelium, paſſiones Martyrum legite conſtanter, quas inter alia (b) in epiſt. (c) S. Hieron. ad Chromatium, & Heliodorum deſtinata, procul dubio reperitis, qui per totum orbem terrarum floruere, ut ſancta imitatio vos provocans ad Cœleſtia regna perducat*. Quænam vero heic, quæſo, ſeu

Caſſiod. lib. de inſt. Divin. Lect. c. 32.

(a) Martyrologii, quod tanti fecit Aloyſius Lipomanus vir clariſſimus, ut *auro contra carum* duxerit. (b) Volumina in queis Martyrum Acta adnotantur: Quorum unum fortaſſe erat vetus noſtrum Martyrologium, a Roſvveydo publicatum. (c) De fide iſtius Epiſtolæ conſule Baronium *in Prælim. ad Mart. Rom. c. 7.*

ſeu vola, ſive umbra Romani Martyrologii? Caſſiodorus plane Abbatem, & Monachos illos commonet, ut acta Sanctorum perlegant, interque alia, in quibus ea deſcribebantur, volumina, commendat præmemoratam Hieronymi epiſtolam, in qua Martyrum paſſiones adnotabantur. Verumtamen demus, quod eam epiſtolam Martyrologii vice habitam Romæ fuiſſe intellexerit Caſſiodorus; numne ideo alia volumina, in quibus eadem continerentur, ibi uſitata fuiſſe denegavit? Haud arbitror. Quinimo ipſe aperte declaravit, quod reperire erat alia id genus opera. *Vitas Patrum, confeſſiones fidelium, paſſiones Martyrum legite conſtanter, quas INTER ALIA in epiſtola Sancti Hieronymi .... procul dubio reperitis*. Ex quibus dictis perſpicue conſtat, quod illo ævo in uſu erant Martyrum Acta, ſeu Martyrologia diverſa. Neque enim a veritate alienum aut abſurdum eſt, quod in una eademque urbe, eodemque tempore diverſa Martyrologia fuerint uſitata. Reapſe variis Romæ Eccleſiis varia Martyrologia uſitata olim fuiſſe teſtatur Baronius, qui *in Prælim. ad Martyr. Rom. cap.* 8. ita loquitur: *Eccleſia Princeps Apoſtolorum in Vaticano, diverſo a ceteris urbis Eccleſiis, prædicta ex cauſſa, utebatur Martyrologio, quod manuſcriptum in ejuſdem Eccleſiæ Bibliotheca aſſervatur*.

§. XLIV. Neque audiendus eſt Valeſius, quum nonnullos errores in Roſvveydæo Codice adnotet, maximeque illum, quem Martyrologus noſter admiſit *ad* 4. *Non. Novemb.* ponens Theodotum Laodiceæ Epiſcopum Arriana peſte infectum. Nimirum ideo fides illi deneganda non eſt: ſicuti nec Uſuardo, Bedæ, aliiſque Martyrologis denegatur, qui ejuſmodi errori, ut fatetur ipſe Valeſius, obnoxii ſunt. Futilis quippe ac infirma eſt ratio, qua ille errorem eumdem, qui vel in Romanum Martyrologium, Xyſti juſſu editum, irrepſit; excuſatum habet; in vetere autem illo Martyrologio excuſatione indignum judicat. *Nec eſt quod quis objiciat* (ille inquit) *in recentiore Martyrologio Romano, quod Xyſti V. juſſu eſt editum, eumdem errorem haberi. Diſpar enim utriuſque conditio eſt. Nam in recentiore quidem Martyrologio error iſte excuſari poteſt, cum illud ex Uſuardi, Adonis, aliorumque Martyrologiis collectum fuerit. In vetus autem Martyrologium Romanum, ex quo tamquam ex fonte reliqua profluxerunt, tantus error cadere non poteſt*.

Aſt,

Digitized by Google

Aſt, bona tanti Critici venia, ego plane non video, quare Uſuardus, Beda, Ado, aliique Martyrologi ex iſto Codice hujuſmodi errorem haurire, & in novum Martyrologium Romanum transfundere, ſine ullo auctoritatis detrimento, potuerunt; non vero item Martyrologii noſtri Deſcriptor ex aliquo alio Scriptore, puta, ex Rufino, ut vult Valeſius, vel ex aliquo alio ex iis, quos innuit Caſſiodorus *loc. ſupra cit.* eumdem errorem admittere non potuerit: quem hujus Codicis Cenſor, ſi quis fuerit, minime advertit: ſicuti nec eum advertens diligentiſſimus Baronius, ex recentiore Martyrologio Romano nequaquam expunxit. Quid quod Uſuardi *doctrinam*, ac *diligentiam* inculcat ipſe Valeſius, ut ſupra exponebam; & tamen ad ejuſmodi errorem cæcutivit, ac dormitavit? Cur autem tantam perſpicientiam ab antiquo illo Martyrologo exigit Valeſius, ut illius errores habere nolit excuſatos; quum tamen ævo minus literato ille floruerit, neque ea, quam præſefert Uſuardus, ſcientia præditus fuerit? Sed amplius mirari deſines, vetus iſtud Martyrologium Romanum a Valeſio minime recognoſci, ſi hunc ſimiliter allucinari ſolitum deprehendas: nempe ipſe D. Quadratum Athenienſem, ſub Hadriano paſſum, confundit cum Magneſiano illo, qui ſub Decio Imperatore martyrium ſubivit. En quibus allucinationibus duci aſſolent, qui ſententiis a majori Eruditorum parte adprobatis reluctari affectant.

§. XLV. Valeſii auctoritate argumentiſque, non ſecus atque Æſopicus Corvus alienis pennis, deſpoliatus Antagoniſta noſter, pilam concedere, hoc eſt in Roſvveydæo Codice vetus Martyrologium Romanum recognoſcere videtur. Adhuc tamen (quis crederet?) ipſum nobis minime ſuffragari contendit. *Ceterum* (inquit) *ut dem quoque Adverſariis Roſvveydæum illud eſſe irreprehenſibile; quid inde, quæſo, capient emolumenti? Eſto enim Publium fuiſſe tradat Epiſcopum Melitæ, at certe utrius non tradit. Noſtram Illyricam Melitam tunc temporis Epiſcopatui idoneam floruiſſe (quidquid nugentur Philomaltenſes; quod nunc non extat,* (a) *numquam extitiſſe arbitrati) & Civitate fuiſſe orna-*

(a) Rationem quidem, qua ad id credendum ducimur, ignorat, vel diſſimulat Adverſarius: Conſulat igitur quæ in *locis ſupra citatis* adduximus, indeque apprehendat, cur Epiſcopo *Melitæ* abjudicemus.

natam admodum probabilis (*a*) *conjectura perſuadet*. Ad jugulandam vero tantam Zoili noſtri proterviam ſatis accommodata & plana ſunt, quæ *in ſerie Epiſcopor*. *§*. 3. *& Diſſert*. 8. *§*. 21. *& ſeqq*. diximus : ubi abunde oſtendi, *Meletam* nec habuiſſe unquam proprios Epiſcopos, neque habere tunc temporis potuiſſet, quum habitatoribus deſtituta eſſet ac deſerta. Quid enim Paſtore opus erat, ubi oves deſiderabantur? Quid Eccleſiarcha, ubi nulla Eccleſia? Quid Doctore, ubi nulli auditores? Præterquamquod, ſi in eam Inſulam Naufragus haud enatavit Apoſtolus, ut omnibus & ſingulis hiſce Diſceptationibus evici, qui, amabo, Publium in ejus Epiſcopum illa tempeſtate inſtituiſſe ille dicatur? In Inſulam autem noſtram cum vere Naufragio ille fuit ejectus, tum ipſam Epiſcopo inſtruere debuit. Præter rationem, quam Magni Gregorii auctoritate ſuffultam, alias adduxi; hanc aliam nunc accipe. Sacri quidem Canones Maximorum Pontificum, S. Lucii, S. Clementis, S. Anacleti, S. Leonis teſtimonia referentes, nos docent, Apoſtolorum Principem decreviſſe, ut in illis urbibus, in quibus Gentiles habebant Protoflamines, ut Legis Doctores, adſignarentur Primates, aut Patriarchæ; in aliis vero, quibus Archiflamines præerant, ordinarentur Archiepiſcopi. Quocirca Johannes Lucius ita loquitur : *B. Petrus Apoſtolorum Princeps ſtatuerat, ut Pontifices Chriſtianæ Religionis ſic diſponerentur per urbes ſingulas totius orbis, quemadmodum apud Gentiles fuerat antiquitus conſtitutum*: *in illis enim urbibus, in quibus erant Gentiles Antiſtites, qui dicebantur Protoflamines, fecit ordinari Epiſcopos* &c. (*b*) Flamines autem, vel Ethnicorum Sacerdotes, ac Pontifices heic fuiſſe Pauli Naufragi tempeſtate tum rationibus, tum pervetuſtis monumentis demonſtramus. Nempe Melita, ut ſupra differebam, tunc erat Romanorum municipium. Hujuſmodi vero municipia Romanæ Reipublicæ formam præſeferebant, atque eoſdem, quos iſta, ordines ac Magiſtratus habebant. Reapſe ex antiquis Inſcriptionibus heic repertis perſpicitur, has Inſulas habuiſſe

Cap. Urbes diſt. 80.
Cap. in illis vero Civit. diſt. 80. c. 2.
Cap. Epiſcopi diſt. 80. c. 3.
Cap. Illum ſane diſt. 80.
In Adnot. hiſt. Salonit. Tom. Archidiac. c. 3.

Tres-

(a) En quibus rationibus in nos pugnet Adverſarius, qui nos futilibus argumentis innixos paſſim effingit : quandoquidem nos haud conjecturis, ſed perſpicuis monumentis, & Veterum Scriptorum teſtimoniis Inſulam noſtram civitate vetuſtiſſima decoratam oſtendimus. (b) Flamines, ſeu Sacerdotes Idolorum inſtituti fuerunt a Numa Pompilio, Secundo Romanorum Rege, qui populum illum ferociſſimum a rerum militarium ſtudio ad ſacrarum culturam abducere ſtudebat.

Tres-Viros, Decuriones, Senatores &c. Necnon Sacerdotes, ac Pontifices. Prætermiſſis aliis, quæ ſupra exhibuimus, monumentis, heic quatuor producam, duo nempe a noſtro Abela, & Gualterio jam relata, duo altera horum neutri cognita:

PRO MUNERE HOSPITALITATIS ET BENEMERENTIÆ
DEMETRIO DIODOTI FILIO SYRACUSANO ET
POSTERIS EJUS
SUB SACERDOTE ICETA ICETÆ FILIO,
ARCHONTIBUS DEEREO ET KOTETE.
VISUM EST CONCILIO SENATORUM ET POPULO MELITENSI
QUONIAM DEMETRIUS DIODOTI FILIUS SYRACUSIUS
ERGA NOS SEMPER BENEVOLUM SE PRÆSTITIT, REBUSQ;
NOSTRIS PUBLICIS, ET UNICUIQUE NOSTRUM CIVIUM
MULTORUM BONORUM AUCTOR ET CAUSA FUIT &c.

Hanc Epigraphen græce inſcriptam duabus æneis Tabulis, quarum una Senatus, Populique Melitenſis decreto data fuit iſti Demetrio, ob ſuam erga Melitenſes benevolentiam, ut ibi exprimitur; factam fuiſſe arbitror, antequam hæc Inſula Romanorum Municipium audiret. Namque Archontes in ea recenſiti Græcanicum Magiſtratum præſeferebant. *Mox novem viros* (inquit Alexander ab Alexandro de Athenienſibus loquens) *Magiſtratum præcipuum fecere, qui ſortito creabantur annis ſingulis, quos Archontes nuncupabant. Inter quos primus Archon primarius Archontium, & longe Princeps erat*. Recte quidem, ut ait Pollio Trevellius apud Rhodiginum, *Archontes ſummi Athenienſium Magiſtratus dici latine Principes valent*. In Inſulis autem noſtris, jam Romanorum ſociis, ac Municipiis, ideoque, ut alias ajeban, Romanæ Reip. formam præſeferentibus, priſtinis iſtis Archontibus ſucceſſere Tres-Viri, aut Quatuor-Viri, aliique Romani Magiſtratus: *Yerothita* vero (ut habet Græcum Prototypum) ſeu Sacerdos, ut latine dicitur, aut Pontifex, heic omni tempore extitit, ut ex monumentis, quæ hic & alibi proferimus, perſpicitur. Accipe duas alias Inſcriptiones, quæ adhuc in Gaulo inſula exiſtunt, licet edaciſſimi Temporis dente perquam corroſæ;

Dier. Gen. lib. 3. c. 16.

Cœl. Rhod. Lect. Antiq. lib. 4. c. 9.

Digitized by Google

.D. N. M. CATERIC.....
DALE...... MAXIMUS
...... NO......
IMP.... C.... CUR...E
P.M. PONT...... ET... RUF..
MA.. M.N...... I.... EVER.. R.
...... O......

Quinti verſus literæ P.M. PONT. *Publium Marcum*, ſive *Marcium* (ut in alia Inſcriptione legitur) *Pontificem*, quo *curante* facta fuit hæc Epigrahe; indicare videntur.

NA HOPE QUIR...
CUID........ III.
QIV......
NINO.. I... PLEBS GAULITANA
IN R....... N... B.
: CELSO....
JURIS....
LIUS............

In ſecundo verſu poſt num. III. deſideratur litera V. ut videre eſt in alia Inſcriptione ſuperius allata, qua nota indicatur Triumviratus Magiſtratus: ſequentis autem verſiculi nota QIV. forte *Quatuor-virum* denotat. Has vero Inſcriptiones ita mutilatas attuli, ne prorſus pereant: quandoquidem ex alibi allatis, & afferendis aſſertionis noſtræ veritas conſtare clarius poteſt. Enimvero ecce quartam, cujus quidem ſenſus eſt perſpicuus, minuſque interruptus.

CERERI JULIÆ AUGUSTÆ
DIVI AUGUSTI MATRI
TI. CÆSARIS AUGUSTI
LUTATIA. CF. SACERDOS AUGUST.
IMP. PERPET..... UXOR
M. I. JUL... M. F. QUI OPTATI FIM.... INIS.
JULIÆ AUGUSTI. L. IMP. PERPET. M.
LIBERIS.... S.,.. I.,.. CONSACRAVIT.

Quod

Digitized by Google

Quod ſane Pauli tempeſtate in hac Inſula reperiebantur Flamines, ſeu Idolorum Sacerdotes, vel ex eo perſpicuum fit, quod, ipſo Adverſario fatente, uſque ad Claudii Ptolemæi ætatem, heic extiterint celeberrima illa Junonis, atque Herculis Fana, a Tullio, aliiſque perantiquis Scriptoribus commendata: Num-ne ubi tanta Delubra, vel alienigenis frequentata, nullus Flamen, ſeu Pontifex præfuiſſe dicatur? Qui vero hunc reperire fuiſſet, ubi nulla Fana, nec homines, uti tunc erat Meleta, ab Auguſto devaſtata?

§. XLVI. Reliquum eſt mihi, ut Adverſarii cenſuras ab Eminentiſſimo Baronio propulſem. Huic nempe inclito Scriptori Criticus noſter ſuccenſet, quod vetera omnia martyrologia Melitenſem Publii Epiſcopatum teſtari ille affirmarit. *Quis tantæ æſtimationis viro* (Adverſarius exclamat) *male cautus non credat?* Quis imo (ego reponam) vel bene cautus, totuſque oculus haud ſecus atque Catullianus ille *totus naſus*, illi fidem non præſtet? Haud eo tamen inficias, ipſum quadam exaggeratione Scriptoribus uſitata ibi loquutum fuiſſe: nempe *omnia* vetera Martyrologia Melitenum Publii Eccleſiarchium atteſtari ille dixit, ut id a *pluribus* antiquis Martyrologis affirmari ſignificaret. Simili exaggeratione uſus eſt Apoſtolus, quum dixit: *Noſtin' hoc, quod a me averſi ſunt omnes in Aſia?* Quandoquidem ipſe non de *omnibus* Aſianis; ſed de Phigello, & Hermogene (*a*), aliiſque ſimilis farinæ loqui intellexit, ut in *Diſſert.* 17. §. 8. oſtendam. Et quidem veteres Martyrologi, quos ſupra expoſuimus, Ado ac Beda (quos inter alios innuit Baronius) ipſius effato conſonant. Idem ipſe compertum habuerit in aliis Martyrologiis, præſertim manuſcriptis, quæ nos præ manibus habere non poſſumus. Quod autem plura ejuſmodi manuſcripta ipſe verſaverit, perſpici poteſt cum ex ſupra relatis, tum ex his aliis ejuſdem verbis: *Eccleſia Principis Apoſtolorum* (inquit) *diverſo a ceteris Urbis Eccleſiis, prædicta ex cauſa, utebatur Martyrologio, quod manuſcriptum in ejuſdem Eccleſiæ Bibliotheca hactenus aſſervatur*. Hinc perſpicuum fit, quod Baronii ævo repe-

2. ad Timoth. c. 1. v. 15.

In Prælim. ad Martyr. Rom. c. 8.

(a) Hermogenes iſte, ut ait Tertullianus *lib. de Reſurr. c.* 24. negabat carnis reſurrectionem. Unde nil mirum, ſi Gentium Doctorem averſatus is fuit.

rire erat alia Martyrologia idem teſtantia, quæ vel inedita ſunt, vel nuperi eorum editores expunxerint ea verba, quæ Melitenſe Publii Pontificium exprimebant. Nec infirmo innititur fulcimento iſta conjectatio: ſiquidem ii, quum vidiſſent, id minime haberi in Martyrologio Xyſti juſſu edito, facile potuerunt adduci, ut illud in ſuis editionibus quoque prætermitterent. Quiſquis igitur dijudicare affectat, vera-ne protulerit eminentiſſimus iſte Scriptor; eum præ manibus habere oportet, quotquot Vetera Martyrologia ſive Manuſcripta, ſive typis mandata, variaſque iſtorum editiones, ille exploraverit, antequam ejuſmodi teſtimonium intrepide protulit. Et ſane deridendus eſt Criticus noſter, quum generali illius effato repugnare velit, adducens nonniſi duos aut tres veteres Martyrologos id reticentes. Haud aliter temere quis contenderet, Paulum minus vere dixiſſe, *omnes* Aſianos eſſe a ſe averſos, quum tamen Oneſiphorus, hujuſque Domeſtici, utique Aſiani, conſtanti benevolentia ipſum proſequerentur. Enimvero mihi, quum eorum quæ obſervavit Baronius, Martyrologium editionum, ac manuſcriptorum copia deſit, tanti Scriptoris teſtimonium ſat eſt: quippe meo judicio allucinari ille non poterat in re adeo nitida, nempe in recognoſcenda veterum Martyrologorum ſententia de Meliteno Publii Præſulatu.

§. XLVII. Mihi reluctatum non ibit qui norit quam diſtent veteres a nuperis editionibus. Profecto in veteribus Adonis ac Bedæ editionibus Publius noſter *Mileti Princeps* dicitur; a recentioribus autem ipſorum editoribus *Melita* pro *Mileto* ſubſtituitur. Quod minime ignorans Adverſator, eo nomine Dalmatenſem Inſulam a Ven. Martyrologo indigitari contendit, hæc impudenter proferens: *Quædam Bedæ Martyrologia ad diem* 18. *Januar. Miletum pro Melitena uſurpare*. Nimirum ipſe compertum non habuit, quod Inſula noſtra olim Miletum audiebat, ut Gaufredi Malaterræ, Monachi ſui ipſius Ordinis, auctoritate alias oſtendi. Quid plura? Nonne ipſum vetus Martyrologium Romanum, ut vidimus, recenſet Melitenum Publii Epiſcopatum, qui ab hodierno prætermittitur? Ita plane a recentioribus diſcrepant veteres eorumdem Scriptorum editiones. Si quis ergo affirmarit, a prælaudatis Martyrologis *Melitam* vocari *Miletum*, & Publium dici hu-

jus

Digitized by Google

jus Inſulæ Antiſtitem; facili negotio reluctari ei poteris, Adverſarium noſtrum imitans, nempe recentiores eorumdem editiones opponens, in queis non *Miletum*, ſed *Melita* legitur; necnon Meliteuſi Publii Epiſcopatus præteritur: attamen meras nugas, non vero ſolidas cenſuras protuleris.

§. XLVIII. Quæ quum ita ſint, nemo non videt, quam inique adſeveret noſter Sycophanta, nos *Afro-Melitenum Publii Epiſcopatum nulla non falſo adducta auctoritate aſtruere*: quandoquidem tot vetera & veneranda Martyrologia ſententiæ noſtræ egregie ſuffragantur. Propterea operæ pretium non duco Herculeam Neotericorum Scriptorum nobis conſentientium aciem heic recenſere. Itaque prætereo Joſephi Cantelmi, Cornelii a Lapide, Claudii Dauſquii, Bartholomæi Gavanto, Pauli Belli, Gaſparis Sanctii, Gregorii Valentiani, Stephani Menochii, Octavii Cajetani, Franciſci Carreræ, Melchioris Inchofer, Caroli Jangolinii, Henrici Spondani, Sebaſtiani Salelles, aliorumque auctoritates, utut graviſſimas. Prætereo quoque antiquiſſimas Melitenſium Traditiones (*a*) monumentis corroboratas. Namque mihi ſatius eſt moroſiſſimum noſtrum Antilegontem armis, queis ipſe vinci amat, expugnare.

Metr. U T. 1.part. 3. Diſſ. 5. n. 8.
Dauſq. Paul. Sanct. lib. 2. c. 22.
Sanct. de Prædic. S. Jac. in Hiſp. Tract. 3. c. 1. n. 11.
Valent. in Mantiſſ. ad Sac. Hymnod.
Jangolin. Hedengr. Diſc. 3. c. 83.

DIS-

(a) Vide Diſſert. 19. §. 1. & 20. §. 7.

DISSERTATIO
DECIMASEXTA.

Eumdem D. Publium D. Dionyſio Areopagitæ in Athenienſi Eccleſiarchio ſucceſſiſſe.

§. I. PUblium noſtrum, clariſſimum Apoſtoli Naufragi Hoſpitem, Athenienſi Eccleſiæ poſt magnum Areopagitam præfuiſſe, affirmant Ven. Beda, Ado Viennenſis, vetus Martyrologium Romanum, ut *in ſuperiori Diſſert.* demonſtravi; necnon Galeſinius, NotKerus, P. Caniſius, Maurolicus, Joh. Nadaſius, Bellinus, *in ſuis Martyrologiis*, Conſtantius Felicius *in Ephem. Hiſt. Part.* 1. *ad* 12. *Cal. Febr.* (*a*) Ludovicus Zacconus *in Compend. Vit. SS. lib.* 3. *lit. P.* Equilinus *lib.* 2. *cap.* 109. Franciſcus Carrera *in Panth. Sic.* Salmeron *Tom.* 2. *in Act. Tract.* 58. aliique apud Bollandum *Tom.* 2. *ad* 12. *Cal. Febr.* atque MSS. plurima, Hieronymianum, Germanicum &c. Ne autem Lectorem tædio afficiam ſingulorum dicta referendo; unius Bedæ, cui ceteri aſtipulantur, verba producam. *Natale S. Publii*, (inquit) *Athenarum Epiſcopi, qui Princeps inſulæ Mileti, cum navigantem B. Paulum Apoſtolum Romam, ſub cuſtodia retentum, per triduum hoſpitio receptum, humane tractaſſet, ut B. Lucas refert, Patrem ipſius Publii contigit febribus & dyſenteria vexatum jacere, ad quem cum intraſſet B. Paulus, & impoſuiſſet illi manus, & oraſſet, ſanavit eum. Quem Publium adhærentem ſibi B. Apoſtolus poſtea ordinatum Epiſcopum ad prædicandum direxit; & præclarus virtutibus, & doctrina præfulgens ob Chriſtum martyrio glorioſe coronatur; nam prius Dionyſius, inde Publius iſte Athenis præfuit.* Quinimo non eſt qui hoc perneget, ſi, qui pernegant, fatente ipſo Adverſario, rationibus parum ſolidis innituntur. Unus itaque ipſe nobis obluctatur, *robuſtius* argumentum ſeſe proferre jactans, nempe *admodum longævam ac ſemineſtoream*

Beda Tom. 3. ad 15. Cal. Febr.

Pu-

(*a*) Edit. Urbin. An. 1577.

Digitized by Google

Publianam ætatem. Idcirco ſi Achilleum iſtud argumentum explodam, victor fuero. Ad arma.

§. II. *Publius iſte* (inquit Adverſarius) *trimeſtri illo Paulinæ moræ ſpatio, ornatus Melitenſi Præſulatu fuit, cum eſſet tricenariæ ad minimum ætatis : nam hæc, judice Eccleſia, Epiſcopatui apta, & jam tum ſecundum ipſos* (*utpote provectioris ætatis* (*a*)) *ſupremum in inſula Magiſtratum gerebat. Id accidit anno Chriſtiano vulgari 56. in quem incurrit ſecundus imperii Neroniani, quando teſte Hieronymo* (*ut alias confirmavimus*) *Apoſtolus poſt Melitenſe Romam venit. Publius autem Athenarum Epiſcopus Martyrium glorioſo obitu conſummaſſe dignoſcitur Annum circiter decimum regnantis M. Aurelii Antonini, Chriſtianum 171. qui eſt a Pauli Naufragio decimus quintus ſupra centeſimum. Huic ſi triginta Publii annos antepiſcopales annumeraveris, ſummam centum quadraginta quinque annorum conficies, unius eorum temporum hominis mirandam potius, quam credendam ætatem*. Quam bene computationes, calculoſque ſecum ipſe ſolus facit noſter Antagoniſta ! Sed quam male itidem, ſi nobis rationem referre velit ! Quidpe totum ejus argumentum ex falſis, ſeu non bene exploratis aſſertionibus conflatum eſt. Gratis enim ille aſſerit, Publium triginta ſaltem annos natum fuiſſe, quum ad Melitenſe Pontificium Paulus eum evexerit. Quandoquidem fieri potuit, ut vix annum exceſſerit vigeſimum glorioſiſſimus noſter Heros, quum huic Eccleſiæ fuerit præfectus. Obſtupeſcet fortaſſe Adverſarius, ſed mirari deſinet, ſi veteris hiſtoriæ monumenta melius pervolvat, & maxime ſacros (*b*) Illyridis ſuæ Faſtos, quos ille ignorare non deberet. Nimirum ibi comperiet Eleutherium ad Illyrici Epiſcopatum fuiſſe promotum, quum viginti tantum annos natus eſſet. Audiat Nicephorum Calliſti. *Ea ipſa ætate* (Trajani imperio) *præſtanti virtute juvenis Eleutherius in Illyrico erat. Romæ is quoque ortus, matre Anthia, quam magnus ille Paulus ad Profeſſionem Chriſtianam perduxiſſe fertur. Illa vero filium quoque Religionis ejus hæredem fecit, & Aniceto Romano Epiſcopo tradidit :* Niceph. Call. Lib. 3 c. 29.

a quo

(a) Undenam id collegit noſter Impoſtor ? Quandoquidem, ut *in ſuperiori Diſſert.* exponebam nos arbitramur, *Protum* a Luca dici Publium, non quod eſſet grandior natu, ſed quod opibus, ac fortunæ Splendore inter ſuos Municipales emineret. (b) Eos plane callere deceret Adverſarium, qui & Illyricus eſt, & pro Illyricis pugnat.

a quo ſacras literas edoctus, ſacro Cleri numero inſeritur; & quintodecimo ætatis anno Diaconi gradum conſequitur: mox triennio poſt Presbyter creatur. Et deinde 20. *natus annos Illyrici Epiſcopus deligitur*. Nec enim vero prima tantum illa Eccleſiæ ætate, ſed etiam ſequioribus ſæculis adeo juvenes creabantur Epiſcopi: Quippe quinto ſæculo præclarus ille Francicæ gentis Apoſtolus Remigius vigeſimo ætatis ſuæ anno Remenſi Thiara fuit redimitus, ut tradit Hincmarius Archiepiſcopus Rhemenſis, aliique ejus vitæ Scriptores. Virtus ſane virtus potius, quam ætas, illis temporibus a deligendis Epiſcopis exigebatur. Quamobrem Publium noſtrum virtutibus, ut in *præcedenti Diſſert.* oſtendi, Præſulem decentibus ornatum advertens Gentium Doctor, ipſum vel juvenili ætate florentem ad Melitenſe Eccleſiarchium promovere non dubitavit. Quod autem in præſentiarum provectior ætas in inſtituendo Epiſcopo requiratur, nihilum nobis officit: quinimo id a Critico noſtro imprudenter allegatur; quum interſtinguenda ſint tempora, quorum viciſſitudine ac varietate & res variantur. Quid vero quod vel decimo quarto Sæculo Petrus de Aliſontirburgo a Clemente VII. creatus fuit Epiſcopus, quum eſſet adeo juvenis, ut poſtea Cardinalium numero adſcitus, nonnulloque vitæ ſpatio ſancte tranſacto, mortalitatem explevit, nonniſi 18. annos natus?

Hincmar. in vit. S. Rem.

Joh. Croiſet. in ejus Vit.

§. III. Nec minus incaute ille adſeverat, Publii conſecrationem fuiſſe peractam An. Ær. Vulg. 56. Quandoquidem, ut eos miſſos faciam, qui Melitenſe Pauli Naufragium conſignant in Anno 61. ut *in Diſſert.* 19. §. 5. oſtendam, ſententia eruditis viris magis recepta eſt, Paulum huc Naufragum enataſſe Anno 58. emergente, vel initio Anni 59. ut expendit doctiſſimus Inchoffer. *Jam ſi de anno quæratur* (inquit), *ſententia vertitur inter* 58. *a Chriſto nato, vel* 59. *Baronius ſane* (*ad An.* 59.) *recenſitis ſingulis annis, exploratum eſſe putat Paulum poſtremo hoc anno Romam conceſſiſſe, idque cum Euſebii, & qui Euſebium ſequutus eſt, Hieronymi calculo congruere. Non paucis tamen aliis placet quinquageſimum octavum ſignare. Facile vero hæc controverſia componitur, ſi quinquageſimo octavo miſſum quidem a Porcio Feſto Succeſſore Felicis, quinquageſimo nono autem Romam perveniſſe Paulum teneamus, id quod diligentius expendenti narrationem Lucæ proclive eſt intelligere* &c. Pone ſen-

Melch. Inchoffer in Conject. de Ep. B.V. ad Meſſ. c. 5.

In Chron.

De Script. Eccl.

Digitized by Google

ſententiæ ſuæ rationes afferre is pergit, quas ab eodem accipere poterit curioſus Lector. Et quidem ita ſentiunt plures alii emunctæ naris viri, videlicet B. Sulpicius Severus, Carolus Sigonius, Onuphrius Panvinius, Sigiſmundus Laurentius, Franciſcus Quevedus, Thomas Maſſutius &c. Ne autem multus ſim, unius Sigonii verba proferam. *Biennio inde poſt* (inquit) *Paulus injuſto Porcii Feſti Judææ Procuratoris judicio oppreſſus Cæſarem appellavit, ac Romam propterea miſſus eſt anno* 58. *Lucas in Actis, & Euſebius lib.* 2. En Sigonium æque ac Baronium Euſebii teſtimonio innixos, videlicet illius ipſius Euſebii, quem ipſemet Adverſarius, ut pote *veri ſtudioſiſſimum, admirabilem, nemini in prudentia poſtferendum, eruditiſſimum, doctiſſimum, Hiſtoricum ſine pari, rerum notitia ſingulari pollentem, & inter Hiſtoriographos honorabiliſſimum* commendat. Quamobrem tanto Scriptori repugnare, quin ſibi ipſe repugnet, Criticus noſter non poteſt.

Sigon in comm. in l. 2. Sulp. Sev. Panvin. in Chron. Laurent. Queved. Maſſut. in Vit. S. Paul.

Inſp. 6. Diatr 3. §. 11.

§. IV. Quis autem iſtius impudentiam mirari ſatis poterit, quum Hieronymum, qui, ut vidimus, Euſebium ſequutus eſt, in partes ille ſuas advocet, ineptamque ſuam aſſertionem tanti Doctoris auctoritate confirmare contendat. Nempe ille allegat hæc Hieronymi verba: *Lucas Medicus Antiochenus...... aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo* Πράξεις τῶν Αποςόλων (Actus Apoſtolorum) *prænotatur: cujus hiſtoria uſque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, ideſt ad quartum Neronis annum* &c. Ex quibus verbis ille colligit, Pauli Naufragium ab Hieronymo in Ann. 56. conſignari, in quem nempe incidit ſecundus Neroniani imperii annus ſecundum aliquos Chronologos. Sed, amabo, quid opus ei erat tot commentis, ut Hieronymi mentem aſſequeretur; quandoquidem ſacer iſte Scriptor apertiſſime Pauli Naufragium refert in Annum ferme 59. *Paulus* (inquit) *poſt Paſſionem Domini vigeſimo quinto anno, ideſt ſecundo Neronis, eo tempore, quo Feſtus Procurator Judææ ſucceſſit Felici, Romam vinctus mittitur*. Enimvero Chriſtus Dominus pro nobis paſſus eſt Anno 34. cui ſi 25 annos adjunxeris, in Annum 59. incurres. In quo etiam ſecundum Neronis annum exactum ſtatuit Hieronymus Euſebium, adeo ab Adverſario commendatum, ſequu-

De Script. Eccl. in Luc.

De Script. Eccl. in Paul.

tus *(a)*. Hunc Hieronymi locum diſſimulavit noſter Impoſtor, quum eum extorquere non potuerit, ſicuti vim intulit alteri ejuſdem Scriptoris loco a ſe allegato; qui vel hinc elucidatur; quum quartus Neronis annus ſecundum Hieronymum incidat in Annum 61. non vero in quinquageſimum octavum, ut ille ſomniat. Quod autem locum iſtum dolo malo ille prætermiſerit, vel ex eo conjici poteſt, quod ſacri iſtius Doctoris de Pauli naufragii tempore ſententiam exploraturo legenda potius erant, quæ is protulit ſcribens *de Paulo*, quam quæ idem aſſeruit loquens *de Luca*: Idcirco impiger Adverſarius proculdubio illa obſervarit, licet hæ dumtaxat alleget, illis, utpote ſibi refragantibus, callide omiſſis.

§. V. Tandem glorioſum Publii certamen ad Annum 171. trahere perperam ille conatur. Et mirum, quot inania & futilia ille congerit, ut id Lectoribus ſuadeat. Nos autem cunctas aſſertiones, quibus argumentum ſuum prolixius aſtruit, breviter exponamus; ut earum fallacia exinde fiat perſpicua. Nono (ſic ille ratiocinatur) vel decimo M. Aurelii Antonini imperantis anno Dionyſius Corinthiorum Eccleſiæ præfectus, epiſtolam illam ad Athenienſes ſcripſit, qua *paulo ante paſſum Publium indicat*; unde colligitur, quod Publius circa nonum vel decimum iſtius Imperatoris annum Martyrii coronam fuerit conſequutus. Sed qui Dionyſium nono, vel decimo ejuſdem Cæſaris anno Corinthiaca Infula redimitum fuiſſe ille evincit? Accipe. Dionyſium, ſedente jam prope biennium Sotere (qui, ut ille vult, octavo illius Imperii anno ad ſummum Pontificium evectus eſt) in Corinthiorum Epiſcopum fuiſſe inſtitutum ex eo conjicit Adverſator, quod epiſtolam *Catholicam*, ſeu *communicatoriam* ad Soterem ille miſerit: hujuſmodi autem epiſtolas, *ultro citroque ab Epiſcopis ad Eccleſias, ab Eccleſiis ad Epiſcopos novis infulis inauguratos mitti conſueviſſe* ille ſubnectit: ex verbis autem iſtius epiſtolæ colli-

(a) Annum ſecundum Neronianum, *Q. Voluſio Saturnino*, *P. Cornelio Scipione Coſſ.* recognoſcit in Anno 58. Petrus Laſena *in Antiq. Gymn. Neap. c.* 3. Cui nonnulli conſentiunt. Calmetus vero, Monachorum S. Benedicti ornamentum, *in Tab. Chron. Act. Ap. inſerta Tom 4. Diſſert. in Nov. Teſt.* ſtatuit Pauli naufragium in Anno Chriſtiano vulgari 59. cui ſi quatuor annos addideris, quot Æram Vulgarem, ut idem ait, anteceſſit Dominicus ortus, incides in Annum 63. licet Typographi incuria ibi fuerit ſignatus Annus Ch. 60.

colligit eam fuiſſe a Dionyſio exaratam ſecundo jamjam emergente Soteris Pontificatus anno: indeque concludit, Dionyſium eodem anno Corinthiacæ Eccleſiæ fuiſſe præfectum. Sed quam minus recte is ratiocinetur, amodo evincam.

§. VI. Dionyſius quidem Corinthius variis temporibus varias epiſtolas ad varias perſonas conſcripſit, ut conſtare poterit conſulenti Nicephorum Calliſti, qui *lib.* 4. *c.* 8. de pluribus epiſtolis ab illo exaratis mentionem facit. Ea propter ſecundum Adverſarii animadverſionem, ſeu regulam ferme toties novis infulis illum inauguratum dicere oportet, quoties hujuſmodi epiſtolas ille conſcripſit. Has autem diverſis temporibus illum exaraſſe perſpicitur cum ex ordine, quo ipſarum meminit Nicephorus, tum ex ætate qua vixerunt ii, ad quos ipſæ datæ ſunt. Enimvero Hiſtoricus iſte epiſtolam ad Athenienſes miſſam in ordine ſecundam collocat, eamque inter, atque epiſtolam ad Soterem ſcriptam plureis alias recenſet, tamquam ante iſtam exaratas. Necnon Quadratus, quem veluti ſuum coævum commendat Dionyſius in Epiſtola Athenienſibus data, floruit multo ante Soteris Pontificatum, ut poſt paullo demonſtrabo. Itaque ſi ex epiſtola ad Soterem miſſa argui poſſet, Dionyſium fuiſſe Corinthiaca Tiara inauguratum circa nonum M. Aurelii annum; ex illa Athenienſibus inſcripta colligendum eſſet, eumdem fuiſſe in Epiſcopum conſecratum ſub Adriano Imperatore, quo tempore inclarebat Quadratus. Porro Dionyſius non modo ſcripſit Epiſtolas *Catbolicas*, ſeu *communicatorias* ſuæ inaugurationis ergo, ſed & alias exaravit animarum ſalutis zelo, & amicorum precibus motus, ut ipſemet innuit apud Nicephorum *loc. cit.* necnon æquus rerum æſtimator colligere poterit ex epiſtola ab illo ſcripta ad Chryſophoram, quæ nec ulli Eccleſiæ præerat, nec ſane præeſſe valebat. Quod etiam confirmatur auctoritate D. Hieronymi, hæc ſcribentis: *Tantæ eloquentiæ, & induſtriæ fuit* (Dionyſius Corinthius,) *ut non ſolum ſuæ civitatis & provinciæ populos, ſed & aliarum urbium & provinciarum epiſtolis erudiret.* Vides ut Sacer iſte Doctor Dionyſio tribuat ejuſmodi epiſtolarum ſcriptionem, ut dotem ei peculiarem, non vero ut communem aliis Epiſcopis morem ſcribendi epiſtolas communicatorias! D. Hieron. de Script. Eccl. c. 27.

§. VII. Hinc etiam elici poteſt, quam minus caute conjecerit Adverſarius, Dionyſium ad Athenienſes ſcripſiſſe paullo poſt Publii martyrium, propterea quod Euſebius inquit: *Catholica ejus* (Dionyſii) *epiſtola ad Athenienſes eſt excitans ad Fidem, & ad Rempublicam juxta Evangelium dirigendam. In qua ipſos quod negligenter egiſſent, reprehendit, ceu propemodum alienatos a verbo (veritatis,) poſtquam Præſulem eorum Publium mori Martyrem contigerit in exortis tunc temporis perſecutionibus. Quadrati quoque poſt paſſionem Publii in eorum Epiſcopum conſtituti meminit: teſtificans quomodo ejus ſtudio ac diligentia in Eccleſiam congregati fuiſſent, & redivivos Fidei igniculos ardoremque conſequuti*. Audiſti jam Euſebii dicta; nunc accipe Critici noſtri commentarium. *Paulo poſt interitum Publii* (ipſe ait) *epiſtolam hanc ad Athenienſes conſcriptam, ſuadent credere verba illa* Κατὰ τὺς τότε διωγμὺς: *in exortis tunc temporis perſecutionibus*. Solidiſſimam rationem percipe. *Nam ſi ſero; quidem præpoſtera fuiſſet & irridenda; non ſecus ac illa, quam refert Suetonius, conſolatoria Ilienſium legatio ad Tiberium Auguſtum. Quid enim id foret, quam obducta vulnera reſcindere, & vetus flagitium inutiliter exprobrare, in Fidei conſtantia jam a multo tempore Quadrati ope perſeverantibus?* Quis vero non ſuſpicabitur, Criticum noſtrum hæc nobis objeciſſe non aliam ob cauſſam, quam ut mucidam Ilienſis illius legationis eruditionem ex ore (a) ſuo deprompta oſtentaret? Aſt male cautus non vidit ſe ſuomet laqueo captum: ſi enim Dionyſius in eadem epiſtola Athenienſes Quadrati zelo jam reſipuiſſe affirmat, næ ipſorum vulnus, ſeu flagitium vel tunc erat obductum, vetuſque. Non-ne autem, ſi Adverſario aſſentiamur, & intempeſtiva eſſet Dionyſii correctio, quum is Athenienſes reprehenderet, quos jam Quadrati ſtudio ac monitis in viam veritatis reductos agnoſcebat? Hinc perſpicuum fit, Dionyſium haudquaquam recens crimen illis exprobrare voluiſſe, ſed quidem vetus, nempe poſt Publii obitum, & ante Quadrati Epiſcopatum ab illis admiſſum. Ideone igitur Sanctiſſimus ille Præſul præpoſtere ac inutiliter Athenienſibus antiquam ipſorum in Fide negligentiam objectavit? Haud arbitror. Enimvero prudenter ille veteris lapſus recordatione ipſos deinceps reddere firmiores conſtantio-

reſque

(a) Miſcellanea eruditis, & Monachis, præſertim concionatoribus uſitata, vulgo *Zibaldone*.

reſque in Fide curavit. Illa autem verba : *In exortis tunc temporis perſecutionibus ;* referenda ſunt ad perſecutionem, in qua Publius noſter glorioſe certavit; non vero ad illam ſub M. Aurelio exortam, regente Corinthiorum Eccleſiam Dionyſio, ut perperam opinatur Adverſarius. *Poſtquam Præſulem eorum Publium mori Martyrem contigit in exortis tunc temporis perſecutionibus* ; nitide perſpicueque ait Euſebius.

§. VIII. Neque nobis obeſt auctoritas ejuſdem Hiſtoriographi, quum iſte aſſerat, Dionyſium Corinthium inclaruiſſe Coſſ. Severo II. & Herenniano, qui Adverſario annus eſt M. Aurelii decimus, Soteris vero tertius. Etenim inde colligi minime debet, prælaudatum Autiſtitem ad Athenienſes epiſtolam per id ipſum tempus dediſſe. Nimirum unum eumdemque Scriptorem ſub diverſis Imperatoribus floruiſſe, abſurdum, vel inauditum non eſt : neque ex eo, quod ipſum ſub uno Cæſare inclaruiſſe quis dicat ; inferri neceſſario debet, quod ille idem ſub alio Imperatore minime floruerit. Id planum faciam Origenis exemplo. Qui eximium hunc Auctorem ſub Urbano Romano Pontifice reſplenduiſſe affirmabit, nihil ſane a veritate alienum proferet : & tamen ipſe 25. & amplius, annos ante Urbani Pontificatum inclarebat : quippe ſub Zephyrino Papa jam exſplendeſcebat: Habundius autem Zephyrinus Anno 198. Urbanus vero Anno 223. ad ſupremum Pontificium aſſumptus eſt. Audi Ptolemæum Lucenſem *in ſua Hiſtor. Eccl.* ita loquentem : *Qui* (Origenes) *concurrit cum multis Pontificibus, videlicet, Zephyrino, Callixto, & Urbano, eo quod multo tempore vixerit, hoc eſt a Severo uſque ad Voluſianum, ut tradit Hieronymus, ubi ſupra, hoc eſt 69. annis. Incœpit autem florere a 17. anno, quia tunc mortuus eſt Pater ejus, & in 18. ad libros componendos aggreditur, ut Eccleſiaſtica Hiſtoria tradit, & ut Hieronymus ubi ſupra, diſputationes contra Hæreticos aſſumit* &c. Qui ergo aſſerit, Dionyſium ſub M. Aurelio celebrem fuiſſe, nequaquam inficiatur, ipſum ſub Hadriano quoque floruiſſe. Quo quidem regnante illum florere cœpiſſe, vel argumento eſt ipſius ad Athenienſes epiſtola, in qua Quadrati, tamquam ſui contemporanei, meminit. Quadratus autem ſub Hadriano paſſus eſt, ut mox oſtendam. Necnon argumento ſunt tot

Ap Collect. Rer. Ital. Script. T. 11.

aliæ.

aliæ ejuſdem Sancti Præſulis epiſtolæ, quæ ſane, ut ſupra exponebamus, diverſis temporibus ad diverſas perſonas videntur ab ipſo conſcriptæ.

§. IX. Et quidem Quadratus, Publii in Athenienſi Epiſcopatu Succeſſor, cujus meminit Dionyſius in ſæpe memorata ad Athenienſes epiſtola, fuit Apoſtolorum Diſcipulus, & imperante Hadriano pro Chriſti Fide glorioſe certavit. Hoc autem inficiatur Criticus noſter, qui nempe binas Syracuſas, binos Trajectus Ionios, binos Publios, mira rerum conduplicatione recognoſcit, vel Quadratum conduplicare conatur, ſed incaſſum ac inique. Siquidem ei valide obluctantur complures graviſſimi Scriptores. *Apud Athenas* (inquit Ven. Beda) *B. Quadrati Epiſcopi, diſcipuli Apoſtolorum. Hic firmavit, ut nulla Eccleſia a Chriſtianis repudiaretur*. Prælaudatus autem Ptolemæus Lucenſis hæc ſcribit: *Hujus Pontificis* (Evariſti) *tempore floruerunt Doctores aliqui Græci, qui ſub Adriano Principe Martyrio coronati ſunt, qui XII. Imperator fuit a Julio. Unus fuit Quadratus Apoſtolorum diſcipulus, & Athenienſis Epiſcopus* &c. Magnus vero Hieronymus ita loquitur: *Quadratus Apoſtolorum diſcipulus Publio Athenarum Epiſcopo ſubſtituitur, cumque Hadrianus Athenis exegiſſet hyemem, porrexit ei librum pro Religione noſtra compoſitum, valde utilem, plenumque rationis & fidei*. His conſonat D. Antoninus Florentinus Archiepiſcopus hiſce vocibus: *Eo tempore* (Adriani imperio) *Quadratus Apoſtolorum diſcipulus, Publio Epiſcopo Athenarum, ob Chriſti fidem martyrio coronato, in locum ejus ſubſtituitur: & Eccleſiam grandi terrore diſperſam fide & induſtria ſua congregat*. Idem plane affirmant Ado Vienneuſis, Uſuardus, NotKerus, Johannes Trithemius *de Script. Eccl. in Quadrat.* Honor. Auguſtodun. *de Script. Eccl. lib. 2.* Ricciolius *Tom. 2. Chron. reform. ad An.* 124. Johannes Launoyus, & Jacobus Sirmondus apud Emanuelem a Scheleſtrate, & alii. Tot vero tantiſque auctoritatibus non acquieſcit Criticus noſter, qui tamen ſi vel unam ex ipſis ſibi ſuffragantem comperuiſſet, magni, ut par eſt, eam feciſſet, nobiſque tamquam Minervæ ſuffragium objeciſſet. Hinc eſt, quod præter pauciſſimos recentiores (*a*), Valeſium nempe, Tillemontium, Lemo-

Act. 7. Cal. Majas.

Hiſt. Eccl. lib. 2. c. 17.

D. Hier. de Scrip. Eccl. in Quadrat.

In Chron. part. 1. tit. 7. c. 4. §. 2.

In Martyr.

Em. a Schel. Antiq. illuſtr. diſſert. 3. art. 1.

(a) En qui Neotericos Antiquis præferat Adverſarius, quum hi ſibi repugnent; quum vero recentiores ſibi refrigentur, ad venerandam antiquitatem ipſe confugit.

Digitized by Google

monium, Caveum, Baſnagium, nullum alium adverſus nos producere potis ipſe fuit. Sed quid non cogit rerum inopia? Euſebium quoque, Dionyſium Corinthium, & Nicephorum ille advocat non alia quidem ex cauſſa, quam quod ille Athenienſem Quadrati Epiſcopatum ſiluit; iſti vero prætermiſere quod ipſe fuerit Apoſtolorum diſcipulus. Verumenimvero ſcire deberet Antagoniſta noſter, hoc etiam pacto illos nobis opitulari; quum ex uno unam, ex aliis aliam Quadrati prærogativam eliciamus. Reapſe Hieronymus, qui in Catalogo Scriptorum Eccl. Euſebium ſequutus eſt, ſententiæ, ut vidimus, noſtræ ſuffragatur. Et quidem Euſebius duos fuiſſe Quadratos nuſquam adſeveravit. Neque enim Quadratum a Dionyſio memoratum, diverſum ab illo Apoſtolorum diſcipulo fuiſſe ille affirmavit. Præterea Fl. Dexter Athenienſem Quadrati Epiſcopatum quoque reticuit: & tamen nobis ſuffragari fatetur Adverſarius. Quid igitur eſt in cauſſa, cur Euſebius eidem ſilentio obnoxius non item nobis ſuffragetur?

§. X. Zoilus Quidem noſter ſimilia nobis objicere conſuevit: Nempe & Publium Athenienſibus præfuiſſe denegat, propterea quod nonnulli Scriptores, qui eum fuiſſe noſtrum Antiſtitem affirmant; Athenienſem ipſius Epiſcopatum reticent: itidemque ipſum noſtram Eccleſiam minime rexiſſe contendit, propterea quod alii, qui eum Athenienſi præfuiſſe tradunt, Melitenſe ipſius Pontificium ſilentio involvunt. Quum tamen alios producamus, qui eum utrique Eccleſiæ præfectum fuiſſe enucleate ſignificant, illorum opera pſeudographa & mendoſa eſſe dictitat. Nos autem hujuſmodi fruſtrationes deſpicatui habentes, utrumque Publii Præſulatum ex ſingulis Auctoribus, qui alterutrius meminerint, apum inſtar, elicimus, ſolidum hoc argumentum conficientes: Publius Melitenſium *Protus*, & Pauli naufragi hoſpes ſecundum hos Scriptores fuit Melitæ Præſul; atqui ille idem juxta hoſce alios Athenienſibus præfuit; Publius igitur noſter utramque rexit Eccleſiam. Quod magis ac magis eorum auctoritate confirmamus, qui diſtinctam de utroque ipſius Epiſcopatu mentionem fecerunt.

§. XI. Audiri vero non meretur Antagoniſta noſter, quum aſſerat, D. Hieronymum *ex vulgi rumore, non ex rigore critico* duos Quadratos (nempe unum, Apoſtolorum diſci-

diſcipulum, alterum Publii in Athenienſi Præſulatu ſucceſſorem) *in unum hominem, atque Heroa conflaſſe*. Equidem ſatius ei fuiſſet, ſi tantum Doctorem numquam allegaſſet, quam ipſum modo extorquere, modo ipſius verba partim producere, partim diſſimulare, & modo ipſum parvipendere. Nempe ipſum parvipendit, qui eumdem *non ex rigore critico*, ſed *ex vulgi rumore*, ideſt incaute loquutum eſſe dictitat. Sed audiamus Zoilum noſtrum *ex rigore critico* loquentem. *Menologiam Græcorum*
Inſp. 8. Diatr. 3. §. 20. (inquit) *ad diem 21. Sept. Quadratum Apoſtolorum diſcipulum morte ſublatum ajunt ſub Hadriano; a quibus & noſtri contradictores Latini non diſcrepant: quicumque enim ejus obitum memorant, Hadriani tempora dicunt non exceſſiſſe. Atqui Quadratus Publio ſucceſſit, regnante Marco, nimirum triginta annis poſt Hadriani deceſſum, ut ex ſupralaudato Dionyſio Corinthio, aliiſque documentis evicimus. Itaque niſi ad vitam iterum rediiſſe putandus ſit, non unus fuit*. Primam quidem hujus argumenti aſſertionem nequaquam controvertimus; neque opus erat Adverſario, eam Apollonii, aliuſque innominati Auctoris apud Euſebium teſtimonio confirmare. Secundam vero falſiſſimam cum ex ſupralaudatis auctoritatibus, ac rationibus, tum ex mox afferendis perſpicitur. Peſſime itaque ille concludit, duos fuiſſe Quadratos, unum Prophetia inſignem, & Apoſtolorum diſcipulum, alterum Publii in Athenienſi Sede ſucceſſorem. Neque enim ei opitulatur Euſebius, quum aſſerat, Apoſtolicos viros (Quadrato ſimiles) *non facile certis regendis Eccleſiis* addici conſueviſſe, ut pote *longe lateque neceſſarios*. Nam & Dionyſius Areopagita, & Ignatius Martyr, & Polycarpus, utique Apoſtolorum diſcipuli, & ſanctimonia inſignes, fuere certis Eccleſiis addicti, ſcilicet prior Athenienſi (cui non multo poſt præfectus fuit noſter Quadratus;) alter Antiochenæ; tertius Smyrnenſi. Quid plura? Nonne Paulus ipſum Timotheum ſuæ peregrinationis ſocium, ordinatum Epiſcopum Epheſinæ addixit Eccleſiæ?

§. XII Et quidem vel ex eo, quod Quadratus ſub Hadriano paſſus eſt, colligi debet, Publium ejuſdem in Athenienſi Pontificio Anteceſſorem, martyrio coronatum minime fuiſſe ſub M. Aurelio; ut perperam contendit Zoilus noſter contra communiorem Scriptorum ſententiam; quum ſane

ſane nullus inveniatur, qui glorioſi hujus Præſulis obitum ad Ann. 171. in quem incidit Marci decimus, referat. Itaque concludere oportet Publium noſtrum pro Chriſto glorioſe certaviſſe, vel ſub Trajani imperio, ut affirmant Cl. Viri Petrus Halloix (a), Jacobus Sirmondus, Jacobus Gordonus, & alii, vel ad ſummum ſub Hadriano, ut autumant Baronius, Jacobus Gualterius, MS. Florarium, Hieronymus Manduca, aliique Scriptores. Quapropter in Athenienſi Epiſcopatu ſuccedere illi facile potuit Quadratus, Apoſtolorum diſcipulus, Prophetia inſignis imperante adhuc Hadriano, qui diutius regnavit: nempe aduſque Annum 138 quo etiam tempore florebat Dionyſius Corinthius, qui ipſius meminit in ſua ad Athenienſes epiſtola, ut ſupra exponebam. Sirmond. in Differt. de duob. Dionyſ. c. 8.

§. XIII. En itaque dilutum *robuſtum* illud argumentum, in quo Veterator noſter adeo ſibi complacuit, & quo nobis *ſemineſtoream*, ſeu *ſeſquicentenariam* Publii ætatem objiciebat. Reficiat modo accuratius calculum, detrahendo tot annos quot Publianæ vitæ inepte is addidit; & compertum plane habebit, quod noſter Antiſtes abſque eo quod *ſeſquicentenarius*, imo neque centenarius fuerit, prius noſtram, deinde Athenienſem Eccleſiam moderari potuerit. Si enim ipſe (ut, Eleutherii, Remigii, aliorumque exemplis, fieri potuiſſe evicimus) 20 annos natus ad Melitenſem Cathedram fuit evectus, atque ſub Trajano, ut Sirmondo, Halloixio, Gordono, aliiſque placet, martyrium ſubiverit; & ne quidem primo, aut ſecundo, ſed decimo quinto, vel decimo ſexto illius imperii anno; in quem incurrit Annus Æræ Vulg. 113. a quo ſi retrocedas ad annum 59. quo naufragus huc appulit Paulus; numerabis annos 54. queis ſi addas 20. annos, antepiſcopalem Publii ætatem; nonniſi 74. annorum ſummam comperies. Attamen, ut moroſi noſtri Critici os omnino retundam; demus, quod Publius fuerit 25. annos natus (& ita utrumque vitabimus extremum) quum in Epiſcopum noſtrum fuerit a Paulo inſtitutus: demus quod ille non ſub Trajano paſſus fuerit, ſed ſub Hadriano, neque autem primo, aut ſecun-

Aaa

(a) Apud Bolland. *Tom. 2. in Vit. S. Publii*. Gordonus quidem Martyrium S. Publii conſignat in Anno 5. Pontificatus Alexandri I. qui fuit aſſumptus Anno Chriſtiano vulgari 109. in quem incidit Annus Trajani duodecimus.

cundo, ſed nono ejus imperii anno (ut vult Baronius,) nempe Anno Chriſtiano vulgari 125. Hinc retrocedendo ad Paulini naufragi annnm 59. adnumerabis annos 66. quibus ſi adjungas 25. annos, quotam vitæ Portionem ante Epiſcopatum traduxerit Publius; non niſi quidem 91. annorum ſummam conficies. Eſt-ne vero *ſtupenda* hujuſmodi ætas, vel *exotica*? *Sapitne fabulam*? Quidve eſt in cauſſa, cur eam inculcare, aut magnifacere debuerint Scriptores obſtupentibus ſimileis? Quandoquidem multo provectiore ætate plures alii Martyres piis illis primis temporibus intrepide, glorioſeque certarunt. Quidpe Dionyſius Areopagita, ipſius Publii in Athenienſi Præſulatu Anteceſſor, martyrii laureolam obtinuit annos 112. natus, ut affirmant Cl. Viri (*a*) Laurentius Cozza, & Andreas de Sauſſai. Divus autem Simeon Jeroſolymitanus Epiſcopus, Jacobi Apoſtoli ſucceſſor, annos 120. natus, cruci affixus eſt, ut memoriæ prodidit Euſebius, & ante hunc Hegeſippus, Apoſtolici ævi Scriptor. Necnon alter Jeroſolymorum Antiſtes, Narciſus, referente eodem Euſebio, annos 116. exceſſit. *Quod* (inquit Baronius) *haud adeo mirandum videri debet, ſi quis conſideret Divina Providentia factum, ut complures Apoſtolorum diſcipuli longiorem ætatem vixerint, ut Apoſtolicarum inſtitutionum eſſent viva quædam monumenta*. Pone eminentiſſimus iſte Scriptor tamquam teſtes adducit, Ignatium, Quadratum, Hermam, Simeonem, Polycarpum, qui admodum longævi ad aſtra evolarunt. Idem aliis verbis profert Boſquetus, allegans Memmium, Taurinum, alioſque Chriſtianæ Religionis Heroas. Et quidem id mirari deſinet, qui vel Johannem Apoſtolum ad ævum quo Apoſtolorum diſcipuli paſſi ſunt, glorioſam (*b*) vitam produxiſſe perpendet. Nempe iſtum diu vixiſſe, & ſub Trajano (quo Regnante Ignatius ejus diſcipulus, & Dionyſius Areopagita, Pauli Auditor, aliique viri Apoſtolici martyrium ſubierunt) cœleſtem vitam cum morte commutaſſe tradit Euſebius, Irenæum, & Clementem Alexandrinum allegans.

Cozza in Præf. Vindic. Areop. And. de Sauſſ. de Myſt. Gall. Script. pag. 897.

Hegeſipp. ap. Papebroch. ad diem 18. Febr. Euſeb. l. 6. c. 11.

Baron. ad Ann. 109.

Boſquet. Hiſt lib. 1.

ſ. XIV.

(a) Petrus Amatus *in Method. ad poſit. Theol. appar. l.4 art.9.* aſſerit, Dionyſium 110. ætatis anno Martyrium ſubiiſſe; ſed ſupralaudatus Laur. Cozza adſeverat, veriorem de illius ætate ſententiam eſſe, quam ipſe ſtatuit.

(b) Cedrenus apud Sarnelium *Epiſt.44. tom.7.* arbitratur, Johannem Evangeliſtam vixiſſe annos 106.

§. XIV. Quid autem quod vel Ethnici homines, quorum vita potius animarum detrimento, quam utilitati erat, longiorem ætatem vixerunt? Teſtis eſt Plinius, qui poſt- Plin. l. 7. c. 49. quam plures variarum urbium accolas, qui 130. annos exceſſerant, & M. Aponum Arimini 150. annos natum memoravit, hæc ſubnectit. *Ac ne pluribus moremur in re confeſſa, in regione Italiæ octava centenum annorum cenſi ſunt homines 53. centenum denum homines 57. centenum vicenum quinum homines duo, centenum tricenum homines quatuor, centenum tricenum quinum aut ſeptenum totidem, centenum quadragenum homines tres.* &c.

§. XV. Neque vero illius dumtaxat ævi homines adeo longam ætatem traduxerunt. Habuerunt & ſequiora ſæcula ſuos Neſtores. Quidpe D. Remigius, qui non ſecus atque noſter Publius, valde juvenis, nempe annos 20. natus in Epiſcopum fuit inſtitutus, vixit annos 120. ut auctor eſt D. Gregorius Turonenſis. Necnon D. Patricius Lib. de Glor. c. 79. & 87. Scotorum Præſul, referente Sigeberto, ad æternam vitam Sigebert. in Chron. migravit anno ætatis ſuæ 122. Sanctus vero Bertinus Abbas obiit Anno Ær. Vulg. 710. ætatis ſuæ 112. ut quidam affirmant apud Joh. Croiſetum. Neque autem deſuere noſtris temporibus homines longiſſima ætate mirandi, variarum Orbis plagarum accolæ. Quum vero nihil velim aſſerere, In Theatr. Crit. Univerſ. Diſc. 12 t. 1. quod a Scriptoribus fide dignis traditum non ſit; teſtem adducam Benedictum Hieronymum Feyjoo, Monachum Ordinis S. Benedicti, qui inter plures longævos homines recenſet quemdam de Ombeyro in Galicia natum annos 146. Mox hæc ſubectit. *Mas convence el intento la certification, que para en poder de el Illuſtriſſimo Sennor Don fray Antonio Sarmiento General, que fue de mi Religion, electo Obiſpo de Fiaca, dada por fray Veremondo Neguervela cura de San Juan de el Goyo en el miſmo Reyno de Galicia en 30. de Septiembre de 1724. quien certifica, que en ſola ſu Paroquial, en dicho anno adminiſtrò los Sacramentos a Bartolomè de Villanueva de edad de 127. annos cumplidos, a Bartolomè de la Grana de 120. a Marta Garcia de 118. a Alberto Solla de 117.* Alios pone connumerat qui 110. & amplius, annos vixerunt.

§. XVI. Hujuſmodi autem vitæ diuturnitatem nulli nationum invident Melitenſes: ſiquidem hi nedum centenariam, & ultra, ætatem nonnumquam excedunt, ſed etiam

 in

in tanta ſenectute dentes, ſenſuſque corporis vigentes ac ſervant : uti nuper in Pago quem vocant *Zabbar* , erat quidam Senex os dentibus inſtructus , caput coma nonnihil nigricante ornatus, adeoque ſenſibus vigens, ut a militari onere ægre fuerit expeditus . Neque enim ab eo fuit abſolutus, niſi poſtquam oſtendit , filium ſuum ſenectutis cauſſa a militiæ uſu liberatum . Nimirum ille erat annos natus ferme 120. ut poſt ſedulam inquiſitionem compertum habuit ipſius Pagi Parochus . Sed multo longiorem fuiſſe antiquorum Melitenſium vitam teſtatur noſter Marcus Antonius Haxac, Medicus præſtantiſſimus , qui in opuſculo quod de Paulinæ Cryptæ cultu inſcripſit , ac nuncupavit Eminentiſſimo Fabritio S. R. E. Cardinali Verallo, 122. abhinc annis retulit, tunc temporis in Noſocomio urbis noſtræ Notabilis fuiſſe quemdam ſenem 120. annos natum, memoria vigentem; antiquiores vero Melitenſes longiorem ætatem vixiſſe; ita ut nonnulli ad 130. annos ætatem provexerint . Cujus quidem longævitatis cauſſam ille affert aeris
Lib. 2. de temperiem, necnon frugalem illorum victum . Et quidem
Bell. Jud. c. 7. Joſephus adſeverat , Eſſæos , vel Eſſænos *(a)* fuiſſe valde
Eccl. 37.34. longævos *propter ſimplicitatem victus, & inſtitutionem bene in omnibus ordinatam*. Ita plane nos edocet Eccleſiaſticus: *Abſtinens adjiciet vitam*: Ut eam quidem abſtinentia ſua adjecerunt, Divi ſupra venerati, Remigius, Patritius, Bertinus; necnon D Romualdus qui 115. annos vixit; totque alii vitæ inſtitutione laudabiles Viri. Ejuſmodi vitam forte traducebant venerabiles illi Seniores noſtri, a quibus varias Melitenſium antiquitatum notitias non ſine animi voluptate accepit M. Jeroſolymitani Ordinis Magiſter, quum primum in hanc Inſulam adveniſſet , ut refert Thomas Boſius , a nobis *in Melit. Deſcript.* §. 40. allegatus . Si ergo antiqui Melitenſes hodiernis, utut longævis , non parum vivaciores erant; quid, amabo, mirum, quod Publius antiquiſſimo illo ævo natus, & frugalem ſobriamque vitam , uti Apoſtolicum decebat virum, traducens, tamdiu vixerit? Nonne ipſe abſque ullo miraculo 90. præter propter, annos vivere ; primoque noſtram , deinde Athenienſem Eccleſiam regere potuerit?

DIS-

(a) Eſſæorum nomen θεωρητικὸν, ideſt *contemplationis ſtudioſum* ſignificare quidam arbitrantur Illi triplici regula vitam tranſigebant, nempe amore in Deum ardentiſſimo, virtutis cultu diligentiſſimo, charitate in Proximum ferventiſſima.

DISSERTATIO
DECIMA SEPTIMA.

D. Trophimum relictum fuiſſe ab Apoſtolo in Melita ægrotantem.

§. I. Quin Trophimus in Inſula noſtra ægrotans a Paulo fuerit relictus, dubitandi anſam quibuſdam Scriptoribus præbuit, quod locus, in quo illum reliquerat Apoſtolus, *Mileti* nomine ab iſto indigitatur. *Trophimum* (inquit) *reliqui Mileti ægrotantem*. Id nominis haud bene Inſulæ noſtræ congruere putans Cæſar Baronius, & tamen agnoſcens, nullibi potius, quam heic relictum a Paulo ægrotum Sodalem, non quidem *Mileti*, ſed Melitæ vocabulum ibi legendum eſſe cenſuit. Nimirum ſapientiſſimus iſte Scriptor compertum non habuit, quod *Mileti* nomen huic Inſulæ optime conveniat. Itaque ſi hoc planum faciam, magis ac magis noſtræ de Trophimo heic relicto ſententiæ veritas elucescet: nobiſque conſentient vel ii, qui ad aliter ſentiendum ab ejuſmodi nomenclationis ambiguitate inducti ſunt. Quamobrem id primo paucis expediam; deinde alias Antagoniſtæ noſtri objectiones diluere conabor. 2. Timoth. c. 4. 20.

§. II. Inter plura nomina, quibus inſignita eſt Inſula noſtra, penes graviſſimos, & antiquos Scriptores iſta quoque recenſentur, videlicet *Miletus*, *Mileta*, & *Miletina*. Quocirca noſter Hieronymus Manduca ita ratiocinatus eſt: *Dicendum eſt Mileti nomen etiam Inſulæ ac civitati Melitæ convenire. Sic Beda eruditiſſimus Scriptor in Martyrologio ſuo ad diem 15. Kal. Febr S. Publium hoſpitem D. Pauli, laudatum a B. Luca, Principem vocat inſulæ Mileti: & ante Bedam S. Gregorius in epiſtol. 62. lib. 7. Lucillum Miletinæ civitatis Epiſcopum vocat, ſcribens Johanni Epiſcopo Syracuſano, Sedis Apoſtolicæ Delegato; quem Lucillum in epiſt. 30. lib. 2. vocat Epiſcopum de Melita &c. Lectioni Bedæ, ac S. Gregorii, Miletum,* In Hiſt. MS. S. Publ. c. 6.

ac

ac Miletinam uſurpantium loco Melitæ, accedit Ado (a) Trevirenſis in Martyrol. ad diem vigeſimum primum Januarii. Apud Athenas (inquit) Natalis S. Publii Athenarum Epiſcopi, qui Princeps inſulæ Mileti, vel Miletinæ, & reliqua. Certe apud D. Gregorium Miletinæ civitatis nomine, cujus Epiſcopus Lucillus fuiſſe legitur in epiſt. illa 62. lib. 7. Metropolim ſignificari Melitenſis inſulæ declarat ipſemet Gregorius in Epiſt. 1. lib. 8. in qua eumdem Lucillum vocat Epiſcopum inſulæ Melitenſis. Ante ſacros Scriptores Bedam, Gregorium, & Adonem Lucretius Poeta lib. 4. veſtem Melitenſem (b) Mileſium vellus nuncupavit. Quamvis graviſſimi ſint, & cum doctrina, tum antiquitate venerabiles. Auctores a Manduca allegati; ipſorumque auctoritate ſatis ſuperque aſſertio noſtra confirmetur; nihilotamen minus in gratiam moroſiſſimi noſtri Antilegontis alium ego Scriptorem adducam, cui fidem præſtare ille non dedignabitur. *Is* eſt Gaufredus Malaterra, Monachus Benedictinus, qui *in Hiſt. Sic. lib. 4. cap. 16.* apud inclitos *Rer. Ital. Script.* Collectores *Tom. 5.* Inſulam noſtram *Miletum* appellat. *Sic pluribus* (inquit) *remeantibus pietate abeuntis deinde lacrymantibus* Comes (Rogerius in expeditione in Melitam) *naves ingreſſus buccinis ex ejus edicto crepitantibus, & diverſi generis Muſicæ artis pluribus, ut quiſque doctus erat, inſtrumentis modulantibus, ancboris extractis vela ventis plurimo apparatu committunt: auraque proſpera ſuffragante ſecundo die applicant apud MILETUM.* Neque te detineat, quod in *præcit. epiſt. ad Timotb.* id nomen in caſu, ut ajunt Grammatici, geniti vo poſitum ſit: namque veteres Scriptores Inſularum nomina, inſtar urbium, ejuſmodi declinare nonnumquam conſueverunt. Præter Varronem, Tullium, Saluſtium, Terentium, alioſque veteres, a nuperis hujus regulæ Propugnatoribus, Santium ſequentibus, allatos, unum ego adducam, ab illis minime obſervatum. Hic eſt diſertiſſimus Minucius Felix, qui in aureo ſuo Dialogo inquit: *Is itaque Saturnus Creta profugus Italiam metu filii ſævientis acceſſit........ Ejus filius Juppiter Cretæ excluſo Parente regnavit.* Niſi credere malimus, Apoſtolum Mileti nomine indicare voluiſſe antiquam noſtram Cicer. Verr. 6.

(a) Viennenſis; licet eum fuiſſe Trevirenſem Epiſcopum quidam minus caute aſſeruerint. (b) De veſtibus quidem ac telis Melitenſibus is loquitur, quas ab aliis antiquis Auctoribus celebratas alias oſtendi.

ſtram urbem illo ævo, ut alias ajebam, hujus Inſulæ cognominem, in qua vero ſimillimum eſt, illum reliquiſſe ægrotantem comitem, humaniſſimo noſtro Publio, in ipſa commoranti, jamque cathedram ſuam tenenti, proculdubio commendatum: haud ſecus enim præveneratus Gregorius *Miletinæ civitatis* Epiſcopum vocavit Lucillum, quem alias dixit *inſulæ Melitenſis* Antiſtitem: ita plane *Miletum* dixit Paulus, de ipſa civitate loquens; *Melitam* autem dixit Lucas, totam Inſulam indicans. Quid autem quod vetus *Actuum Apoſt.* codex Nicolai Zegeri vel *Miletam* pro *Melita* habebat, ut fatetur noſter Zoilus?

§. III. Neque vero ipſe inficiatur, indiſſolubilibus difficultatum laqueis eos irretiri, qui Trophimum in Mileto Ionica, vel Cretica ægrotantem a Paulo relictum opinantur. Quinimo is addit, *ſpecioſam*, & *plauſibilem* eſſe noſtram opinionem: at huic ſubſcribere moroſus noſter Criticus recuſat, ipſam fragili (a) fulcimento innixam eſſe contendens; propterea quod nos ſecundam ad Timotheum epiſtolam, in qua Trophimi ægroti in Melita relicti meminit Apoſtolus, ſcriptam ab iſto fuiſſe in primis vinculis arbitramur; quum tamen in ſecundis, ſcilicet poſt decennium, ſi ei credimus, exaratam fuiſſe conſtet. Id autem potiſſimum ipſe conjicit ex his Pauli verbis: *Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat*: queis Apoſtolum, inſtar Cycni, imminens lethum ſuum præciniſſe ille autumat. Sicuti ſenſere D. Hieronymus *de Script. Eccl. in Paulo*, D. Chryſoſtomus *Hom.* 1. *in Epiſt.* 2. *ad Tim.* Nicephorus *lib.* 2. *cap.* 34. Theodoretus *in* 2. *ad Timoth.* Anſelmus, Theophylactus, & alii apud Maſſutium: & ante omnes Euſebius, quem ceteri ſequuti ſunt. *Poſtquam* (inquit) *urbem Romam Paulus ſecundo advenerat, beato martyrio extremum vitæ diem obiturus, ſecundam texuit ad Timotheum epiſtolam, in qua migrationis ſuæ ex hac vita, quę e veſtigio ſequuta eſt, mentionem fecit.*

2. Timoth, c. 4.6.

Th. Maſsut. in Vit. S. Paul. lib. 12. c. 6. Euſeb. lib. 2. c. 21.

§. IV. Sed hujuſmodi conjectura, bona tantorum Scriptorum pace, non eſt adeo irrefragabilis, ut ei ſubſcribere neceſſario cogamur. Quandoquidem non abſimili loquendi modo uſus eſt idem Apoſtolus ad Philipenſes ſcribens: *Quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi: ſed & ſi immolor ſupra ſacrificium & obſequium fidei veſtrę, gau-*

Ad Phil. c. 2. v. 16.

(a) Cur ergo *ſpecioſam*, & *plauſibilem* ipſam dicit noſter Contradictor?

gaudeo. Quum tamen multo ante ſecundum carcerem hanc epiſtolam ab illo exaratam fuiſſe illi iidem fateantur, ut ſcite animadvertit prælaudatus Maſſutius. Porro in primis vinculis ſecundam ad Timotheum epiſtolam fuiſſe a Paulo

2 ad Timoth. c.4.v.17. datam, colligi poteſt ex ſequentibus ipſius verbis: *Dominus autem mibi adſtitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes: & liberatus ſum de ore Leonis*. Quæ ſane verba, niſi vis ipſis inferatur, ſecundo carceri aptari non poſſunt: ſiquidem poſt ſecunda vincula *non implevit prædicationem* in terra, ſed ejus mercedem reportavit in cœlis. Neque enim audiendi ſunt, qui reponunt, Apoſtolum *prædicationem impleviſſe martyrio ſuo*, quaſi quodam ſigillo, plenam illi fidem conciliante: namque Paulus aperte ſignificavit, qualis futura eſſet ſua prædicatio: quidpe Timotheum accerſens, hæc ipſi ſub-

2. ad Timoth. c.4.v.11. jungit: *Marcum aſſume, & adduc tecum: eſt enim mibi utilis in miniſterium*. Ecquod autem miniſterium hoc niſi *Prædicationis?* Anne Apoſtolus Marco opus habebat, ut ſibi ad bene moriendum opem ferret? Profecto doctiſſi-

Menoch. in eum loc. mus Menochius, *in miniſterium* expoſuit *Evangelii*.

§. V. Tale autem fuiſſe id miniſterium etiam atque et-

c. 4. v. 13. iam perſpicitur ex his aliis ejuſdem epiſtolæ verbis: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas*. Quod ſi enim Apoſtolus, quum hæc ſcriberet, in eo erat ut brevi moreretur; quidei, quæſo, opus erat *Penula* (a) ideſt pallio ſeu veſte exteriori ad frigus arcendum? Næ prudentiſſimus Gentium Doctor propediem, ut Adverſariis placet, ad cœlos evolaturus non erat; ubi neque unquam frigus, neque importunus calor, ſed ver ſempiternum, ac beata temperies. Porro mihi non arridet eorum ſententia, qui per *Penulam* a Paulo ſenatoriam veſtem indicari putant. Quid enim humillimo, ac vincto Apoſtolo cum adeo ſplendido tegumento? Neque eorum ſententiæ calculum adjicio, qui *Penulæ* nomine Sacrorum Bibliorum volumen intelligi malunt: namque & hoc nitidis librorum ac membranarum vocabulis comprehenditur. Attamen demus, quod ejuſmodi nomenclatione ſacrum illum Codicem, quo uti meditabatur prædicaturus Apoſtolus, indigitare ipſe voluerit, ut

qui-

(a) Penula veſtis extima, Belgis *Palandrap*, Melitenſibus autem, ultima *litera* mutata, *Palandran* dicta.

quibuſdam placet; nihilo tamen ſecius contendere jure merito poſſumus, illum eos codices a Timotheo petiiſſe in primis vinculis: ſiquidem ipſos paullo ante apud Carpum hoſpitem ſuum Troade reliquerat, ut infra diſſeram. Anne credibile eſt, accuratiſſimum Gentium Doctorem volumina adeo ſibi neceſſaria per totos 15. annos Troade relinquere voluiſſe? Præterea quid libris ac membranis opus erat Apoſtolo, jamjam martyrium ſubituro? Inſuper ſi tunc ipſe, ut volunt præmemorati noſtri contradictores, *prędicationem* ſanguinis ſui effuſione, tamquam ſigillo quodam, *erat impleturus*; quis, amabo, uſus ejuſmodi ſcripta expoſcebat?

§. VI. Enimvero arguta magis, quam urgens (uti ſeverioris Minervæ Lector dijudicare poterit) eſt eruditiſſimi Jacobi Tirini conjectura; qui Paulum ejuſmodi codices efflagitaſſe autumat; propterea quod ille *otium oderat*, *& ſtudio S. Scripturę etiam immori volebat, memor dicti Solonis, tamdiu diſcendum nobis eſſe, quamdiu vivitur*. Etenim illos, ut vidimus, poſcebat Apoſtolus, ut *prędicationem*, ſecundum Dei monitum, *impleret*, in cujus quidem miniſterium expetebat Marcum, quem in epiſtola ad Coloſſenſes, anno ſubſequenti, ut evincit Maſſutius, exarata, *Adjutorem* ſuum appellat. *Salutat vos Marcus conſobrinus Barnabę, de quo accepiſtis mandata, & Juſtus, qui ſunt adjutores mei*. Atque en magis, magiſque elucidatum, quale miniſterium eſſet, in quod utilem ſibi fore Marcum in ſecunda iſta ad Timotheum epiſtola ille aſſerebat.

§. VII. Mirum autem videri nemini debet, quod Apoſtolus in hac eadem epiſtola reſolutionis ſuæ tempus inſtare dixerit; quum tamen poſt novennium, aut decennium beatiſſima ipſius anima corporeis vinculis ſoluta in Cœlum evolaverit. Namque Apoſtolis, viriſque ad æternam felicitatem adſpirantibus, nedum decennium, ſed & longiſſimum humanæ vitæ ſpatium, breve & momentaneum videtur. Et quidem ipſemet Paulus ad Hebræos ſcribens, poſt *modicum* & perbreve temporis intervallum æterni Judicis adventum futurum eſſe prænunciavit: *Adbuc modicum aliquantulumque, qui venturus eſt, veniet, & non tardabit*. Ad Hebr. 10. 37.
Quocirca etiam audiendus eſt Eminentiſſimus Baronius, qui Gentium Doctori viſum eſſe imminens martyrii ſui tem-

 pus,

pus, arbitratur; propterea quod ipſum ſub eodem Imperatore, ſub quo detinebatur in vinculis, eſſet ſubiturus; ſatiſque breve ac momentaneum ipſi videri potuiſſe reliquum ſuæ vitæ ſpatium, nempe decennium, ob rationem ſupra allatam. Neque autem nobis deſunt alia argumenta; quæ tamen in gratiam brevitatis miſſa facimus: ſi quis vero ea tenere cupiat, prælaudatum Maſutium conſulat, qui hanc quæſtionem fuſe pertractat.

Maſſut. in Vit. S. Paul l. 12. c. 6.

§. VIII Sed inſurgit Adverſarius, atque ita ratiocinatur: *In eadem epiſtola cap.* 4. queritur Apoſtolus, neminem ſibi in prima ſua defenſione adfuiſſe, & ab omnibus derelictum eſſe, ſolo ſecum perſeverante Luca. Atqui in primo carcere id evenire non potuit: *nam ubi illi humaniſſimi Romani Fratres*, qui Paulo Urbem adventanti obviam ivere *uſque ad Forum Appii, & Tres-Tabernas? Ubi Ariſtarchus, ubi Epaphras, quos in literis ſuis concaptivos vocat?* Secundam igitur ad Timotheum epiſtolam in ſecundo carcere Paulus exaravit. Hujuſmodi argumento reponimus quod in primis vinculis deſertum ab omnibus fuiſſe Apoſtolum exiſtimant vel qui hanc epiſtolam in ſecundo carcere ſcriptam arbitrantur. *In prima mea defenſione* (ita exponit hunc locum Tirinus) *cum ante novennium* (a) *primo vinctus Jeroſolymis Romam miſſus eſſem, nemo mihi affuit apud Neronem, præter Deum, meis omnibus metu detentis.* Ut autem a Fratribus ſeu Chriſtianis ſeſe derelictum oſtenderet Apoſtolus, ſtatim ſubjunxit: *non illis imputetur*. Epaphræ autem & Ariſtarchi ipſe meminit *in Epiſt. ad Coloſſ. & ad Philem.* quas quidem epiſtolas poſt ſecundam ad Timotheum ſcriptas ab ipſo fuiſſe infra videbimus. Sed inquiet Adverſarius: Epaphram & Ariſtarchum concaptivos ſuos *(b)* in ſecunda ad Timotheum ſilentio involvit Gentium Doctor. Fatemur. Hanc igitur epiſtolam in primo carcere nequaquam exaravit. Inficiamur. Equidem hujuſmodi argumento evincam, ipſum haud in ſecundis vinculis eamdem ſcripſiſſe: namque tunc temporis, non Epaphram, aut Ariſtarchum, ſed Apoſtolorum Principem & Collegam ſuum Petrum in uno eodemque carcere Mamertino concaptivum habe-

(a) Ergo-ne poſt Novennium Timotheum certiorem de iis fecerit Apoſtolus, quæ in primo carcere ſibi evenerint? Non eſt vero ſimile.

(b) Paulus *in Epiſt. ad Philem.* Ariſtarchum vocat *ſuum Adjutorem*; quem *in Epiſt. ad Coloſſ.* ipſe dicit *concaptivum*.

habebat: ſed hujus magni ac merito memorandi Apoſtoli nullam mentionem *in ſecunda ad Timoth.* ille facit. Hanc igitur in ſecundis vinculis minime conſcripſit. Præterquam quod Lucam in ſecundo carcere Paulo adfuiſſe, haud ſatis exploratum eſt: in primis autem vinculis ſeſe fuiſſe illius comitem ipſemet Evangeliſta ſignificat.

§. IX. Attamen reclamat Antagoniſta noſter, producens hæc alia Pauli verba: *Scis hoc quod averſi ſunt omnes, qui in Aſia ſunt?* Hæc ab Apoſtolo non ſine aliqua exaggeratione dicta ille fatetur; ea tamen in primis vinculis ab ipſo vere pronunciari potuiſſe inficiatur; propterea quod Aſiani non multo ante (*Act.* 20. 37.) *procumbentes ſuper collum Pauli, oſculabantur eum, dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non eſſent viſuri.* Verum Adverſarius aquam, ut ajunt, in mortario tundit: quippe humanarum rerum vices, atque hominum inconſtantiam non animadvertit. Nonne quidem Lyſtris eidem Paulo ac Barnabæ, tamquam Mercurio, & Jovi, ſacrificare volebant, & paullo poſt *lapidantes Paulum traxerunt extra civitatem, exiſtimantes eum mortuum eſſe.* Nonne & Barbari illi Meliteuſes, qui eumdem Apoſtolum huc naufragio ejectum exceperunt, ipſum modo homicidam, modo Deum exiſtimarunt? Nonne Judæi, qui ſalutis noſtræ reparatorem crucifixerunt, paullo ante, quum ipſe Jeroſolymam introiret; *acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviam ei, & clamabant: Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael?* Quid ergo mirum, ſi Aſiani illi ab Apoſtolo averſi fuerunt? Præſertim quod ipſe loqui non intellexerit de omnibus Aſianis, ſed de Phigello ac Hermogene, aliiſque ſimilibus, qui, ut ait Tirinus in eum locum, *ſimulaverant amicitiam cum Apoſtolo, ut ſecreta ejus penitus excuterent, ſed cum ſentirent ſe detectos, ab eo receſſerunt.* Niſi aſſentiri malimus D. Chryſoſtomi expoſitioni, qui cenſet, Apoſtolum eſſe loquutum de Aſianis, qui per id tempus Romæ verſabantur complures; & quum noviſſent, ipſum in vinculis eſſe detentum, coramque Nerone ſiſtendum, averſari eumdem cœperunt. *Itaque quod ait: averſi ſunt a me omnes qui in Aſia, perinde eſt Hebraica phraſi, atque ex Aſia, & omnes, ideſt fere omnes: unde ſubdit exceptionem dicens: Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui.*

2. ad Timoth. c. 1. v. 15.

Act. 14. 18.

Joh. 12. 13.

Th. Maſſut. in Vit. S. Paul. lib. 12. cap. 2.

§. X. Haud valde abſimilis tenoris eſt hoc aliud Critici noſtri argumentum: Ex Pauli epiſtolis (ille ait) ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Philemonem, atque ex altera ad Theſſalonicenſes, conſtat, Timotheum diutius Romæ Apoſtolo convixiſſe: Si ergo Gentium Doctor, Jeroſolymis Romam contendens, Trophimum, *celebrem diſcipulum atque Epheſium*, ægrotantem in Melita reliquiſſet, hoc plane Timotheo in tam diutino convictu ſignificaſſet; nec erat neceſſum poſt tantum temporis intervallum de hac re certiorem ipſum facere per epiſtolam. Porro Adverſarius, ut Diogenis adagio utar, aliena jacit: quippe vel hinc elici poteſt, ſecundam ad Timotheum epiſtolam non fuiſſe in ſecundis vinculis a Paulo exaratam. Si enim juxta illius hypotheſim, graviumque Scriptorum ſententiam Apoſtolus in illo itinere Trophimum Mileti ægrotum reliquit; idque per epiſtolam Timotheo ſignificare voluit; hanc epiſtolam ſcripſiſſe dicendus ille eſt, antequam Timotheo tamdiu Romæ convixerit, videlicet in primo carcere. Idcirco prudentius ratiocinatur Hier. Mand. Hiſt. MS. c. 6. noſter Manduca. *Quod vero Trophimus* (inquit) *recedente ad Urbem Paulo poſt naufragium in Melita remanſerit, recte deducit Cardinalis Baronius in An. Domini 59. ex poſtremis verbis ſecundæ epiſtolæ ad Timotheum: Trophimum infirmum reliqui Mileti. Paulus enim Act. Apoſt. cap. 20. v. 17. a Mileto recedens, Trophimo proſequente, Jeroſolymam pervenit Act. cap. 21. v. 29. Inde vinctus in carcerem, e carcere ad Neronem miſſus eſt. Nec alios diſcipulos decebat magis quam Trophimum Paulo in vinculis miniſtrare, cujus occaſione excitata fuit Jeroſolymis Judæorum ſeditio adverſus Paulum, quaſi Trophimum Epheſinum Gentilem in Templum induxiſſet. Cum igitur ex Judæa Romam diſcedens Paulus Miletum non attigerit, ac ſupervacaneum eſſet Timotheo Epheſino Epiſcopo ſignificare poſt triennium (a) fere Trophimum Mileti relictum, cum viginti fere milliaribus inter ſe diſtent Epheſus, & Miletus; prudenter colligit Cardinalis Baronius Mileti nomine Melitam intelligendam, ubi ſtationem hybernam Paulus habuerat.*

§. XI. Sed examinemus aliam Adverſarii difficultatem, quam ipſe tamquam Achilleum argumentum objicit. In ſecunda ad Timotheum epiſtola Paulus inquit: *Demas me deſeruit*,

(a) Quanto magis ſupervacaneum eſſet poſt novennium, aut decennium, quum nempe in ſecundis vinculis detineretur Apoſtolus, id Timotheo enunciare?

ſeruit, diligens præſens ſæculum: Atqui hunc Apoſtolicæ militiæ transfugam uti ſuum adhuc fidelem ſodalem ipſe commemorat *in Epiſt. ad Coloſſ. & ad Philem.* Secundam igitur ad Timotheum poſt reliquas epiſtolas exaravit Apoſtolus. *Nego conſequentiam R. P.* namque ex præmiſſis minus recte infertur ejuſmodi concluſio. Nimirum vero ſimilius eſt, Demam deſeruiſſe Apoſtolum, antequam ſecundam ad Timotheum ſcriberet; deinde autem ſeſe rurſus ipſi addixiſſe, antequam epiſtolas *ad Coloſſ. & ad Philem.* ille mitteret. Et quidem has fuiſſe conſcriptas poſt illam vel ex Demæ abſceſſione conjicit Maſſutius. *Octava conjectura* (ipſe inquit, argumenta nobis ſuffragantia recenſens:) *Demas, inquit Paulus 2. ad Timoth. c.4. v.9. me reliquit diligens hoc ſæculum, & abiit Theſſalonicam. At hic Demas ad ſeniorem mentem rediit, & Apoſtolo deinde cum aliis fratribus in vinculis miniſtravit, ubi poſt aliquod tempus Urbem repetiiſſet, ut ex epiſt. ad Coloſſ. (c.4. v. 14.) & ad Philem. (v. 24.) ſcriptis anno ſequenti exponetur*. Quam quidem expoſitionem, rationi conſonam, ne prolixior ſim, miſſam facio: eam vero eruditus Lector accipere poterit ab eodem Scriptore, *lib. 12. cap. 10. & ſeqq.* Th. Maſſut. in Vit. S. Paul. l. 12. c. 6.

§. XII. Riſum vero mihi excitat Adverſarius, quum ſententiam noſtram impugnare conetur ſequenti animadverſione. *Quin & tribus vicibus* (inquit) *ſpatio minus quam biennii, Roma in Aſiam miſſum a Paulo Tychicum haberemus: quod veriſimile non videtur in tam longo & periculoſo itinere. Primo enim mittitur in Aſiam Tychicus cum epiſtola ad Epheſios, Paulo utique in primis vinculis morante, ſed abſente Timotheo. Deinde cum epiſtolis ad Coloſſenſes & ad Philemonem, Timotheo præſente, qui & ipſis inſcribitur. Tertio item Epheſum, ut ex hac altera ad Timoth. patet cap. 4. 12. Tichicum autem miſi Epheſum*. Enimvero mirus iſte rerum conduplicator in duobus videt tria. Nempe ab iſtis Pauli verbis perperam is elicit, Tychicum bis fuiſſe ab ipſo miſſum Epheſum; quandoquidem Apoſtolus nonniſi de unico illius ad eam urbem itinere ibi loquitur, ſcilicet de illo eodem, quo ad Epheſios epiſtolam ille ferebat, inſimulque ſecundam iſtam ad Timotheum, utramque in primo carcere exaratam. Siquidem ille ſcripſit Timotheo, ſeſe Tychicum miſiſſe Epheſum, non quod Timotheus id ignoraret, ſed ut iſti ſignificaret, quantum ſibi neceſſarius erat feſtinus ipſius acceſſus: quum Roma abeſſent

omnes

omnes alii Evangelicæ Prædicationis miniſtri, demto uno Luca, ut nitide perſpicitur ex ipſius verborum contextu, quem ſane totum expendere ac proferre oportebat. *Feſtina ad me venire cito. Demas enim me reliquit, diligens hoc ſæculum, & abiit Theſſalonicam: Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas eſt mecum ſolus. Marcum aſſume, & adduc tecum: eſt enim mihi utilis in miniſterium. Tychicum autem miſi Epheſum*: nempe ut tuas vices ſuppleret, quum ex iſta urbe, ad me veniens, abfueris. Sed quoniam de ejuſmodi itineris difficultate ac periculis incidit ſermo; hinc ſolidiorem conjecturam in Adverſarium elicio. Quidpe in controverſa ad Timotheum epiſtola, ut vidimus, hunc accerſit Apoſtolus, monetque cito accedere: quantacumque autem feſtinatione iter iſtud fecerit Timotheus, nonniſi poſt plurium menſium curriculum a die conſcriptæ a Paulo epiſtolæ Urbem pervenire potuerit. Primo enim Pauli Nuncius Roma in Aſiam, deinde Timotheus ex Aſia Romam, nonniſi expectata, & nacta idonea navi, idem iter emenſura, contendere debuerit. Qui autem, amabo, id fieri poterat in ſecundo Apoſtoli carcere, in quem ubi fuit detruſus, poſt modicum tempus martyrio vitam coronavit. In adeo anguſto (*a*) temporis intervallo qui prudentiſſimus Apoſtolus Timotheo juſſiſſet, ut ad ſe veniret? Nonne ille noverat, ſicut Criticus noſter, quam *longo & periculoſo itinere* Roma diſtaret Epheſus? Propterea fateri oportet, Gentium Doctorem ſecundo ad Timotheum ſcripſiſſe, Romamque ipſum ex Aſia accerſiſſe, quum in primo carcere per totum biennium fuerit detentus: tunc enim ipſe Timotheum accerſere, atque iſte Epheſo Romam accedere, ſecumque Marcum adducere, peropportuno tempore poterat; ut ei opem ferret in Evangelico miniſterio.

2. ad Timoth. c. 4. v. 8. 9. & ſeqq.

§. XIII. Nos quidem Adverſarii difficultates, niſi me fallit animus, expedivimus; aſt ipſe rationes haud facile refellet, quibus ſententia noſtra fulcitur. Etenim præter expoſita ſuccurrunt nobis alia argumenta, quorum nonnulla tantum proferam, ne multus ſim. Primum eſto. Secundam ad Timotheum ſcripſiſſe Paulum, quum hic licet in vin-

(a) Tempus quo in ſecundo carcere fuit detentus Apoſtolus, perbreve fuiſse quidam autumant; licet alii illud protrahant, producantque. Nam tamen multo minus id fuit tempore, quo fuerat primis vinculis obſtrictus.

vinculis detineretur, tamen Dei verbum libere annunciare poſſet; ex ipſis Apoſtoli verbis elici poteſt. *In quo* (Evangelio) *laboro uſque ad vincula, quaſi male operans, ſed verbum Dei non eſt alligatum*. Atqui iſtam prædicandi libertatem Paulum habuiſſe conſtat in primis vinculis, quum maneret, teſtante Luca, *in ſuo conducto, prædicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Jeſu Chriſto cum omni fiducia, ſine prohibitione*. In ſecundo autem carcere illum fuiſſe arcte clauſum conſtat; itaque miniſterium ſuum libere exercere minime valebat. Ergo &c.

2. ad Timoth. c. 2. v. 9.

Act. 28. v. ult.

§. XIV. II. Ante ſecunda vincula, Timotheum Romæ cum Gentium Doctore diutius commoratum eſſe liquet; ideoque neceſſum haud erat, ut Apoſtolus propediem Martyrium ſubiturus, eum ex tam longinqua regione ad ſe accerſeret; præſertim quod ipſum inſtituerat in Epheſiorum Epiſcopum, ut paullo infra exponemus, circa Annum 54. (a). Itaque non ſine urgentiſſima neceſſitate commiſſum ſibi gregem deſerere, Urbemque adeo remotam adire debebat. Neque enim audiendus eſt Adverſarius, quum afferat, Timotheum licet plurimum Epheſi commorari conſuetum, tamen ſæpe ad annunciandum Dei verbum longinquas peragraſſe regiones, ad ſedem ſuam rediturum. Nam is Epheſi morabatur, quum Paulus ei ſcriberet: ibique morari neceſſarium ei fuiſſe, vel ex eo colligitur, quod Apoſtolus illinc amovere ipſum noluerit, niſi antea miſſo Tychico, ut ejus vices ſuppleret. Neque ea Pauli verba: *Opus fac evangelizantis*; ipſum impellebant ad longe lateque excurrendum: ſiquidem & ipſis Epheſinis, qui nondum Chriſti Fidei fuerant addicti, evangelizare eum oportebat. Nimirum plureis Idolatras Epheſi permanſiſſe vel ex eo perſpicitur, quod celeberrimum Dianæ Fanum in iſta urbe perduraverit ad uſque Gallieni Imperium, ut in *ſequenti Diſſert.* §. 2. oſtendam.

§. XV. III. Paulus Timotheo mandat, ut feſtinet ad ſe *ante hyemem venire*; ideſt Autumni tempore: hæc enim anni ætas hyemem antecedit. Unde perſpicitur, hæc Paulum ſcripſiſſe abeunte vere, aut ſaltem æſtatis initio: hujuſmo-

(a) Ejuſmodi ordinationem fuiſſe peractam, regnante Nerone, reſque Aſiæ procurante Maximo, tradit Policrates Epheſinus Epiſcopus. Neronem autem Imperium eſse aſsequutum Anno 54. quidam autumant, ut in *ſuperiori Diſſert.* §. 4. ajebam; contra quam ſentiunt alii a nobis ibidem allegati.

juſmodi enim opportunum, commodumque temporis ſpatium Timotheo is adſignabat, ut *longum ac periculoſum*, ut ſupra exponebamus, Epheſo Romam iter perficeret. Apoſtolum autem æſtatis exordio, nempe die 29. Junii, Martyrium ſubiiſſe conſtat, ſecundum ſententiam Eccleſiæ Romanæ receptam. Quo igitur pacto fieri poteſt, ut prudentiſſimus Gentium Doctor, in ſecundo carcere, quum glorioſum pro Chriſti Fide certamen eſſet propediem initurus, prædilectum ſibi Timotheum ex adeo longinqua regione accierit, Urbem, non ante autumnum, adventurum? Quid tum, amabo, Paulo jam cœli incolæ opus fuiſſet Timotheo Romam incolente? Anne a pio iſto Diſcipulo ſera in Urbe parentalia ille efflagitabat? Nonne advertis, id non in ſecundis, ſed in primis vinculis Paulum Timotheo ſcripſiſſe?

§. XVI. IV. In controverſa epiſtola Paulus imponit Timotheo, ut ſibi afferret *penulam*, quam Troade penes Carpum hoſpitem ſuum reliquerat. Troadem vero Apoſtolus acceſſit præter propter quadriennium antequam Jeroſolymam, & inde Romam ipſe contendit, ut *ex Act. Apoſt.* conſtat. Ex hoc autem poſtremo itinere, uſque ad ſecundum ipſius carcerem interceſſerunt complures anni, nempe totum decennium. Unde ſatis perſpicitur, quam minus vero ſimile ſit, Gentium Doctorem poſt tantum temporis intervallum repetere voluiſſe cum *penulam* iſtam, tum libros ac membranas, adeo ſibi neceſſaria, ut inferunt Contradictores noſtri, qui ſecundo ad Timotheum in ſecundis vinculis eum ſcripſiſſe opinantur.

§. XVII. V. In *cap.* 4. *ejuſdem Epiſtolæ* Paulus ſcribit ſe reliquiſſe Eraſtum Corinthi: hic autem Eraſtus, quem ipſe *ad Rom. c.* 16. vocat *Arcarium*, ſive Oeconomum Corinthiorum, fuerat antea, per Macedoniæ Eccleſias, ab ipſo præmiſſus, & Corinthi relictus, quum Apoſtolus illinc diſcederet Jeroſolymam, indeque Romam cogitaret. *His autem expletis* (inquit Lucas) *propoſuit Paulus in Spiritu, tranſita Macedonia, & Achaja, ire Jeroſolymam dicens: quoniam fuero ibi, oportet me & Romam videre. Mittens autem in Macedoniam duos ex miniſtrantibus ſibi, Timotheum, & Eraſtum, ipſe remanſit ad tempus in Aſia*. Timotheum autem Epheſi reliquit, inſtitutum in iſtius urbis Epiſcopum, ubi etiam reliquit Priſcillam & Aquilam, itineris

neris ſui uſque ad eam urbem comites, quarum mentionem facit Apoſtolus *in ead. Epiſt.* 2. *ad Timoth. Saluta* (inquit) *Priſcillam & Aquilam*. Quis itaque ſibi ſuadere poterit, Gentium Doctorem ea nunciare Timotheo voluiſſe poſt tantum temporis lapſum, nempe poſt 14. præter propter annos, quum in ſecundo carcere detineretur?

§. XVIII. VI. Trophimus circa annum 69. Arelate verſabatur: ſiquidem eo anno, juxta multorum opinionem, fuit in ejuſdem urbis Epiſcopum inſtitutus. Ni ſubſcribere velimus Hieronymi Manducæ ſententiæ, qui iſtius inaugurationem conſignat quinquennio poſt Meliteuſe Pauli naufragium; videlicet in anno 64. Arelatenſem vero Eccleſiam ille rexit annos 13. ut auctor eſt Melchior Inchoffer; ibique ſanctiſſimam vitam terminavit, ut habet Martyrologium Romanum ad 4. Kal. Jan. utque tradit Arelatenſis Eccleſia in illius *Officio*, ut vocant, *proprio lect.* 6. tumulatus fuit in Templo quod in Deiparæ Virginis honorem Deo ipſe dicaverat. Propterea credere oportet, ipſum fuiſſe a Paulo relictum Mileti ægrotantem anno 59. quum ſcilicet Miletum noſtram poſt paſſum naufragium, incoleret. Siquidem in ſecundis Pauli vinculis, ſecundum utramque ſententiam, ſupra expoſitam, Mileta cum Ionica, tum Cretica, & Melitenſi, ille procul agens, Arelatenſem moderabatur Eccleſiam. Melch. Inchof in Manuſſ. n. 9.

§. XIX. Recte igitur ſapienterque ſecundam ad Timotheum epiſtolam, in qua Trophimi relicti Mileti ægrotantis meminit Apoſtolus; in primo carcere fuiſſe ab ipſo exaratam arbitrantur Cl. Viri, Baronius, Eſtius, Salmeron, Juſtinus, Lintrenſis, Maſſutius, & alii. Mirari tamen ſatis haud poſſum, quod horum poſtremus, nempe Thomas Maſſutius, etſi hanc ſententiam valide propugnet, & Trophimum ab Apoſtolo e Paleſtina in Italiam navigante relictum fuiſſe Mileti ægrotantem fateatur; nihilotamen ſecius Miletum eam Creticam eſſe contendit: ſed meo judicio non æque robuſtis argumentis, atque iis, quibus ſecundo ad Timotheum in primis vinculis Apoſtolum ſcripſiſſe evincit. Nimirum ſic ipſe ratiocinatur: *Et mirum profecto, ſi ex navigatione infirmus per tres menſes, quibus in Melita inſula hyemarunt, non potuit convaleſcere, ut ibi fuerit relinquendus; cum tamen Mileti in Creta, ubi non poterant expectare, facile id potuerit evenire* &c. Sed unde ipſe collegit, Baron. ad an 59 Eſt. & Juſtin. in 2. ad Timoth. Salmer. tom. 15. diſp. 1. Lintrenſ. in Act. c. ult. Maſſut. in Vit. S. Paul. l. 12. c. 6. Th. Maſſut. in Vit. S. Paul. l. 12. c. 8.

Trophimum primis Melitenſis commorationis diebus morbo fuiſſe correptum, ita ut per totos tres menſes convaleſcere nequiviſſet? Quid ſi paucos dies ante Pauli ex hac Inſula diſceſſum is ægrotarit? Anne ipſum opperiri potuerit Apoſtolus, quem Julius Centurio navim Puteolos transfretantem nactus Romam adurgebat? Aſt ille reponit: Cur Paulus, qui omnes Inſulæ infirmos curavit, comitem ſuum ægrotantem ſanitati non reſtituit, ſed reliquit infirmum non ſine nullo apud Infideles Chriſtianæ Fidei detrimento? Quo-

D. Greg. l. 27. Moral. c. 11.

niam *Paulus veniens Melitam* (reſpondet pro me D. Gregorius) *& plenam Infidelibus Inſulam ſciens, Patrem Publii dyſenteria, febribuſque vexatum, prædicando ſalvavit; & tamen Timotheo præcipit dicens: modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Quid eſt Paule, quod ægrum infidelem ad ſalutem revocas, & tantum adjutorem Evangelii more Medici, per alimenta curas? Niſi quod idcirco fiunt exteriora miracula, ut mentes ad interiora perducantur: quatenus per hoc quod viſibiliter oſtenditur, ea quæ admirabiliora ſunt, inviſibilia credantur. Signo quippe virtutis Pater Publii ſanandus fuerat, ut mente reviviſceret, dum miraculo ad ſalutem rediret. Timotheo adhibendum foris miraculum non erat, qui jam totus intus vivebat.*

D. Chryſoſt. Hom. 1. ad Pop.

Aliam vero rationem affert Chryſoſtomus, de Timotheo loquens, nempe, Divina faciente Providentia, viros ſanctimonia inſignes infirmari aſſerit, ut humilitatem, aliaſque virtutes ediſcant. *Ut ſciamus* (inquit) *quod infirmitates ſunt materia humilitatis, patientiæ, & fortitudinis..*

§. XX. Præterquamquod Maſſutius allegat Græcum Bibliorum Codicem, necnon Verſionem Syriacam, atque Vulgatam editionem Xyſti V. & Clementis VIII. juſſu emendatam, in quibus omnibus *Mileti*, non *Melitæ* vocabulum habetur: exindeque infert, Miletum a Paulo memoratam pro Inſula noſtra uſurpari non poſſe. Nimirum illius diligentiam fugerit, quod *Mileti* nomen Inſulæ noſtræ, antiquiſſimoque hujus opido competat, ut in §. 2. evici. Et quidem Apoſtolus Timotheo indicare voluit veterem noſtram urbem, quam Publius incolebat, factuſque Epiſcopus ut Sedem ſuam habuit, prout eam habuere iſtius Succeſſores uſque in præſens ævum. Enimvero Sodalem illum ægrotantem, cuinam melius, quam humaniſſimo iſti Hoſpiti commendare diſcedens poterat Apoſtolus? Equidem ipſe,

ut

ut diſtincte ſignificaret, ſe in hac urbe Trophimum reliquiſſe, non dixit: *Trophimum reliqui in Melita*; quo vocabulo uſus eſt Lucas, quum hanc Inſulam indicare vellet; ſed inquit: reliqui *Mileti;* quæ ſane nomenclatio licet toti Inſulæ congruat, tamen peculiarior eſt Opido. Reapſe Magnus, quem ſupra allegavi, Gregorius civitatem noſtram vocat Miletinam, Inſulam vero Melitenſem. Inſuper ille non advertit, quod Cretica Inſula Μιλυτὸς *Milytus*, non *Miletus* ſcribebatur, atque teſte, quem Baronius allegat, Strabone ante Pauli ævum fuerat a Gnoſiis everſa, ac extincta.

Biron. ad An. 59.

Mirum tamen, quod Maſſutius Strabonem (*lib.*12.) & Homerum (2. *Iliad.*) ut pote iſtius urbis mentionem facientes advocet; quum tamen idem Geographorum Princeps Cretæ opida recenſens inquit: *Αἱ δὲ συγκαταλεχθεῖσαι πόλεις οὐκέτ᾽ εἰσὶ, Μιλυτός τε καὶ Λυκαστος: Urbes quæ ſimul recenſentur, Milytos, & Lycaſtos, non amplius ſunt*. Huc accedit quod Milytus iſta in partibus Cretæ Septentrionalibus ſita erat, ut videre eſt in Tabulis Geographicis. Ejuſmodi autem loca pertranſiſſe Apoſtoli navigium nequaquam tradit Lucas.

§ XXI. Tot plane tantiſque difficultatibus obnoxiæ ſunt eorum opiniones, qui vel in Cretica, vel in Ionica Mileto Trophimum ægrotaſſe autumant, ut ipſe Adverſator (licet eas omnes, uti nos fecimus, ille non attigerit) multis difficultatum nodis implicari eos fatetur. *Sunt qui hic* (inquit) *Miletum Ionicam, ſunt qui Creticam intelligant: ſed utrobique ineluctabiles nodi*.

Inſp. 7. Diatr. 7. § 2.

Si ergo utrobique ineluctabiles difficultates; noſtra vero ſententia, & ipſo fatente, *ſpecioſa & plauſibilis*, imo & difficultatibus, ab eodem propoſitis, expedita; quis cordatus inficiabitur, Trophimum fuiſſe in Inſula noſtra relictum a Paulo ægrotantem? Haud equidem eunt inficias ſapientiſſimi Viri, Cæſar Baronius, Guilelmus Eſtius, Horatius Scoglius, Bartholomæus Gavantus, Sigiſmundus Laurentius, Joh. Franciſcus Abela, & alii.

Eſtius in 2. ad Timoth. Scoglius Hiſt. Eccl. lib 1. ad An. 58. Gavant. & Laurent. in Vit. S. Paul. Grotius in 2 ad Timoth. c. 4.

Quid quod Arabicus Interpres heic eamdem nomenclationem adhibet, qua Inſulam Pauli naufragio inſignitam nuncupat, ut animadvertit Achatholicorum eruditiſſimus Hugo Grotius: Ἐν Μιλήτῳ: *Mileti*: (is inquit) *omnino legendum cenſeo* ἐν Μελίτῃ: *in Melita; nam & Arabs hic eam vocem habet qua Melitem appellat Act.* 28 Nimirum ita loquitur Grotius, quoniam & ipſe compertum non habuit, quod

vel Mileti nomen huic Inſulæ, maximeque ipſius Opido ab Antiquis tribuebatur. Attamen ſententiæ noſtræ ipſe ſubſcribit: qua igitur ratione non ſubſcribant, qui nonniſi ex iſtius nominis ambiguitate in aliam ſententiam abierunt. Hi quidem tacite nobis aſſentiuntur.

§. XXII. Itaque Zoilum noſtrum jam pudeat vanitatis inſimulare noſtram de Trophimo in hac Inſula ægrotante ſententiam; quæ non modo graviſſimis auctoritatibus, ac rationibus ſupra allatis, verum etiam Arclatenſis Eccleſiæ Traditioni conſonat. Nempe iſta in nocturnis horariis precibus ita canit: *Trophimus natione Aſiaticus, patria Epheſinus, S. Pauli Apoſtoli diſcipulus, una cum Luca, Ariſtarcho &c. ſequutus eſt eum in illa navigatione, qua vinctus a Feſto Judice Procuratore Romam ad Cæſarem miſſus eſt: verumtamen cum ægra valetudine correptus, illum Melitæ Paulus infirmum reliquit, cujus ad Timotheum ſcribens meminit*. Aſt hercle bilem mihi ſuſcitat petulantiſſimus noſter Criticus, quum afferat, falſam eſſe iſtam opinionem quoad Trophimi in Melita commorationem; veram tamen quoad Arelatenſem ipſius Epiſcopatum: Sed ira mihi concidit, quum cogitem, quod nonniſi hujuſmodi tergiverſationibus nobiſcum contendere ille valeat. Et quidem ille paſſim pro falſo habet quod ſibi repugnat; pro vero venditat quod ſibi opitulatur.

DIS-

DISSERTATIO

DECIMAOCTAVA.

Quam temere ſuſpicetur Adverſarius, Melitenſes Chriſtianæ Militiæ nomen ſero dediſſe.

§. I. UTut Antagoniſta noſter in omnibus fere ſuis Inſpectionibus Veritati parum conſona protulerit; ea tamen multifaria eruditione, veluti quadam bracteola, oblinivit: itaut incautis Lectoribus imponere potuerit, aurum, ut ajunt, ſubæratum ipſis venditans. In Diſceptatione autem, qua Melitam ſerius ad Chriſti Fidem perductam eſſe ille contendit, nedum falſa pronunciat, ſed etiam par ſibi non eſt: Nempe in antiquitatis eruditione hoſpes videtur. Nimirum ſeram Melitenſium converſionem eo potiſſimum argumento ſibi ſuadet, aliiſque ſuadere conatur; quod in hac Inſula uſque ad Claudii Ptolemæi ætatem celeberrima Junonis Herculiſque Fana viſebantur; atque Gaulitanus populus publicum monumentum Antonino Pio decreverit, ac poſuerit, eum *Divi* appellatione condecorans: In cujus rei confirmationem ex Quintino, Gualterio, & Grutero epigraphen ille producit, quam non in Melita, ut ipſe dictitat, ſed ad Gaulitani Opidi portam fuerat olim reperta, ut in *Melitæ Deſcriptione* exponebam. Sed quam flaccida ſint hujuſmodi argumenta jam ipſe percipiat.

§. II. Equidem in pluribus locis, in quibus non minus, quam in his Inſulis multi accolæ Chriſtianam Fidem profitebantur, non ſolum Antonino imperante, ſed & ſequioribus ſæculis Idolorum Delubra permanebant. Quis enim ignorat, plurimos Epheſios fuiſſe a Paulo ad Chriſtum perductos? Quidpe ipſis obtigit per binos annos, treſque menſes, ut ex *Act.* 19. conſtat, Apoſtolum prædicantem audire; itaut ipſorum ſortem exoptarit D. Ignatius Martyr, qui *in Ep.* ad Epheſios inquit: *Quam* (æternam vitam) *faxit Deus ut aſſequar, ut inveniar in ſorte Epheſiorum Chriſtianorum,*

rum, qui & cum Apoſtolis in virtute Jeſu Chriſti ſemper converſati ſunt, Paulo, Joanne, ac fideliſſimo Timotheo. Scio qui ſum & quibus ſcribo. Ego minimus Ignatius ſimilis iis qui periculo & judicio obnoxii ſunt: vos autem miſericordiam aſſecuti, firmati in Chriſto Jeſu. Et tamen in iſtorum urbe perdurabat celebratiſſimum illud Dianæ Epheſinæ Templum, quod ſane haud ante Gallieni imperium fuit demolitum, ut affirmat Baronius his verbis: *Conſtat integrum* (id Fanum) *permanſiſſe uſque ad Gallieni Imperatoris tempora, quando, ut auctor eſt Julius Capitolinus, a Gothis eſt expilatum & concrematum.*

Baron. ad An. 44.

§. III. In aliis autem urbibus jam Chriſto addictis perduravere Idolorum Delubra uſque ad Magni Conſtantini imperium, qui referente Euſebio Pamphilo *gentium ſuperſtitioſum errorem omnibus modis ſtudebat convincere. Itaque quorumdam in urbibus Fanorum veſtibula nudabantur, valvis juſſu Imperatoris orbata; aliorum tectum corrumpebatur, tegulis amotis. Nonnullorum veneranda ex ære ſimulacra, quæ error majorum multis jam annis magnifice jactabat, per fora urbis ab Imperatore cognominatæ omnium oculis ſubjecta ſunt. Adeo ut ad ludibrium & contumeliam ſpectantium paterent expoſiti, hic Pythius Apollo, illic Sminthius, & in ipſo quidem circo tripodes Delphici; Muſæ autem Heliconides in Palatio. Denique civitas illa Imperatorii cognominis, tota paſſim repleta eſt ſignis æneis, quæ eleganti opere elaborata, per ſingulas provincias olim dedicata fuerant* &c. De qua quidem Idolorum, Fanorumque demolitione loquens D. Auguſtinus; *videtis* (inquit) *Simulacrorum Templa partim ſine reparatione collapſa, partim diruta, partim clauſa, partim in uſus alios commutata, ipſaque ſimulacra vel confringi, vel incendi, vel excludi, vel deſtrui, atque ipſas poteſtates quæ aliquando pro ſimulacris populum Chriſtianum perſequebantur, victas & domitas.*

Euſeb. Pamph. in Vit. Conſtant. lib. 3. c. 54.

§. IV. Quid vero quod Romæ, Chriſtianarum urbium Principis, aduſque Bonifacii IV. Pontificatum perdurabat inſigne Pantheon (*a*), nempe omnium falſorum Numinum delubrum? Hoc ſane a Phoca Imperatore idem Summus Pontifex impetravit, ejectiſque Idolorum ſimulacris 4. Idus Maji Deo vivo ac vero in honorem Beatiſſimæ Virginis, omniumque SS. Martyrum conſecravit, ut referunt Ana-

ſta-

(a) Hodie *S. Maria della Rotonda.*

ſtaſius Bibliothecarius *in Epiſt. Coron. Caſinenſium* & Agnellus *in Vit. Pontif.* apud inclitos *Rer. Ital. Scriptor. Collectores Tom.* 2. Ergo-ne hinc elicias, Romanos non ante id tempus Chriſtianæ militiæ nomen dediſſe? Haud equidem ſi ſanus es. Unde jam potes advertere, quam ineptum ac fallax ſit Antilegontis noſtri argumentum.

§. V. Huc accedit, quod illo ævo Melitenſes parebant Romanis Imperatoribus Idolorum cultoribus: ideoque ipſis minime licebat præmemorata publica Delubra demoliri. Neque mirum videri hoc debet cuicumque veritatis ſtudium cordi eſt. Si enim ut modo aſſerebam Ethnica Delubra Romæ perſiſtebant aduſque ſeptimum ſæculum, nempe poſtquam tot Chriſtiani Imperatores in Romana Aula regnaverint, quid eſt in cauſſa cur quiſpiam miretur, quod in ſecundi ſæculi exordio, regnante Pagano Cæſare, Junonis atque Herculis Fana in hac Inſula permanebant? Præſertim quod iſta Delubra erant ſingulari ſpecie, miroque opere conſtructa; itaut eorum demolitio Romanorum heic dominantium animos valde exacerbare potuerit. Profecto licet hujuſmodi Templorum everſionem preconis voce, poſt duo ſæcula, ſancivit Conſtantinus Imperator; nihilominus in urbe Myra Dianæ Fanum, quod eſſet mirando artificio perfectum, evertere nemo audebat; unuſquiſque enim metuebat, ne aliquis in civitate, utut jampridem Chriſto addicta, tumultus fieret: donec D. Nicolaus ejuſdem urbis Epiſcopus, aliquot robuſtorum, ſtrenuorumque juvenum ope illud penitus diruiſſet, ut narrant ejus vitæ Scriptores. Nimirum adeo exquiſitæ artis opera ad ornatum publicum nonnihil conferre videbantur. *Unde* (inquit Philippus Bonannus) *Theodoſius Imperator impiiſſimum Idolorum cultum aboliturus anno* 395. *lege quadam, quæ habetur in Codice Theodoſiano ſub titulo de Pag. lib.* 16. *decrevit, ut Templa Idolorum, ſi quæ in agris eſſent, ſuis ædibus evellerentur. Idem confirmat Zoſimus lib.* 5. *pag.* 815. *Eruditiſſimus vero Gottofredus in Comment. lib.* 8. *ejuſdem tituli notat, Theodoſii magni mentem hanc fuiſſe, poſſe Religioni conſuli, ædificiis videlicet prohibitis, neque interea voluptatibus, atque ornatui publico quidquam detrahendum. Quoccirca ornatus publici tuendi argumento Gentiles, & in his Libanius hoc ipſo tempore Theodoſium dehortatus eſt a Templorum ſtrage.* Phil. Bonann. in Muſ. Kirch. claſſ. 1.

§. VI. Melitenſes autem Antonini ævo Idolatras fuiſſe,

ex

Digitized by Google

ex eo conjicere quod Gaulitani eum *Divi* appellatione nuncuparint; viro ingenuo ac erudito eſt prorſus indignum. Namque, ut miſſam faciam hanc aliam Epigraphen in Gaulo inſula adhuc exiſtentem, in qua quidem *Divi* titulus eidem Imperatori minime tribuitur;

IMP. M. AUREL. ANTON...
NI PII AUGUSTI. L. SEPTI
MI. SEVERI PIP. PERTI-
NACIS AUG. ARAB.....
..... BENICI. PART....
CI. MAXIMI. P....
ORDO DECURIONUM
CUR...NTE .....PUBLI
......MO.......T..O...

Unde conjici poteſt, quod in illa Inſcriptione ab Adverſario allegata, in qua *Divus* inſcribitur Antoninus, hujuſmodi titulus fortaſſe fuerit appictus a quopiam Ethnico cui demandata fuerit cura ipſius conſcribendæ: quod poſtea, quum Chriſtifideli iſti Populo minime arriſerit; in hac alia Epigraphe cautum ab ipſo eſt, ne ejuſmodi nuncupatio intruderetur. Ut autem, inquam, miſſam faciam hanc Inſcriptionem, illamque tantum attendam a Critico noſtro productam; nonne Principibus Viris nedum in Eccleſiæ incunabulis, ſed & in ipſius incremento, ac propagatione *Divi* Epithetum fuit a Chriſtianis tributum? Equidem Laurentius Patarol exhibet numiſma, in quo cernitur Max. Fauſtæ, ſecundæ Conſtantini Magni uxoris, effigies, his verbis circumnotatis: DIVA MAX. FAUSTA AUG. In alio numiſmate apud eumdem Auctorem leguntur hæc: DIVO ROMULO N. URBIS CONS. Necnon in alio nummo habetur: DIVO NIGRINIANO (*a*).

Laur. Patar. in Ser. Aug.

§. VII. Heic etiam referre lubet Inſcriptionem Neapoli repertam ſub viam, quam a *Nido* dicunt, prope Ven. Soc. Jeſ.

(a) Nigrinianum iſtum Alexandri Imperatoris filium credunt Triſtanus & Patinus, ſed Genebrierius ipſum Aureliani Nepotem, aut Numeriani filium fuiſſe contendit.

Digitized by Google

Jeſ. Collegium, ubi hucuſque ipſa ſervatur, ut perhibet eruditiſſimus Summontius. *Piiſſimæ ac clementiſſimæ Dominæ noſtræ Auguſtæ Helenę Matri Domini noſtri Vitoris ſemper Auguſti Conſtantini, & Aviæ Dominorum noſtrorum Cæſarum Beatorum uxori DIVI Conſtantii Ordo Neapolitanus & Populus.* Vides ut Helena, nedum Chriſtiana, ſed & inter Chriſtianos Sanctimonia magis, quam cæſarea dignitate eminens, nequaquam horruerit *Divi* titulum a Fideli iſto Populo Conſtantio ipſius Viro tributum! In Chronico autem Farfenſi apud egregios *Rer. Ital. Script. Collectores Tom.* 2. *part.* 2. legitur quoddam diploma Conradi I. Romanorum Imperatoris, quod ita incipit: *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Chuonradus Divus Romanorum Imperator Auguſtus. Comperiat omnium ſolertia, qualiter Guido venerabilis Abbas Monaſterii S. Mariæ in Comitatu Sabinenſi conſtructi in loco qui dicitur Acutianus &c.* in quo quidem Diplomate iſte Cæſar Guidoni II. Farfenſi Abbati, hujuſque Monaſterio bona ac jura quæcumque ipſis alias delata confirmat.

§. VIII. Præfationi in Appiani Alexandrini hiſtoriam bellorum civilium a P. Candido (*a*) latinitate donatam, editionis Lugdunenſis apud Hæredes Sebaſtiani Gryphii An. 1560. præfigitur hujuſmodi titulus: *P. Candidi ad DIVUM Alphonſum, utriuſque Siciliæ Regem in Appiani Alexandrini hiſtoriam bellorum civilium, e Græco in Latinum converſam Præfatio.* Super januam Ferrarienſis Baſilicæ *S. Mariæ novæ* nomine inſignitæ inciſa eſt hæc Epigraphe:

DIVO Hercule Æſtenſi Duce II. procurante
Sacra Hieronymi Religio hoc venerabile
Glorioſi Nicolai Templum colere.
Atque ampliare cœpit Marco Paſqualetto
Præſide ultro concedente.
MCCCCLXXV. 1. *Maji.*

Hanc & alias Inſcriptiones, in quibus prælaudatus Dux *Divi* appellatione condecoratur, exhibet Auguſtinus Paradiſius *in Athen. Nob. Tom.* 2. *part.* 1. *cap.* 13. *num.* 11.

§. IX. Summontius autem deſcribens exequias a Neapolitanis Carolo V. immortalis nominis Imperatori perſolutas, producit decem Epitaphia, in quorum unoquoque Cæſar iſte appellatus eſt *Divus*. Nos hoc unum proferamus. *Di-* Summont. in Hiſtor. Neap. tom. 4. lib. 10.

(a) Is Nicolai V. juſſu quatuor priores Appiani libros Latio donavit.

vo Carolo V. Imp. Caeſ. Aug. Opt. Max. Invictiſſimo, Gallico, Italico, Indico, Turcico, Africano, Germanico, novi Orbis Reparatori, Victori, & Triumphatori feliciſſimo &c. Neque enimvero eumdem Imperatorem *Divi* titulo cohoneſtare dubitarunt Rhodienſes Milites, Chriſtiani nominis Propugnatores, ut videre eſt in epiſtola a M. ejuſdem Ordinis Magiſtro, atque Optimatibus ad illum conſcripta anno 1529. quam refert accuratiſſimus Hiſtoriographus Thomas Boſius *P.3.l.5.*

§. X. Neque vero nobis deſunt recentiora ejuſmodi nuncupationis exempla. Siquidem immortale illud Cæſarum decus Leopoldus Ferdinandum II. Avum ſuum *Divi* titulo cohoneſtavit, ut videre eſt in quodam ipſius diplomate dato 7. Kal. Quintiles ann. 1671. in gratiam Angeli Mariæ Flavii Comneni, Macedoniæ Principis, relato a Laurentio Vigilio de Nicollis in Libello, cui titulus: *Anacephaleoſis, ſeu brevis res Diplomatica Supremi Angelici Conſtantiniani Primi Ordinis S. Georgii*. Necnon idem Imperator *Divi* appellatione inſignitur in Epitaphio ipſius tumulo inciſo, ut teſtatur ſupralaudatus Paradiſius *cap. citat. n.12.*

§. XI. Quid quod ipſi Melitenſes præcelebratum Cæſarem *Divi* appellatione nuncuparunt? Nempe in Templo *(a)* Fidei ab ipſis erecto, quum heic ederentur publicæ lætitiæ ſigna ob inſignem victoriam, quam de Turcis reportaverat Miles Cæſarianus anno 1686. Buda iſtis erepta, *(b)* inter alias Inſcriptiones hæc legebatur:

DI-

(a) Ita nuncuparunt Ædem, quam tunc ex aſſeribus conflaverant, aulæis, picturis, aliiſque ornamentis graphice inſtruxerant, in Trivio adjacente Foro hujus novæ Urbis Vallettæ, qua itur ad D. Pauli, quidam ſplendidi, cultique noſtri cives.

(b) Ejuſmodi inſcriptiones, ædiculam, hujuſque ornatum, aliaque ad hæc facientia, una cum quibuſdam Poematiis in hoc argumentum compoſitis, typis mandavit eruditus quondam civis noſter Balthaſſar Del-Brio, unus ex præcipuis iſtius machinæ Directoribus. Mihi autem in gratiam Poeſeos ſtudioſorum heic adſcribere lubet venuſtum illud epigramma, quod ex Relatis Noribergenſibus exſcripſit HeKelius.

Budanam Bavarus victor jam ceperat Arcem,
Poſt urbis victor Dux Lotharingus erat.
Ille caput cepit; capitis tum membra ſubegit
Alter. Dic utri gloria parta minor?
Gloria ſi Budæ fuit Arx; tibi gloria, Boje!
Gloria ſi fuit urbs, Dux Lotharinge, tua.
Ceſſit uterque locum; Laurus debetur utrique;
Diviſam Laurum cum Jove Cæſar habet.

Digitized by Google

DIVO Leopoldo Auguſto
Pio, Forti, Felici
Pannonia ſuperiore vindicata,
Inferiore liberata
Trace victo, domitis Perduellibus;
Exultans Melita
Hoc gratulantis animi monumentum
Erexit.

Væ nobis, ſi hanc Epigraphem vidiſſet Zoilus noſter! Melitenſes aduſque ſæculum proxime elapſum Idolatras fuiſſe contenderet.

§. XII. Quid autem plura? Non ſolum *Divi*, ſed & *Diviniſſimi* appellantur Imperatores vel a venerandis Eccleſiarum Prælatis. Quippe in Actis Conciliorum generalium, Conſtantinopolitani, & Chalcedonenſis, ab ipſis Patribus, qui ea celebrarunt, *Diviniſſimi* dicti ſunt Cæſares, imo & *divinæ* eorum literæ, ac ſubſcriptiones. Nempe *in Actis Concil. Conſtantin. inſertis Actioni primæ Concil. Chalc.* hæc leguntur: *Eſt in recitata prece etiam divina annotatio diviniſſimi & piiſſimi Imperatoris noſtri*. Necnon *Numinis* vocabulum ſibi adſcivere Cæſares: ſiquidem Theodoſius, & Valentinianus in quodam edicto, relato ab Auguſtino Paradiſio, ita loquuntur: *Ludis quoque ſimulacra propoſita tantum in animis concurrentum, mentiſque ſecretis noſtrum Numen, & laudes vigere demonſtrent.* Aug. Parad. in Ath. 3. Nob. tom. 2. part. 1. c. 13. n. 10.

§. XIII. Profecto Lectorem meum tædio conficerem, meque calamus deficeret, ſi monumenta omnia proferre vellem, in quibus ejuſmodi epithetis Principes Viri cohoneſtantur: Tametſi Antagoniſta noſter nonniſi in unum illud offenderit, in quo *Divi* titulo Conſtantinus Magnus inſignitur. Hunc fuiſſe primum Principem a Chriſtifidelibus *Divi* appellatione condecoratum ille adſeverat: additque ipſum promeruiſſe ejuſmodi nuncupationem, ob virtutem, qua præditus erat, morbos curandi: Scilicet bonus noſter Criticus, qui Abelam ſimplicitatis inſimulare non dubitavit, ratus eſt, *Divi* titulum Dominantibus tributum unam eamdemque rem eſſe cum illo, quod viris Sanctimonia, & miraculis venerabilibus tribuit Eccleſia. Sed, ut in ipſo Diſſertationis veſtibulo ajebam, ille ſe parum in hujuſmodi materia verſatum oſtendit. Quandoquidem ejuſmodi epitheto inſigniti ſunt a Chriſticolis nedum antiquiores Con-

Digitized by Google

ſtantino Dominantes, ſed etiam alii, qui iſtius virtute minime pollebant, imo nefandis erant vitiis obnoxii. Equidem Conſtantius Chlorus, Conſtantini Pater, ut ſupra exponebam, *Divi* titulo decoratus eſt in Epigraphe a Neapolitanis facta: Necnon Martiano veteri & Orthodoxo Scriptori apud Antonium Bombardinum, dicitur *Divus Hadrianus*, *Divus Pius*. Sed nonne ipſis Legislatoribus dicuntur (a) *Divus Claudius*, *Divus Hadrianus*, *Divus Commodus*, *Divus Severus*, *Divus Marcus*, *Divus Antoninus*, *Divus Pius*? Romana vero Synodus *Sanctum* nuncupavit Theodoricum Gothorum Regem Arrianorum hæreſi coinquinatum. *Sanctiſſimos* autem appellavit Sacrilegos Imperatores Valerianum & Gallienum S. Dionyſius Patriarcha Alexandrinus in eximia Fidei confeſſione a ſe facta coram Æmiliano Ægypti Præfecto, quo jubente erat exulaturus. *Nos* (inquit) *unum Deum rerum omnium fabricatorem, qui Valeriano & Gallieno Cæſaribus Auguſtis, viris Sanctiſſimis imperium largitus eſt, & colimus & veneramur*. Quid ergo mirum ſi priſtini illi Melitenſes *Divum* appellarint M. Aurelium Antoninum?

Ant. Bombardinus in Tract. de carcer. part. 1. c. 24.

§. XIV. Neque vero deſunt rationes, cur ejuſmodi titulis cohoneſtentur Viri Principes, ac Dominantes. Binas quidem affert Eminentiſſimus Baronius. I. Quod is erat illorum temporum mos, ut *Sanctiſſimi* audirent Cæſares: quod epithetum ad ipſorum mores minime referebatur; haud ſecus ac illud *Optimi*, quod Præſidibus tribuebatur; unde Gentium Doctor Felici ſceleſtiſſimo Præſidi dixit: *Optime Felix*. II. Quod dona a Deo data dicuntur *Sancta*, ut innuit Tullius de Ennio Poeta loquens, qui *Sanctos* vocavit Vates reſpectu Poeticæ Facultatis, qua fuere a Deo donati. Ita & Regnantes, licet vitiis obnoxii, dici poſſunt *Divi*, ſive *Sancti*, habita ratione ſupremæ poteſtatis, quam ſuper populos ſibi ſubjectos ab omnium munerum datore conſequuti ſunt. Quam dominandi facultatem nedum bonis ac morigeratis viris, ſed interdum & iniquis ac ſceleſtis largitur Deus, ut populos puniat, ſicuti legitur *in Oſeæ cap. 13. Dabo tibi regem in furore meo*; necnon *in lib. Job. cap. 34. Qui regnare facit hominem hypocritam*. Sic ratiocinatur, & quidem ſapienter, Eccleſiaſticæ

Act. 24. Cicer. in Or. pro Arch. P.

(a) Vide L. *Divus ff. de Accuſatione reor.* aliaſque Leges contentas in *Digeſt. nov. Tom. 3.*

ex Hiſtoriæ Parens, quem in hoc argumentum allegant Menochius & Sarnellius.

§. XV. Quid enimvero ſonant hæc epitheta *Divus*, *Diviniſſimus*, *Sanctus*, *Sanctiſſimus?* Idem plane, atque *Venerabilis*, *Venerabiliſſimus*, ut animadvertit Guidus Panciro- Guil.Pan. lus, qui Patronos a ſuis Libertis, ac Genitores a Liberis cir. Lib. 1. *Sanctiſſimos* appellari demonſtrat, allegans hæc Flavii Vo- Theſaur.var. Lect. piſci verba. *Antonio Juſto Patri Antonius Tiberianus ſalutem. Nunc te Sancte Pater, intereſſe decuit Senatui ampliſſimo*: & in alia *epiſt. Claudius Capilianus Cercio Metiano patruo ſalutem. Obtinuimus Sancte Pater, quod ſemper optavimus* &c. Haud ſecus *Divini* vocantur Viri in aliqua facultate excellentes, interque alios ejuſdem atque ſui inſtituti eminentiores: hoc ſane pacto præſtantiſſimus Philoſophorum Plato, egregiique Poetæ Homerus, & Arioſtus *Divini* audiunt; quinimo & eorum opera *Divina* dicuntur, uti *Divina Dantis Aligberii Comœdia*. Numinis autem vocabulo Cæſaribus attributo nihil aliud quam ſuprema & veneranda ipſorum poteſtas indicatur. Iſto quidem ſenſu eam dictionem accepit Romanæ Eloquentiæ Parens, quum dixit: *Magna vis eſt, magnum Numen, unum* Cicer. in Anton. *ſentientis, Senatus*; qui poteſtate adeo ſumma pollebat, ut ipſam vel Reges metuerent ac venerarentur.

§. XVI. Servius autem Honoratus *in lib. 5. Æn.* aſſerit, Deos origine æternos eſſe, Divos ex hominibus fieri, dicique *Divos*, ſeu *Divales*, quaſi qui diem obierint. Huc ſane collimat illud Manilii. Manil. lib. 1.

Ætius, ætherei qua candet circulus orbis
Illa Deum ſedes: hæc illis proxima Divum,
Qui virtute ſua ſimiles veſtigia tangunt.

Servio ſubſcribit Johannes Vignolius, ita loquens: *Ex bis* Joh Vignol. in Differt. de Column. Antonin. cap. 5. *itaque quod bujuſmodi Divi titulus apud Romanos quaſi quidam conſecrationis mortiſque index fuerit, ſatis perſpicitur: quod Servius etiam abunde declarat ad lib. 5. Æn. verſ. 45 ubi inter Deos Divoſque diſtinctionem banc faciens, ut Dii ſint perpetui, Divi ex hominibus facti, Divos dictos inde adjicit, quaſi qui diem obierint. Et Iſidor. in Gloſſar. Divus inquit, Imperator ille dicitur qui poſt mortem Dei nomen accepit*. Qui vero, ego inquam, *Dei nomen* accepit; ſi, monente Servio, Dei ſunt *origine æterni*, & non mortales, uti omnes Romani Imperatores, cetérique Or-

bis

ſtantino Dominantes, ſed etiam alii, qui iſtius virtute minime pollebant, imo nefandis erant vitiis obnoxii. Equidem Conſtantius Chlorus, Conſtantini Pater, ut ſupra exponebam, *Divi* titulo decoratus eſt in Epigraphe a Neapolitanis facta: Necnon Martiano veteri & Orthodoxo Scriptori apud Antonium Bombardinum, dicitur *Divus Hadrianus*, *Divus Pius*. Sed nonne ipſis Legislatoribus dicuntur (a) *Divus Claudius*, *Divus Hadrianus*, *Divus Commodus*, *Divus Severus*, *Divus Marcus*, *Divus Antoninus*, *Divus Pius*? Romana vero Synodus *Sanctum* nuncupavit Theodoricum Gothorum Regem Arrianorum hæreſi coinquinatum. *Sanctiſſimos* autem appellavit Sacrilegos Imperatores Valerianum & Gallienum S. Dionyſius Patriarcha Alexandrinus in eximia Fidei confeſſione a ſe facta coram Æmiliano Ægypti Præfecto, quo jubente erat exulaturus. *Nos* (inquit) *unum Deum rerum omnium fabricatorem, qui Valeriano & Gallieno Cæſaribus Auguſtis, viris Sanctiſſimis imperium largitus eſt, & colimus & veneramur*. Quid ergo mirum ſi priſtini illi Melitenſes *Divum* appellarint M. Aurelium Antoninum?

Ant. Bombardinus in Tract. de carcer. part. 1. c. 24.

§. XIV. Neque vero deſunt rationes, cur ejuſmodi titulis cohoneſtentur Viri Principes, ac Dominantes. Binas quidem affert Eminentiſſimus Baronius. I. Quod is erat illorum temporum mos, ut *Sanctiſſimi* audirent Cæſares: quod epithetum ad ipſorum mores minime referebatur; haud ſecus ac illud *Optimi*, quod Præſidibus tribuebatur; unde Gentium Doctor Felici ſceleſtiſſimo Præſidi dixit: *Optime Felix*. II. Quod dona a Deo data dicuntur *Sancta*, ut innuit Tullius de Ennio Poeta loquens, qui *Sanctos* vocavit Vates reſpectu Poeticæ Facultatis, qua fuere a Deo donati. Ita & Regnantes, licet vitiis obnoxii, dici poſſunt *Divi*, ſive *Sancti*, habita ratione ſupremæ poteſtatis, quam ſuper populos ſibi ſubjectos ab omnium munerum datore conſequuti ſunt. Quam dominandi facultatem nedum bonis ac morigeratis viris, ſed interdum & iniquis ac ſceleſtis largitur Deus, ut populos puniat, ſicuti legitur *in Oſeæ cap. 13. Dabo tibi regem in furore meo*; necnon *in lib. Job. cap. 34. Qui regnare facit hominem hypocritam*. Sic ratiocinatur, & quidem ſapienter, Eccleſiaſti-

Act. 24. Cicer. in Or. pro Arch. P.

cæ

(a) Vide L. *Divus ff. de Accuſatione reor.* aliaſque Leges contentas in *Digeſt. nov. Tom. 3.*

cæ Hiſtoriæ Parens, quem in hoc argumentum allegant Menochius & Sarnellius.

§. XV. Quid enimvero ſonant hæc epitheta *Divus*, *Diviniſſimus*, *Sanctus*, *Sanctiſſimus*? Idem plane, atque *Venerabilis*, *Venerabiliſſimus*, ut animadvertit Guidus Pancirolus, qui Patronos a ſuis Libertis, ac Genitores a Liberis *Sanctiſſimos* appellari demonſtrat, allegans hæc Flavii Vopiſci verba. *Antonio Juſto Patri Antonius Tiberianus ſalutem. Nunc te Sancte Pater, intereſſe decuit Senatui ampliſſimo*: & in alia *epiſt. Claudius Capilianus Cercio Metiano patruo ſalutem. Obtinuimus Sancte Pater, quod ſemper optavimus* &c. Haud ſecus *Divini* vocantur Viri in aliqua facultate excellentes, interque alios ejuſdem atque ſui inſtituti eminentiores: hoc ſane pacto præſtantiſſimus Philoſophorum Plato, egregiique Poetæ Homerus, & Arioſtus *Divini* audiunt; quinimo & eorum opera *Divina* dicuntur, uti *Divina Dantis Aligherii Comœdia*. Numinis autem vocabulo Cæſaribus attributo nihil aliud quam ſuprema & veneranda ipſorum poteſtas indicatur. Iſto quidem ſenſu eam dictionem accepit Romanæ Eloquentiæ Parens, quum dixit: *Magna vis eſt, magnum Numen, unum ſentientis, Senatus*; qui poteſtate adeo ſumma pollebat, ut ipſam vel Reges metuerent ac venerarentur.

Guil. Pancir. Lib. 1. Theſaur. var. Lect.

Cicer. in Anton.

§. XVI. Servius autem Honoratus *in lib. 5. Æn.* aſſerit, Deos origine æternos eſſe, Divos ex hominibus fieri, dicique *Divos*, ſeu *Divales*, quaſi qui diem obierint. Huc ſane collimat illud Manilii.

Manil. lib. 1.

Æthus, ætherei qua candet circulus orbis
Illa Deum ſedes: hæc illis proxima Divum,
Qui virtute ſua ſimiles veſtigia tangunt.

Servio ſubſcribit Johannes Vignolius, ita loquens: *Ex his itaque quod hujuſmodi Divi titulus apud Romanos quaſi quidam conſecrationis mortiſque index fuerit, ſatis perſpicitur: quod Servius etiam abunde declarat ad lib. 5. Æn. verſ. 45 ubi inter Deos Divoſque diſtinctionem hanc faciens, ut Dii ſint perpetui, Divi ex hominibus facti, Divos dictos inde adjicit, quaſi qui diem obierint. Et Iſidor. in Gloſſar. Divus inquit, Imperator ille dicitur qui poſt mortem Dei nomen accepit*. Qui vero, ego inquam, *Dei nomen* accepit; ſi, monente Servio, Dei ſunt *origine æterni*, & non mortales, uti omnes Romani Imperatores, ceterique Orbis

Joh Vignol. in Diſſert. de Columna Antonin. cap. 5.

bis

bis Regnantes? Hos autem, vel inter vivos agentes, audiiſſe *Divos*, ſeu *Sanctos* ex ſupra expoſitis ſatis ſuperque perſpicitur.

§. XVII. Quod ſi Antonini mores, virtutes, ac dona, quibus ipſum exornavit Deus, reſpicere velis; multo magis ei, quam aliis Ethnicis Imperatoribus, *Divi* titulum competere fateberis. Equidem ipſius æquitatem commendat
D. Aug. l. 2 c. 8. de Adult. Conjug. Auguſtinus. *Legat* (inquit) *quid Imperator Antoninus, non utique Chriſtianus, de hac re conſtituerit, ubi maritus uxorem de Adulterii crimine accuſare non ſinitur, cui moribus ſuis non præbuit caſtitatis exemplum; ita ut ambo damnentur, ſi ambos pariter impudicos conflictus ipſe convicerit.*
Victor in Epiſt. cap. 15. Ejus manſuetudinem deprædicat Victor. *Adeo manſuetus* (erat Antoninus) *ut inſtantibus Patribus ad eos qui contra eum conjuraverant, perſequendos, compreſſerit quæſtionem præfatus: neceſſe non eſſe ſceleris in ſemetipſum cupidos pertinacius indagari; ne ſi plures reperirentur, quantis odio eſſet, intelligeretur.* Ipſius modeſtiam tantam fuiſſe teſtatur idem Auctor, ut is *omni prorſus appetentia gloriæ, & oſtentatione caruerit.* Ejuſdem probitatem, atque in Chri-
Joh. Xiphil. in Vit. Ant. ſtianos benevolentiam effert Xiphilinus his verbis: *Igitur conſtat Antoninum virum probum & bonum fuiſſe. Nec enim ceteris ſubditis gravis, nec Chriſtianis infenſus fuit; quos vehementer obſervavit & coluit, ac bonori quo Hadrianus Chriſtianos proſequebatur, acceſſionem fecit.* Sed audire præ-
Jul. Capitol. in Vit. Anton. c. 5. ſtat Capitolinum, ita eum deſcribentem: *Fuit vir forma conſpicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, & placidus ingenio, ſingularis eloquentiæ, nitidæ literaturæ, præcipuè ſobrius, diligens agri cultor, mitis, largus, alieni abſtinens, & omnia bæc cum menſura, & ſine jactantia. In cunctis poſtremo laudabilis, & qui merito Numæ Pompilio ex bonorum ſententia comparatur.* Quinimo, ut aſſerit Victor, *tantæ bonitatis in principatu fuit, ut haud dubie*
Eutrop. hiſt. Rom. l. 8. *ſine exemplo vixerit.* Quibus Scriptoribus conſonat Eutropius ita illum commendans: *Vixit ingenti honeſtate privatus, majori in imperio: nulli acerbus, cunctis benignus: in re militari moderata gloria: defendere magis provincias, quam amplificare ſtudens: viros juſtiſſimos* (a) *ad admini-*
ſtran

(a) Utinam omnes Chriſtiani Principes iſtum Antonini morem æmularentur! Non utique cernerentur tot inſontes oppreſſi, tot iniqui, ſceleſtique exaltati, probis poſthabitis; itaut perſæpe repeti poſſet illud Juvenalis: *Virtus laudatur, & alget.*

ſtrandam Rempublicam quærens, bonis honorem habens, improbos ſine acerbitate deteſtans. Sed quid opus eſt tot, tantaſque Antonini virtutes, quibus *Pii* cognomentum ſibi ipſe comparavit, recenſere; quandoquidem ob ſolam Cæſaream dignitatem, ut ſupra differebam, *Divus* audire merebatur?

§. XVIII. Pro coronide hujuſce Diſceptationis ediſſerendum occurrit, quod *Sancti* olim dicebantur omnes Chriſtiani reſpectu *Gratiæ* Sanctificantis, quam SS. Sacramentorum ope ac virtute accipiunt. Quamobrem Apoſtolus, *Rom.* 1. inquit: *Omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei vocatis Sanctis*. Similiter *Rom.* 15. ait: *Nunc igitur proficiſcar in Jeruſalem miniſtrare Sanctis*. *Phil.* 4. *Salutate omnem Sanctum in Chriſto Jeſu*. *Salutant vos omnes Sancti, maxime qui de domo Cæſaris ſunt*. 2. *Cor.* 1. *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, cum omnibus Sanctis, qui ſunt in univerſa Achaja*. Cui quidem conſonat Sacer Evangeliſta & Apoſtolicæ Hiſtoriæ Scriptor. *Factum eſt autem* (inquit) *ut Petrus dum pertranſiret univerſos, deveniret ad Sanctos qui habitabant Lydiæ*. Neque eſt, quod quiſpiam opponat, ut animadvertit eruditiſſimus Sarnellius, quod illo ævo hujuſmodi appellatione cohoneſtabantur Chriſtifideles, propterea quod ſanctam vitam traducebant. Etenim quoque David, ut obſervavit D. Bernardus, poſtquam peccatum admiſerat, dixit: *Cuſtodi animam meam, quoniam Sanctus ſum*: nempe ob Sanctitatem illam Legalem, ut ſubdit idem Sarnellius, quam Regali unctioni acceptam ille referebat.

Pomp. Sarnell. Lit. Eccl. Tom. 1. Epiſt. 6.

D. Bernard. ſerm. 1. in Eccl. dedic.

Pſalm. 65.

§. XIX. En itaque dilucidatum, niſi me fallit animus, hujuſmodi Epithetorum, *Divi*, *Sancti*, *Divini*, ſignificatum. Unde quoque perſpicuum fit, quod Idolatriæ obnoxii cenſeri minime debeant Melitenſes ii, qui Antoninum Pium *Divi* titulo condecorarunt. Contra quam opinatus eſt Antagoniſta noſter; qui tamen argumentorum ſuorum imbecillitatem advertere videtur: Nimirum excepti e naufragio Apoſtoli gloriam hoc diffugio nobis abjudicare non valens, ad aliud ipſe confugit: nempe ſeſe opinari aſſerit, Melitam quidem a Paulo ad Chriſti fidem fuiſſe perductam, ſed quum Occidentis plagas iſte percurſaret. Nil ergo nobis officiunt Junonis, Herculiſque Fana ad ſecundum uſque ſæculum in hac Inſula permanentia: nihilum obeſt *Divi* nomen a Gaulitana Plebe Antonino Imperatori tributum. Unde igitur ille colligit, quod Melitenſes non niſi poſt

Pau-

Digitized by Google

Pauli Naufragium, ſeu ſerius, ad Chriſtum fuerint converſi?

DISSERTATIO
DECIMANONA.

Melitenſium Traditiones eſſe laudabiles, ac fide digniſſimas.

§. I. Etſi ea fere ſingula, quæ hactenus de Paulo in hanc Inſulam naufragio ejecto, deque ipſius Hoſpite, primoque noſtro Epiſcopo Publio, diſſeruimus, haud parum Majorum noſtrorum Traditionibus confirmare potuiſſemus; nihilo tamen minus ipſas, data opera, huc uſque ſilentio involvimus. Hinc enim fore ſperamus, ut magis atque magis argumentorum noſtrorum robur, earumdemque Traditionum dignitas vel invito, & ad talia cæcutienti nitide eluceſcat. Quandoquidem non minus argumenta noſtra Traditionibus, quam Traditiones noſtræ argumentis a nobis jam abunde allatis corroborantur. Quis inde non fateatur, & illa eſſe irrefragabilia, & iſtas multa auctoritate pollere, atque ab utriſque triumphantem invehi aſſertionum noſtrarum Veritatem? Nemo, plane nemo qui cor habeat. Haud itaque mihi eſſet opus, ut hanc Diſſertationem inſtituerem, inſumeremque in tuendas, commendandaſque noſtras Traditiones, quæ tot tantiſque rationibus æque atque ſuæ antiquitati innituntur. Attamen quia refractarius noſter Antagoniſta nonnullas difficultates Traditionibus noſtris oppoſuit, eas quoque diluere operæ pretium eſt; ne ullum ex illius jaculis, quod a nobis perfractum, comminutumque non ſit, relinquamus.

§. II. Traditiones quidem noſtras, utpote humanas, ipſe parvipendit, aſſerens eas eſſe incertas, erroriqe obnoxias, ideoque fidem non mereri, niſi urgentibus rationibus, nitidiſque documentis ipſæ fulciantur. Nos autem ejuſmodi ra-

rationes ac documenta jam adduximus; necnon in ſequenti Diſſertatione plura antiqua monumenta Majorum noſtrorum Traditiones corroborantia producemus. Nunc vero Critico noſtro oſtendere oportet, quanti faciendæ ſint humanæ Traditiones noſtris haud abſimiles. Equidem iſtas deſpicatui nequaquam habuerunt ſapientes cordatique Scriptores. *Difficile quippe eſt creditu* (inquit Franciſcus Piſanus) *in Eccleſiis etiam particularibus, in quibus multi Sanctitatis probatæ viri exiſtunt, reguntur a Prælatis prudentibus ac zelum habentibus, aliquid tradi commentitium ac fictum, ab iiſdemque tolerari, quod maxime ad providentiam Dei ſpectat nihil unquam hujuſmodi permittere.* Quid enimvero quod Traditiones noſtræ non ſolum a tot prudentiſſimis Epiſcopis, quot *in Serie Epiſcop. Meliten.* recenſuimus; ſed & ab Eccleſia Romana tolerantur, imo adprobantur, facto nempe nobis privilegio recolendi *miſſa*, *&* *officio*, ut ajunt, *propriis*, S. Publii, naufragi Pauli Hoſpitis, primique noſtri Epiſcopi? Martinus quidem de Ajala recte nos commonet, *Traditiones conſuetudine Fidelium obſervatas ad cultum Dei, & pietatem ſpectantes, neceſſario in Eccleſia ubi vigent, retinendas eſſe, nec audiendos qui* (ut Criticus noſter) *hujuſmodi privatas Traditiones pervicaci ingenio oppugnant.*

Fr. Piſan. de Fund. Templ. Cæſaraug. cap. 2.

Martin. de Ajala lib. de Tradit.

§. III. Et quidem, ſi hujuſmodi Zoilis aſſentiri velis, paulatim introductum te comperies in vaſtius dubitationum pelagus: nempe, ut animadvertit Petrus Ribadeneira *in Vita S. Jacobi Majoris*, ubi hujus Apoſtoli adventum in Hiſpaniam, a quibuſdam Neotericis in dubium revocatum, propugnat; eodem pacto negari poſſent, non ſine magno Chriſtianæ pietatis detrimento, multa alia ad Divos ſpectantia, quæ nonniſi per Traditiones innoteſcunt. Hujus idolis fortaſſis erat Criticus ille, qui, referente P. Laubruſſellio, miracula irridebat, poſt Apoſtolorum ævum divulgata; nec non afferebat *bonum Juſtinum*, *&* *bonum Irenæum* faciles fabulis aures præbuiſſe. Idcirco audire præſtat præclaros Eccleſiæ Doctores, Hieronymum, & Auguſtinum. Quorum primus docet, *Traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ Fidei non officiunt, ita obſervandas ut a majoribus traditæ ſunt.* Alter vero auream hanc examinandarum Traditionum regulam tradit: *In his quæ varia per diverſa loca ſervantur, una hæc ſaluberrima regula ſervanda eſt: quæ*

P. Laubruſſel. de Abuſ. Critic. t. 2. in epiſt. ad calc. poſit.

D. Hieron. ep. 28.

D. Aug. lib. 2. de Incarn. c. 18.

non ſunt contra Fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudando, & imitando ſectemur. Et P. Bell. in Glor. Meſſan. L. 1. c. 5. *maxime*, ut ſubnectit P. Bellius, *cum ſciamus, ex Traditionibus privatarum Eccleſiarum multos inductos ritus, multas ſacras memorias propagatas, multaſque, quæ prius apocryphę, ſive abſconditę erant, veritates in totam Eccleſiam a Fidelium pietate, ſapientumque judicio communi conſenſu acceptas, rataſque habitas*. Hinc eſt quod particularium Eccleſiarum Traditiones, ex quibus nihil contra Fidem, aut bonos mores inducatur, magni duci, colique, non vero impugnari ac derideri jubent Sacri Canones *Diſt.* 12. *Cap. Scit. §. Ridiculum*, ubi referuntur verba Nicolai PP. I. *Ridiculum* (inquit Sanctiſſimus iſte Pontifex) *& ſatis abominabile dedecus, ut eas Traditiones, quas antiquitus a Patribus ſuſcepimus, pro libitu ſemper errantium infringi patiamur*. Cui conſonat D. Gregorius Nazianzenus prudentibus hiſce vocibus nos admonens. Verba ea, quibus cum lacte nutritus es, mordicus retine.

§. IV. Nec audiendus eſt Antagoniſta noſter, quum humanas Traditiones a Chriſto Domino, Pauloque Apoſtolo Od. Rinald. Ann. Eccl. ad An. 53. n. 7. 8. repudiari dictitet. Namque, ut prudenter exponit Odoricus Rinaldus, rejectæ ſunt a Domino, & Apoſtolis Majorum Tradiriones, non quidem quod ab hominibus promanarent, ſed quod eſſent *ſuperſtitioſę*, Diviniſque Legibus repugnantes, Deique mandatis a reprobis hominibus præferrentur. Quocirca in *ſecundo cap. Talmud. in Gherruvire* leguntur hæc impia verba: *Fili mi ſolicitior eſto obſervator ſcilicet verborum ac pręceptorum Rabbinorum, quam Legis*. Verumenimvero piæ ſanctæque Traditiones Deo Jer. 35. commendantur, ut perſpicue conſtat ex Jeremiæ verbis, ita ad Rechabitas loquentis. *Pro eo quod obediſtis pręceptis Jonadab, Patris veſtri, quod ſcilicet non biberitis vinum, nec ędificaveritis domos ad habitandum; nec vineam, agrumve* Deut. 32. 7. *poſſidere volueritis, nec ſeminaveritis* &c. Necnon ex Deuteronomio, ubi hæc habentur: *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, majores tuos, & dicent tibi*. Tandem ab Eccl. 8. 11. Eccleſiaſtico ſic monemur: *Non te prętereat narratio ſeniorum, qui enim didicerunt a patribus ſuis* &c.

§. V. Neque enim Traditiones noſtræ ſimiles ſunt illis

priſco-

Digitized by Google

priſcorum Siculienſium, qui filiis ac nepotibus ſuis tradiderunt, Sicaniam Cereri, ac Proſerpinæ eſſe conſecratam, ut ipſos ad iſtorum falſorum Numinum cultum inducerent. De quibus Diodorus Siculus *lib.* 5. hæc ſcripſit: *Incolę hujus Inſulę Siculi a Majoribus per traditionem tot ſęculorum continuatam acceperunt, Inſulam Cereri, & Liberę, ideſt Proſerpinę eſſe dicatam*. Quæ forte ab ipſo exſcripſit Tullius, quum dixit: *Vetus eſt hęc opinio, quę conſtat ex antiquis Gręcorum literis, atque monumentis, inſulam Siciliam eſſe totam Cereri, & Liberę conſecratam*. Haud, inquam, hujuſmodi commenta nobis tradidere Majores noſtri; ſed ab ipſis accepimus notitias veritati ac rationi conſonas, nempe Gentium Doctorem huc naufragum adpuliſſe; Publium in Epiſcopum inſtituiſſe; Trophimum apud nos ægrotantem reliquiſſe; varia miracula heic perpetraſſe, atque multa Inſulæ noſtræ beneficia contuliſſe: quibus ſane memoriis non quidem ad Cereris aut Proſerpinæ cultum, ſed ad pietatem ac venerationem in Deum verum, glorioſſque veræ Fidei Athletas, Inſulares noſtri excitantur. Et quidem mirum, quod ſententiæ noſtræ ſubſcribunt tot viri Heterodoxi, Erlmannus, Grotius, Bullingerus, Vadianus, Beza, Capellus, Voſſius, Hammondus, Bochartus, Joh. Clericus, Sarnicius, Polus, Blævius, Marloratus, Volzogenius, Lightfootus, & alii complures; & tamen nobis inſultare, noſtraſque Traditiones, tamquam fabuloſas, &, pene dixerim, Heterodoxas, irridere non dubitat Orthodoxus, religioſuſque Adverſator. Cicer. in Verr. 3.

§. VI. Sed ipſum ediſcere oportet, quæ de hujuſmodi Traditionibus ſcripſit inſignis Criticæ artis Præceptor Honoratus a S. Maria *in ſuis animadverſionibus in regulas uſumque Criticæ*. Cujus quidem verba, prout ab ipſo prolata ſunt, adſcribam; quum hodie gallicæ literæ in omnibus fere gentibus legantur: *A peine trouvera t'on* (is inquit) *quelque Critique des derniers ſiecles, de ceux meme qui paroiſſent les plus indifferens pour le temoignage tirè des Traditions des Egliſes, & de la plu part de leurs monumens, qui n'y ayent recours eux-memes: au moins eſt il certain que les Gregoriens & les Areopagitiques ont tachè d'attirer a leur partì l'autoritè des Miſſels, des Breviaires, & des Martyrologes des Egliſes particulieres, & de l'Egliſe univerſelle; & de s'appuyer meme ſur les Uſages, les coutu-* Tom. I. Diſſ. 7. Art. 8. §. 2.

 mes,

mes, & les Traditions de differentes Egliſes. Comme nous en avons deja rapportè (nota hæc verba) *pluſieurs exemples, je me contenterai d'ajouter que la quatrieme preuve de M.*
Du-Pin Biblioth. t. 1. pag. 112.
Du-Pin, pour prouver que le S. Denys, qui a etè le premier Apotre de notre Royaume eſt different de l'Areopagite, eſt conçue en ces termes. „ Il y a (dit ce *Docteur*) *un infinitè d'anciens Martyrologes, ou on marque la Fete de S. Denys l'Areopagite, & de l'Apotre de France en deux jours differens, & dans les quels on diſtingue le lieu, & les circonſtances de leur Paſſion. Il faut tirer le meme Argument des Anciens Breviaires, des anciens Miſſels, & des Calendriers, & enſin des Litanies anciennes, dans les quelles on met S. Denys l'Apotre de France apres les Saints qui ont ſouffert ſous Marc-Aurele.* „ Poſt quæ dicta noſter Honoratus hæc ſubnectit: *Les Sçavans n'ont pas auſſi negligè les Traditions qu'ils appellent populaires, quand ils ont cru pouvoir donner quelque poid aux matieres qu'ils traitoient pour lors. En voici quelques Exemples. „ Des le 4. Siecle dit M. de Tillemont* (Auctor ab Adverſario magni ductus & allegatus) *la Tradition de l'Egypte etoit que Jeſus-Chriſt etant venu dans la Thebaide avec Marie, & Joſeph, & etant entrè dans un Temple de la ville d'Hermopole en cette Province, toutes les Idoles de ce Temple etoient tombees par terre; & s'*
Tillem. t. 11. art. 3. ſur S. Jean l'Evang. p. 355.
etoient briſees. Quod pone ipſe confirmat auctoritate Ruffini, ſive alius ſub hoc nomine ſcribentis, D. Hieronymi, & Sozomeni. Paulloque poſt ita loqui is pergit. *Le meme Critique parlant des peuples aus quels S. Jean l'Evangeliſte à annoncè l'Evangile, dit que c'eſt la Tradition des Indiens, que cet Apotre avoit prechè la foi en leur pais. M. de Tillemont ne donne point d'autre garand de cette Tradition populaire, qu'un Lettre ecrite* (de Baſſora en 1555.) *par les R.R. P.P. Jeſuites, & citèe par le Cardinal Baronius.*
Baron. ad An. 44. § 30. Tillem. t. 2. art. de S. Symph. p. 264.
Poſtea ipſe aſſerit, eumdem Tillemontium ejuſdem Cardinalis teſtimonio innixum affirmare, quod adhuc cernitur Tibure arens ciſterna, ubi antiqua eſt Traditio, D. Symphoroſam una cum ſuis filiis, ſæviente perſecutione, ſeſe condidiſſe. Pone ille aſſerit, eumdem Criticum ex quodam Auctore IV. Sæculi, a Bollando allegato, referre Traditionem Eccleſiæ Amaſenæ in Ponto, qua fertur D. Petrus Romam petens illuc acceſſiſſe; primuſque Fidem prædicaſſe; multos ad Chriſtum perduxiſſe; ſanctificaſſe locum,
Bolland. 26. April p. 427.

cum, poſtea denominatum *Cathedram Apoſtolorum*; illic aliquamdiu commoratus eſſe; demumque in Epiſcopum inſtituiſſe quemdam eximiæ ſanctitatis virum, nomine Nicetam. Et recenſita alia ſimili Synopenſium Traditione, quam idem Tillemontius refert ex Græcis Menologiis, ille allegat Dominum Baillet, qui utut moroſiſſimus, ac difficillimus ad recipiendas vulgi Traditiones, tamen *ad diem* 8. *Januar. pag*. 191. loquens de S. Luciano Apoſtolo Bellovacenſium, hæc profert: *Nous pouvons y ajouter la creance immemoriale, où cette Egliſe* (*de Beauvais*) *a toujours etè independemment de toute Hiſtoire ècrite, que ce glorieux Apotre a ſcellè ſa doctrine de ſon ſang, & qu'il en a arrosè les fondemens de l'edifice ſpirituel qu'il a commencè*., Ad diem vero 11. *Januar. p*. 247. de S. Theodoſio Cœnobiarcha hæc ille pronunciat: *Il ſe retira ſur le haut d'une Montagne, dans une caverne, où l'on diſoit ques les Mages avvient couchè en revenant d'adorer Jeſus nouvellement nè dans Bethleem*: ubi ad marginem adnotat hæc verba: *Il ſe retire dans la caverne des Mages*. Si ergo Critici adeo ſeveri acriſque judicii circa Apoſtolorum prædicationem, Epiſcoporum atque eccleſiarum inſtitutionem, & alia hujuſmodi populares Traditiones, utut nulli Scripturæ innixas, recipere non dedignantur; quis nos reprehendere juremerito poteſt, quum circa Pauli in hac Inſula prædicationem, Publii inaugurationem, aliaque beneficia a Nauſrago Apoſtolo nobis collata, Majorum noſtrorum Traditiones, S. Scripturæ, inſigniumque Scriptorum auctoritate, antiquiſque monumentis corroboratas, allegemus?

Till. art. 28. de D. Petr. p. 169. & 170.

§. VII. Attamen pervicaciſſimus noſter Zoilus Traditiones noſtras inceſſere pergit, contendens, ipſas *Hiſtoriographum Lucam notare, tamquam nauci Scriptorem, oſcitantem, incurioſum, utpote qui pauca & vulgaria de Apoſtolo in Melita commorante litteris mandaverit, plurima, maximaque, ac ſingularia ſilentio prætermiſerit*. Nempe Apoſtolicus iſte Scriptor miſſa fecit, quæ a priſcis Melitenſibus de ipſo tradita ſunt, videlicet Alexiteriam huic Inſulæ vim a Paulo impertitam, ſerpentes veneno ſpoliatas, navigationis ipſius comites luſtralibus aquis initiatos, Melitæ, Gauliqùe Incolas ad Chriſtum perductos, altaria in ſpecubus erecta, Publiumque naſcenti noſtræ Eccleſiæ præfectum: hæc ſunt Adverſario *maxima, plurima, & ſingularia*, quæ de Apoſtolo heic immo-

morante tradunt Melitenſes; *pauca* vero & *vulgaria* ei dicuntur; que de illo ſcribit Lucas. Verumenimvero Adverſarius nec diverſas *vulgarium*, ac *ſingularium* rationes internoſcit, neque optimi, & Apoſtolici Scriptoris munus intelligit. Ergo-ne *vulgaria* ſunt, quæ de Apoſtolo tradit divinus Hiſtoriographus; nempe inſperata & repentina ſanitas Publii Parenti reſtituta; mira omnium Inſulæ ægrorum ad Apoſtolum accedentium curatio, & mortifera vipera in flammas, contra adſtantium expectationem, innocue excuſſa? Hoc ſane miraculum tanti duxerunt adſtantes, ut illum Deum eſſe crediderint: idemque fuit veluti fons & origo mirandi beneficii in perpetuum nobis collati, nempe alexipharmacæ noſtrarum glebarum virtutis, atque exitialium viperarum extermimi. Magno quidem iſto ac primordiali prodigio enucleate relato, prudentiſſimus Evangeliſta ſupervacaneum duxit alia minora, vel ab hoc ipſo derivata prolixius deſcribere. Ecquid enim opus erat, ut is minutim enarraret res omnes a Paulo heic geſtas, nempe prædicationem, novæ Eccleſiæ inſtitutionem, populos ad Chriſti Fidem converſos, aras Deo vero dicatas, & alia hujuſmodi? Nonne quidem, vel tacente Luca, unuſquiſque ſuadere ſibi poterit, Thaumaturgum gentium Doctorem ubique res ejuſmodi præſtitiſſe? Itaque ſat Lucæ viſum eſt recenſere præcipua, & priora miracula, quæ Apoſtolus, ubi primum huc advenit, perpetravit. Is enim eſt mos Apoſtolicorum virorum, ut in ſcribendo parci, in operando multi ſint. Hoc perdiſcat Criticus noſter a Sodali ſuo Gallice loquente: *Les Apotres, & les hommes Apoſtoliques ecrivoient peu, & agiſſoient beaucoup.*

Aug. Calmet in Diſſert de Act. Apoſt. Tom. 4.

§. VIII. Nihil igitur eſt in cauſſa cur quiſpiam miretur, quod non omnia & ſingula miracula a Gentium Doctore heic patrata recenſuerit Apoſtolicus Hiſtoriographus: & maxime quod iſte (ut animadvertit prælaudatus Calmetus Chryſoſtomum ſequens) Hiſtoriæ ſuæ titulum inſcripſit, *Actus Apoſtolorum*; ut in ea non tam res mire factas, quam ſancte geſtas a primariis iſtis Evangelii Præconibus quæreremus. *Saint Luc* (ille inquit) *a intitulè cet ovrage les Actes des Apotres, a fin que nous y cherchaſſions, dit Saint Chryſoſtome, non pas tant les miracles qu'ils ont faits, que les actions ſaintes, & les vertus, qu'ils ont pratiquèes*. Præterquamquod, ut affirmat Dorotheus,

Calmet loc. cit. Chryſoſt. To. 5. Hom. 1.

Digitized by Google

theus, ſive Auctor Synopſis, apud eumdem Scriptorem, D. Lucas Apoſtolicos Annales conſcripſit ſub ipſius Pauli ductum, ſeu directionem: itaque veroſimillimum eſt, quod modeſtiſſimus, atque humillimus Apoſtolus (qui non niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & in infirmitatibus ſuis gloriari amabat) cuncta & ſingula prodigia a ſe perpetrata minutim recenſere illi non permiſerit.

§. IX. Antagoniſta quidem noſter ejuſmodi oppoſitionem, Lucæ *probatiſſimi, accuratiſſimi, & irreprehenſibilis Scriptoris* ſilentio innixam, mutuatus eſt ex Roccho Pirro, qui Meſſanenſium de B. Virginis epiſtola ad ipſos conſcripta traditionem oppugnans, ita loquitur: *Adverſatur ſilentium Lucæ, qui navigationi S. Pauli ſocius fuit, & ſcriptor diligentiſſimus: is loca cuncta commemorat* (*a*), *ad quæ Paulus acceſſit, dieſque quibus in eis commoratus eſt, & appulſum ejus Syracuſas; acceſitum a Meſſanenſibus, verbum nullum; nec flocci res iſta facienda, nec ſilenda*. Sed cum Antagoniſta noſter, tum Pirrus animadvertere debuerant, illum & multa alia relatu digna, quæ quidem Apoſtolo obtigerint, ſilentio involviſſe. Quamobrem D. Joh. Chryſoſtomus (*b*) fideliſſimus, optimuſque Pauli interpres ita pronunciavit. *Lucas Hiſtoriographus multa ſuccidit, & tempore congeſſit*. Et quidem *a nullo certius*, ut ait Baronius, *faciliuſque, quam ab ipſo Paulo monſtrari poteſt, non omnes res ejus geſtas Lucam eſſe proſequutum*: *nam ſi quis ea, quæ ad Corinthios ſcribit de rebus a ſe perpeſſis, conferat cum his, quæ in Actis Apoſtolorum de Paulo a Luca ſunt ſcripta, plane intelliget Pauli ærumnas majori ex parte fuiſſe prætermiſſas, atque ſilentio penitus obſoletas*. Si ergo Lucas *Apoſtoli ærumnas majori ex parte* reticuit; quid ſane mirum, quod miracula ſiluerit; quandoquidem ille in ſuis Annalibus, ut ſupra differebam, potius res ab iſto ſancte geſtas, ſeu perpeſſas, quam alias mire patratas, deſcribere inſtituerat?

§. X. Profecto ipſe Gentium Doctor ad *Gal. cap.* 1. hæc ſcri-

(a) Adverſarius miratur, Lucam ſiluiſſe res a Majoribus noſtris de Paulo traditas: & tamen ille idem vult, Scriptorem eumdem reticere debuiſſe loca memorabilia, per quæ Pauli navim ex Inſula Dalmatenſi Syracuſas adire ipſe facit! Magis quidem mirandæ hujuſmodi offuciæ, & contradictiones mihi videntur, quam Lucæ ſilentium. (b) Breviarium Romanum hæc habet de Chryſoſtomo: *Cui Paulus Apoſtolus, quem ille mirifice coluit, ſcribenti & prædicanti multa dictaſſe videatur*.

ſcripſit : *Continuo non acquievi carni & ſanguini, nec veni Jeroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abii in Arabiam, & iterum reverſus ſum Damaſcum &c.* Et tamen de hoc Pauli in Arabiam itinere, ac Damaſcum reditu Apoſtolicus Hiſtoriographus nec verbum quidem. Idem Apoſtolus 2. *Cor.* 11. 24. inquit *Quinquies quadragenas una minus accepi, ter virgis cæſus ſum.* Et tamen Lucas ſemel memorat, eum vapulaſſe quum nempe Philippis, Ma-
Act. 16.22. cedoniæ urbe, una cum Sila virgis fuerit percuſſus. *Sciſſis tunicis eorum juſſerunt virgis cædi.* Necnon in Martyrologio Romano ad diem vigeſimum Novembris hæc leguntur : *Iconii in Licaonia Sanctarum Mulierum Tryphænæ, & Tryphoroſæ, quæ Sancti Pauli prædicatione, & exemplo Teclæ in Chriſtiana diſciplina plurimum profecerunt.* Ipſas quoque commendat, ſalutatque Apoſtolus *Rom.* 16. 12. Lucas tamen nullam earum mentionem facit, ſed ſatius
Act. 14. 1. duxit hæc tantum ſcribere : *Factum eſt autem Iconii, ut ſimul introirent (*Paulus, & Barnabas*) in Synagogam Judæorum, & loquerentur; itaut crederet Judæorum & Græcorum copioſa multitudo.*

„ §. XI. Quid plura? *Alia quoque graviſſima* (ſunt verba Baronii) *fuiſſe a S. Luca prætermiſſa S. Hieronymus manifeſte teſtatur iis verbis* : Nec mirum eſt, ſi Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, Hiſtoriographi licentia prætermiſerit : & non eſſe contrarium, ſi quod alius ob cauſam dignum putavit relatu, alius inter cetera dereliquit. Et quidem in brevitatis gratiam multa a Scriptoribus, præſertim ſacris, præteriri aſſolent. Quod non ſolum obſervari poteſt in Actis Apoſt. in queis Lucas, ut oſtendebam, plura & relatu digna de Paulo ſcribere minime curavit; verum etiam in ipſis Evangeliis, in quibus majorem rerum a Domino geſtarum partem ſiluerunt Sacri Evangeliſtæ. Quapropter D. Johannes ſuum terminavit Evangelium his verbis : *Sunt autem & alia, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.*

§. XII. Sed quoniam de Lucæ ſilentio res eſt ; ſatius duco illius ipſius, quam aliorum Evangeliſtarum, in ſcribendo ſtylum ac morem expendere. Quem nam autem Hiſtoriæ ſuæ colophonem ille i ponit? Hunc ſane : *Manſit au-*

autem (Paulus) *biennio toto in ſuo conducto : & ſuſcipiebat omnes , qui ingrediebantur ad eum : prædicans regnum Dei , & dicens quæ ſunt de Domino Jeſu Chriſto cum omni fiducia ſine prohibitione* . Anne vero hinc elicias, Thaumaturgum gentium Doctorem toto biennio illo nulla miracula perpetraſſe, nulloſque Romæ incolas ad Chriſtum perduxiſſe; quum utrumque ſilentio involvat Sacer Evangeliſta? Haud equidem, ſi acetum habeas in pectore. Ita plane quæ de Paulo heic commorante priſci Melitenſes tradiderunt, falſa eſſe nequaquam elicias ex eo quod Lucas illa prætermiſerit. Multo quidem minus cum incauto noſtro Critico aſſerere poteris, quod ejuſmodi Traditiones ipſum notent tamquam *nauci Scriptorem*, *oſcitantem*, *incurioſum*.

§. XIII. Aſt o! quot inclitos cordatoſque populos inconſiderata iſta cenſura notat, objurgatque Zoilus noſter. Siquidem & Siculi ſuas habent traditiones de rebus a Paulo geſtis, quum is e Melita Romam contendens per Siciliæ loca tanſiret, quas quidem Lucas ſilentio involvit. Necnon Neapolitani, ſeſe a Majoribus ſuis accepiſſe adſeverant, quod Apoſtolus in eodem itinere ad ipſos excurrerit. Th. Maſſut. in Vit. S. Paul. l. 11. c. 11. *Quod ſane* (inquit Maſſutius) *propter locorum vicinitatem , & Fideles tum Puteolis , tum Neapoli eo tempore manentes , ac impetrata a Centurione dierum ſeptem in ea regione mora , non eſt improbabile* . Quid quod plurimi illuſtres Populi gloriantur ſeſe ab aliis Apoſtolis alia beneficia conſequutos eſſe , quæ nonniſi per hujuſmodi Traditiones comperta ipſi habent? Ergo-ne omnium iſtorum Populorum Traditiones haud ſecus atque noſtræ Apoſtolico Hiſtoriographo, aliiſque rerum ab illis geſtarum Scriptoribus *incurioſitatis* atque *oſcitantiæ* notam impingunt? Ita quidem opinatur petulantiſſimus noſter Zoilus; ſed in valde diverſam ſententiam abeunt æqui rerum æſtimatores: Quorum unus ita concludit: *Itaque ſicut e ſilentio Lucæ non apte conſequitur, illa ipſa navigatione Paulum nihil per tres menſes Melitę prędicando egiſſe: Inſulam cum ſuo Principe Publio minime ad Fidem adduxiſſe; Melitenſibus Paſtorem & Epiſcopum minime dediſſe; quę tamen Lucas non narrat: ſed pręter Martyrologiorum veterum fidem, quorum meminit Baronius (ad An. 59.), conſtans omnium Inſularium* Melch. Incofer. de Ep. B. V. ad Meſſ. conject. 5.

Traditione accepta vox eſt, eademque nobis, anteq:am hęc ſcriberemus, Melitę non exiguo tempore (a) commorantibus explorata.

§. XIV. Verumenimvero Adverſator e naſſa (b), ut Plauti utar adagio, eſcam petit. Nempe ipſe, dum nos D. Lucam, tamquam *nauci Scriptorem*, *oſcitantem*, *ac incurioſum* Traditionibus noſtris notare dictitat; nequaquam advertit, ſeſe D. Paulo pejorem notam inurere. Siquidem ipſe propemodum exiſtimare, aut ſaltem ſuo loquendi modo innuere videtur, Apoſtolum toto trium menſium ſpatio heic otioſam vitam traduxiſſe, atque Apoſtolici ſui miniſterii ferme oblitum, aut flexanima ſua eloquentia deſtitutum, nullos ex tot Melitæ incolis ad Chriſtum perduxiſſe: quum Lucas de hujuſmodi converſionibus nihil tradiderit; ille autem nonniſi a Luca tradita de Paulo heic commorante credat, recipiatque. Aſt abſit nobis quidpiam ſimile ſentire. Sed una cum prælaudato Melchiore, aliiſque cordatis, piiſque Scriptoribus non moroſe, ſed ingenuo liberoque animo credamus, quod prudentiſſimi Majores noſtri tradidere, nempe quod Apoſtolus, huc naufragio ejectus, multa huic Inſulæ beneficia contulerit, idque potiſſimum quod eos ad Chriſti fidem adduxit, viamque ſalutis edocuit. Quis enim ſibi ſuadere poterit, Gentium Doctorem, Sanctique Spiritus Apoſtolum in Inſula noſtra corporum infirmitates utique curaviſſe, animarum vero morbos ac mortifera vulnera ſanare minime voluiſſe, aut non potuiſſe? Quidquod ipſe Adverſator alibi contendit, Paulum nequaquam in Melitenſi Crypta delituiſſe; propterea quod eum poſuerat Deus
Inſp. 7. Dia. tr. 3. §. 2. *in lucem gentium*; & de quo Chriſtus Dominus dixerat: *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael?* Cur ego eumdem Apoſtolum & Melitenſibus Dei verbum annunciaſſe, ipſoſque ad Fidem perduxiſſe, ille idem non fateatur?

§. XV. Quoniam vero de converſionibus ſermonem habemus, & obſtinatiſſimus noſter Antagoniſta mihi videtur ad veritatis lumen converſus. Nempe ab impugnandis humanis Traditionibus ipſe deſiſtit. Sed quis adeo male cautus eſt, ut doloſo iſti Tergiverſatori credere velit? Quippe

ad

(a) Producat Adverſarius, ſi potis eſt, vel unum teſtimonium iſti ſimile.
(b) Id adagium reſpexit Tullius, quum dixit: *Ex hac naſſa exire conſtitui non ad fugam, ſed ſpem mortis melioris.*

ad aliam fruſtrationem inhæret, adſeverans, Melitæis quoque Dalmatenſibus eſſe per manus a Majoribus traditum, quod in eorum Inſulam naufragus enataverit Apoſtolus. At, bona verba, mi Veterator. Ecquis unquam priſca ætate ejuſmodi Traditiones, quas nunc in medium profers, vel audivit, vel retulit, aut literarum monumentis mandavit? Næ ad quintum uſque ſæculum Traditiones iſtæ neutiquam innotuerant. Equidem eminentiſſimus Arator, non in Illyricam, ſed in noſtram Inſulam, *Sicanio lateri vicinam*, naufragio ejectum fuiſſe Apoſtolum tradidit: ſi autem ævo ſuo viguiſſent Melituſiorum Traditiones; has minime ignoraſſet, neque reticuiſſet prudentiſſimus iſte Scriptor, rerum Dalmaticarum optime gnarus: multoque magis hujuſmodi gloriam eis abjudicaret, quibus fuit adeo ſtudio conjunctus, ut ipſorum Oratoris ad Juſtinianum Imperatorem munus geſſerit. Verumenimvero nullus Scriptorum (a) nullus ante Conſtantinum Porphirogennetem Pauli naufragium Melitenſibus Dalmatæis adjudicavit.

§. XVI. Quod ſane inficiari non valens Contradictor noſter, ita cornicatur: *Vetuſtæ ſunt Maltenſium Traditiones, inquies. Age ſint: certe quidem ſcimus poſſe falſitatem quoque, erroremque ſeneſcere; nec ideo tamen eis accidit quod vino Falerno vel Maſſico, ut diuturnitate miteſcant*. Audiſtin' cenſuram Catone dignam! Haud pol Criticæ regulas ille novit, ac ne quidem a limine ſalutavit. Eas itaque perdiſcat ab alio Monacho ejuſdem, atque ſui, inſtituti, hæc docente: *C'eſt une regle de Critique reçue par tout le Monde (b), qu'un fait biſtorique rapportè par des Auteurs contemporains eclairez, & de bonne foi, & qui ne ſont contredits par aucun autre auteur plus ancien, ou plus inſtruit, doit paſſer pour indubitable*. Quibus conſona profert eruditiſſimus Sarnellius, aſſerens, in hujuſmodi rebus aſſentiendum eſſe Antiquioribus juxta regulam illam: *Quo antiquior in biſtoria, eo præſtantior in veritate. Ex Tertull. de Præſcr. adverſus Hæreſes cap. 31. Ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe Dominicum, & verum quod ſit prius traditum: id autem extraneum & falſum quod ſit poſterius immiſſum*. Iſtis

Aug. Calmet. in Diſſert. de D. Petr. Romam itiner.

(a) Etſi Adverſarius jactet ſibi ſuffragari plurimos veteres Scriptores, tamen præter Conſtantinum nonniſi decem alios recentiores allegat: quandoquidem Fautores noſtros non una ferat navis.

(b) In toto tamen Mundo ſolus peregrinus noſter Antagoniſta, novus Criticæ Magiſter.

Laur. Cozz. in Vindic. Areop. part. 1. c. 1. Iren. a Cruc. Hiſt. Tergeſt. l. 6. c. 1.

conſentiunt Laurentius Cozza, & Irenæus a Cruce, Ciaconium allegans: quorum primus ita loquitur: *Ubi agitur de re vetuſta, proximiori illius ætatis Scriptori fides magis adhibenda eſt, quam ei qui non ita ei ætati proximus cenſetur*. Atqui Melitenſis Pauli Naufragii tempeſtati (*a*) proximior eſt Arator Diaconus a nobis ſtans, quam Porphirogenneta contrariæ factioni favens: ille prudentior, clarior, fidelior, quam iſte: inſuper ille, rerum Dalmatenſium apprime peritus, opus ſuum, in quo Apoſtoli naufragium Inſulæ noſtræ adſcivit, coram Vigilio ſummo Pontifice, ac veneranda plurimorum Cardinalium, Præſulumque, ac ſapientum virorum corona, omnibus plaudentibus, recitavit; Conſtantinum vero fuiſſe virum oſcitantem, ac vino deditum, teſtatur Johannes, quem alias allegavi, Curopalates. Utri ergo magis adhibenda fides eſt? Judicet, qui Adverſarii Falerno (*b*) ſeu verius Peligno madidus non ſit.

Liv. l. 7. c. 6.

§. XVII. Quod ſi demum, ut ait Hiſtoriographorum facile Princeps Livius; *famæ rerum ſtandum, ubi certam derogat vetuſtas fidem*; quanto magis ſtandum eſt Traditionibus noſtris, queis pleniſſimam fidem conciliant non ſolum tot veterum æque atque Neotericorum Auctor teſtimonia; ſed etiam res a Sacro Evangeliſta, *Act. 27. & 28.* narratæ, quæ, ut vidimus in *ſuperioribus Diſſert.* ipſis conſonant, & adamuſſim conveniunt? Quis igitur cordatus ipſas non præferat Melituſæorum Traditionibus, ſi quæ ſint; quibus nedum ſcriptores innumeri refragantur, ſed & ipſa Lucæ narratio obſtat, repugnat, reluctatur? Et quidem Traditiones auctoritate, atque conjectura corroboratas adprobat acerrimi vir ingenii Honoratus a S. Maria, qui tamen aſſerit, recipi a Criticis Traditiones, quæ in ſuo primordio nec auctoritate, neque conjectura fulciantur. *On ne trouvera gueres de Traditions* (ille inquit *loc. cit.*) *de celles qu' on*

(a) Is nempe floruit initio ſexti ſæculi; eique conſonat Gregorius Magnus, ut in ſequenti *Diſſert.* §. 13. exponam; Conſtantinus autem Porphirogenitus ſcribebat circa medium decimi ſæculi; obiitque Anno 959. veneno ſublatus a Romano filio, cui librum ab Adverſario allegatum nuncupaverat. Vide Morerium verbo *Conſtantinus*.

(b) Falernum vinum optimum; Pelignum autem fæcatum ac tenue: quod famulis bibendum eſſe, monet Martialis:

Maſſica Peligni mittunt turbata Coloni:
Non tu, Libertus ſed bibat illa tuus.

Digitized by Google

on appelle populaires, qu' en ayent plus l'air, que celles que nous venons de rapporter. Ce pendant, nos Critiques ne laiſſent pas d'en tirer des preuves pour certains faits hiſtoriques, quoy qu'ils ne ſoient fondez dans leur ſource, ni ſur l'autorité, ni ſur la conjecture. Il ſemble donc que cela devroit obliger d'ajouter la Tradition ou la creance des peuples quand elle eſt raiſonable, auſſi bien que les uſages des Egliſes, au temoignage & a la conjecture, pour en faire deux nouveaux principes de la Critique &c. Quid autem ſi conjecturis urgentes rationes, ac teſtimoniis publica monumenta, ut ſunt quæ prolatum jam eo, adjiciantur?

DISSERTATIO VIGESIMA

Et ultima.

De Monumentis Melitenſium Traditiones corroborantibus, & maxime de Crypta Paulina.

§. I. Equidem, ut ajebam, non ſolum innumeris auctoritatibus ac rationibus, a nobis hactenus allatis, Traditiones noſtræ fulciuntur; ſed etiam pluribus antiquis monumentis ipſæ confirmantur. Antagoniſta vero noſter, qui nulla pro ſe monumenta adducere potis eſt, Æſopicam vulpem æmulatur, quæ botros e ſublimi trichila pendulos ſuſpiciens, & aſſequi non valens, eos tamquam immaturos deſpexit: Haud ſecus ipſe memorias noſtras deſpicatui habet, minimique ducit. Verumenimvero ipſas, uti decet, magnifaciunt æqui rerum æſtimatores. Profecto Græcorum Poetarum Principem diverſi Populi civem fuiſſe ſuum contendebant; ſed Romanæ eloquentiæ Parens, ejuſmodi gloriam Smyrnæis adjudicavit; propterea quod iſti publico documento illum ſibi adſciverant. *Homerum* (inquit) *Colophonii civem eſſe dicunt ſuum: Chii ſuum vendicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi* Cicer. pro Arch.

næi vero ſuum eſſe confirmant, itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt. Audin? ſuum eſſe confirmant qui delubrum ejus dedicavere. Noſter igitur, noſter eſt Paulus Naufragus, quem ſane nobis vindicamus non modo pluribus Templis in ejus honorem olim Deo dicatis, ſed & multis aliis veteribus monumentis. Exponamus præcipua.

§. II. Et primo quidem ſeſe nobis offert fortunatiſſimus ille Sinus, qui ab ipſo Naufragi Apoſtoli nomine dicitur, *la Cala di S. Paolo*; in quo conſpicitur celebris *locus dithalaſſus*, a Luca deſcriptus. Hunc nedum Indigenæ, ſed etiam exteri viri eruditiſſimi recognovere: atque Apoſtolici Hiſtoriographi narrationi ipſum convenire comperuerunt, ut *in Diſſert.* 11. exponebam. Necnon totus terræ tractus huic *dithalaſſo loco* contiguus, ab ævo immemorabili priſcis Inſularibus, Arabice loquentibus, *tà Bules*, in præſentiarum corrupte, *tal Puales*, ideſt *Pauli* vocatur. Neque ſolum in hoc ſinu *Dithalaſſus* iſte locus, ſed etiam multa alia Paulini adpulſus monumenta recognoſcuntur, quæ rudi ſchemate, hiſce Diſſertationibus præfixo, ob Lectoris oculos ponere operæ pretium duximus.

§. III. Hunc igitur Sinum ingredientibus conſpicienda occurrit (*a*) Ædicula in lævo ejus cornu olim exſtructa, Deoque in Apoſtoli Naufragi honorem conſecrata: Quam tot annorum lapſu corruentem M. Magiſter Alophius de Wignancourt proprio ære denuo conſtrui atque ornari curavit Anno 1610. Neque vero putet Adverſarius, nos maximi beneficii a Naufrago Gentium Doctore huic Inſulæ collati, memoriam una iſta ædicula conſervare ac recolere: ſed ille noverit, crebra heic altaria (*b*) ac Templa in ejus honorem a Majoribus noſtris erecta: inter quæ principem locum obtinet Cathedrale Templum in urbanis Publii ædibus conſtructum, ut infra differam. Neque autem heic deſunt Fana, & altaria, huic glorioſiſſimo Pauli hoſpiti ac diſcipulo: quippe præter illud a nobis memoratum *in Deſcr. Melitæ §.* 12. viſuntur diverſæ aliæ Aræ in variis Eccleſiis in ipſius honorem Deo dicatæ: Necnon in præſentiarum ædificatur in novo Suburbio *a Vilbena* dicto (*c*) Templum Pa-

(a) Vide noſtrum typum n. 2. (b) Heic ſane decem Templa, & quinque Altaria ſunt, majori ex parte titulo *Naufragii*, vel *Adventus S. Pauli*, inſignita; præter ea quæ in Gaulo viſuntur. (c) Ideſt cognomen Em. Principis feliciter Regnantis, ſub cujus auſpiciis ſuburbium iſtud conſtructum eſt.

Parœciale, in cujus Ara Majori Deiparæ Virginis, noſtrique Præſulis ac Martyris icones coloribus exprimuntur. Haud vero minori Pauli pietate venerantur Gaulitani: quidpe iſtorum Majores Templum, & quatuor altaria in totidem Eccleſiis in ejus honorem erexere ipſius beneficiorum neutiquam immemores: nempe ei referunt acceptum, quod ex Idolatriæ tenebris ad veram Fidem fuerint adducti; ut infra contra Criticum noſtrum ſtatuemus.

§. IV. Juxta id Fanum S. Pauli *tal babar*, ideſt *maris*, Indigenis dictum ſcaturit limpidiſſimus aquæ dulcis fons, quem in litoris margine ad levandam naufragorum comitum ſitim e caute Apoſtolum eduxiſſe fama vetus. *Alter Fons* Hier.Mand.
Paulinianus (inquit Manduca) *ex arenti ſolo in mare pro-* Hiſt. MS.c.
fluit, cui nomen Aayn Razzun ...... ignota nunc Indige- 3.
nis ſignificatione nominis; at Syris & Phœnicibus fontem Apoſtoli ſonat &c. Hinc elicere poterit ingenuus Lector, quam antiquum ſit hoc monumentum: quippe hujuſmodi nuncupationem fons iſte proculdubio ſortitus eſt ab antiquiſſimis iis Melitenſibus a Phœnicibus oriundis, ut in *Deſcript. Melit.* §. 38. & in *Diſſert.* 8. §. 11. quos *Barbarorum* nomine indicavit Lucas. Et quidem ejuſmodi denominatio tribui non poteſt Arabibus aut Saracenis, qui ſeculo nono hanc Inſulam occuparunt; quum ea dictio nec Arabica ſit, neque Saracenica, neque Melitenſibus linguas iſtas callentibus nota; enimvero adtribui debet Carthaginenſibus tunc heic permanentibus, qui teſte Cluverio, Græcis φοίνικες, *Phœnices*, indeque Latinis *Pœni* dicti ſunt. Cluv. Sic.
Phœnices, indeque Latinis *Pœni* dicti ſunt. Quod autem antiq. l. 1. c.
ejuſmodi fontem miraculoſe exciverit Paulus, vel ex eo 16.
conjici poteſt, quod e caute ſolidiſſima ipſe proſilit, licetque a ſalſis undis parum diſtet; tamen dulces aquas effundit. Neque enim ullum eſt indicium quod a fontanorum laticum per ſubterraneos meatus ad mare labentium curſu promanet: neque ab ipſo mari provenire is dicatur; ſiquidem aquæ marinæ, parvulo duarum ulnarum tractu ſub terram decurrentes adeo purgari non poſſunt, ut ſalſedine depoſita dulceſcant. Epigraphen autem fonti iſti appoſitam jam viderit Lector meus in *Deſcript. Mel.* §. 6.

§. V. Attamen Zoilus noſter, quum adeo pulchræ Paulini Naufragii memoriæ nihil ſevero Critico dignum opponere valeat, ineptis, ne dicam ſcurrilibus, nugis ipſam laceſ-

Digitized by Google

Inſp. 7. Diatr. 6. §. 4. ceſſit. *Verumtamen* (inquit) *cogitanti mihi quas etiam tum ærumnas Socii Paulini ab aquis pertulerint, quamque in ignotam oram inopes, madidi, ac frigefacti, enataverint, vehementer mirari ſubit, quare thaumaturgus Apoſtolus rerum omnium indigentibus non aliud in litore obtulerit, quam aquam inutilem* (*a*). *Nonne hoc ſe crudelem præbere, nec miſeros adjuvare cum poſſet; nonne hoc calamitoſis illudere fuit, nonne hoc intempeſtivis miraculis, virtutem Divinam* (*ita dixero*) *ſine neceſſitate prodigere? Si id verum fuiſſet, dixiſſet utique ærumnoſa illa enatantium turba, importunum ſtomachata prodigium: Ex aqua evadimus, algor enecat, impendet imber, fracti, madidique igne, tecto, refectione indigemus, non aqua. Quid lotis lavacrum objicis?* Oἷ παν τὸ ὕδωρ τὸν φαρυγγα πνίγῃ, τίδεῖ ἔτι πίνειν. *Quid opus eſt amplius potare, quum aqua quam in mari exorbuimus, jam ſtrangulet fauces?* Mihi autem videtur oratio tam inſulſa minime proferri potuiſſe ab eorum ore, qui tantam ſalſedinis copiam hauſerant. Et quidem Criticus noſter ſeſe neſcire oſtendit, quam inepta ſit levandæ ſiti, faucibuſque refocillandis marina limpha. Hoc plane non ignorabant miſeri illi naufragi, qui mortis diſcrimine, undarum rabie, corporis exagitatione, ac natatu fatigati, defeſſi, ac ſitibundi, ſalſarumque aquarum potu ſuffocati potius quam refecti, næ dulces latices inhiabant, ut & ſitim, & ſalſedinem faucibus admiſſam lenirent. Unde enimvero elicit Adverſator, clementiſſimum Apoſtolum nihil aliud, quam puram aquam ſociis naufragis obtuliſſe? Nonne ſane ipſius meritis adſcribendum eſt, quod Publius triduo eos lauto humanoque hoſpitio exceperit? Anne madidis & frigefactis ignis, & eſurientibus cibus defuit? Adeo-ne cito Zoilus noſter oblitus eſt Sacri Evangeliſtæ verborum, queis hic rotunde affirmat, naufragam illam catervam utroque fuiſſe refectam? Agnoſcat igitur Adverſarius ac veneretur Apoſtoli noſtri virtutem qui ſane nihil minus, quam antiquus (*b*) Moyſes e cautibus fontes excire potis erat: quinimo hujuſmodi virtutem Paulum peculiariter decuiſſe fateatur: ſiquidem eam

(a) Contra quam dixit Pindarus optimam rem eſſe aquam; ſed forte (ſi jocari licet) Adverſario magis vinum arridet. (b) Sic ait Adverſarius, Traditiones noſtras irridens: *Novos fontes Moſaico miraculo e cautibus eduxiſſe* (Apoſtolum) tradunt Melitenſes &c.

Digitized by Google

eam a Divina æquitate conſequi Apoſtolus promeruit tot tantiſque ærumnis, ac periculis, quæ in aquis ipſe pertulit, quatuor (a) naufragia perpeſſus.

§. VI. Profecto hiſce noſtris Traditionibus ac monumentis conſonant Traditiones & monumenta Siculorum, penes quos & Fana in Pauli honorem erecta, & fontes, ab ipſo mirifice eductos teſtatur Maſſutius hiſce verbis: *Hujus tranſitus* (Pauli hinc abſceſſi per Siciliæ loca) *plura in illis littoribus Siculi oſtendunt erecta monumenta, Eccleſias S. Paulo dicatas, fontes curandis morbis, & ſerpentum morſibus ſalutares*. Hujuſmodi fontes a Paulo in Sicilia productos ſingillatim recenſet prælaudatus Manduca in *ſua Hiſt. MS. capp.* 10. *&* 11. ubi inter alia tradit, Apoſtolum non longe ab Opido (b) Inſpiceſundo fontem exciviſſe, cujus aqua contacti angues torpeſcunt ac moriuntur. Neque vero tantum inter vivos agens, ejuſmodi beneficia nobis ille contulit, ſed & cœleſti vita perfruens huic urbi, cui Valletta nomen, aquis indigenti mirifice conſuluit. Nempe clementiſſimo noſtro Protoparenti adſcribendum arbitror irriguum fontem, quem non abſque miraculo in hac nova civitate inſperatum proſiliiſſe teſtatur fideliſſimus & accuratiſſimus Rer. Jeroſolymitani Ord. Hiſtoriographus. Deſinat igitur Zoilus noſter ejuſmodi Traditiones ac monumenta parvipendere; quæ quidem ſaniore ſententia recipiunt adprobantque Cl. Viri Cornelius a Lapide, Octavius Cajetanus, Thomas Maſſutius, Franciſcus Carrera, Burcardus Niderſtedius, & alii.

Th. Maſſut. in Vit. S. Paul. l. 11. c. 11.

Th. Boſius P. 3. l. 37.

Corn. a Lap. in Act. 28. Cajet. Iſag. c. 19. Carrer. in Append. Panch. Sic.

§. VII. In eodem terræ tractu ſita erant Prædia, ædeſque campeſtres *Principis Inſulæ nomine Publii*; quarum reliquiæ uſque ad ævum Hieronymi Manducæ, ut ipſe teſtatur, nempe circa medium ſæculi anteacti, cernebantur in loco ſignato *num.* 4. *in noſtro typo*. Prædiorum quidem iſtorum ſitum digito indicaſſe videtur Lucas, quum dixit, ſecundum Adverſarii verſionem: *Porro in ſpatiis circa locum illum* (dithalaſſum) *erant prædia per-*

(a) Siquidem ante Melitenſe naufragium alia tria ille tulerat, quæ ipſemet innuit 2. *Cor.* 11. 25. Hanc autem epiſtolam ſcripſit Apoſtolus Anno 57. ut affirmant Joh. Croiſet, & Auctor exactiſſimarum Tabularum Chronologicarum, quas videre eſt ad calcem Sacr. Bibliorum juxta editionem Pariſienſem Antonii Vitrè. Melitenſe vero naufragium ſecundum eumdem Chronologum contigit Anno 61 licet alii id retrahant ad an. 59. vel 58 ut vidimus *in Diſſert.* 16. (b) Vulgo *Spaccaforno* non longe a Syracuſis diſtante.

pertinentia ad Primatem (*ſeu Principem*) *Inſulæ*. Quidpe iſta non erant in ipſo litore, ſed in ejus *ſpatiis*, videlicet introrſum verſus terram, recedendo paululum a mari, neque in loco illo marino ac *ditalaſſo*, ſed *circa locum illum*, ut videre eſt in noſtro ſchemate, in quo licet diſtantias locorum in ipſo adumbratorum exacte delineare minime curaverim, tamen monumenta noſtra, horumque ſitus a Lectore meo recognitum iri non dubito. Ibi autem Apoſtolum ab exitiali vipera laceſſitum, ipſaque in flammas excuſſa mirifice ſervatum fuiſſe incolumem tradunt. Ea quidem Prædia ad Inſulæ Principem ſpectaſſe vel argumento eſt antiquiſſima ipſorum denominatio, nempe *Benuerèt*, hodieque mutata ultima vocali, *Benuerrat*: quæ ſane Arabica dictio nihil aliud ſonat, quam prædia *Filii Hæreditarii*: quum enimvero dicatur *Filius Hæreditarius*, per antonomaſiam indicatur is qui inter ceteros filios Parentum ſuorum hæreditatem conſequuturos, principem locum obtinet: qui ſane titulus Publium noſtrum decebat, utpote hujus Inſulæ *Principem*, ſeu *Primatem* a Luca nuncupatum; propterea quod ipſe inter ſuos Municipales generis ac fortunæ ſplendore emicabat; ut vidimus in *Diſſert.* 15. Neque ſecus enim, quum Poetam dicimus, Maronem Poetarum Principem innuimus, quum Oratorem nominamus, Tullium inter ceteros Oratores eminentiore loco conſedentem indicamus.

§. VIII. In hujuſmodi autem monumentum Antagoniſta noſter ita garrit: *Ad certiorem dithalaſſi notam tradit Abela, inde non procul fuiſſe in clivo quodam ædes Publii ad Orientem & ſeptentriones obverſas. Unde id novit vir nuperus? Ex hiſtoria MS. cujuſdam P. Manducæ. Sed unde P. Manduca item Scriptor recentior, tam antiquam notitiam hauſit? Ex ruderibus vetuſti palatii quæ in eo loco viſuntur ingentia. An quid certius præterea? Nihil plane. Igitur hoc fundamento tota inſiſtit opinio: Ruinæ ibi magnificarum ædium ſuperſunt: ergo ædium Publianarum*. Dum vero concluſionem adeo ineptam nobis impingit, ſe ipſum carpit, deridetque Zoilus noſter: qui nempe in *Notitia Melitæ Illyric.* §. 5. ita loquitur: *Etiamnum magnificarum ædium* (*Palatium hodie vocant*) *rudera Græcanicæ ſubſtructionis viſuntur in interiori receſſu portus qui propterea Palatinus dicitur*: *perhibentque tam nobile ædificium Oppiano quon-*

Inſp. 7. Diatr. 4 §. 8.

quondam Patris ſui συνενδήμω præbuiſſe & domicilium & Muſæum. Liceat nunc nobis paria paribus referre. Quisnam is tradit? Antiquorum certe nemo. Si quis eſt Auctor nuperus; unde id novit hauſitque? Ex ruderibus magnificarum ædium Græcanicæ ſubſtructionis, quæ in eo loco viſuntur ingentia. An quid certius præterea? Nihil plane. Igitur hoc fundamento tota inſiſtit opinio: Rudera ibi magnificarum ædium Græcanicæ ſubſtructionis perdurant: ergo ædium Oppianarum. Ita ſane admirabilis iſte Criticus ut facilia creditu habet quæ tradunt Melituſii, tacentibus cujuſvis ætatis Auctoribus; tamquam abſurda vero & incredibilia reſpuit quæ tradunt Melitenſes, vel Sacræ Scripturæ, graviumque Scriptorum auctoritati innixi: ſiquidem Sacer Evangeliſta affirmavit, Publii prædia ſita eſſe *in ſpatiis circa locum illum*, nempe dithalaſſum noſtrum, ut ſupra oſtendebam. Quanti autem facienda ſit Manducæ auctoritas; undeque hujuſmodi notitiam hauſerit, ex iis quæ vidimus in *Diſſert.* 11. §. 9. perſpici poteſt.

§. IX. Non longe a Publianis prædiis ſitum eſt Opidum *Naſſar* Indigenis dictum; cujus incolæ gloriantur, ſeſe omnium Inſularium primos ad Chriſtum fuiſſe a Paulo perductos. Revera id nominis oritur ex dictione *Naſſara*, quæ vernaculo idiomate *Chriſtianos* ſonat: ita ut ii per antonomaſiam Chriſtiani audierint qui priores Chriſto nomen dederint. Et quidem ipſi ceteris Inſularibus viciniores erant campeſtri Publii domo, ubi naufragus Gentium Doctor hoſpitio ſuſceptus, divinæ ſuæ eloquentiæ, ac miraculorum, virtutem oſtendit. Ita plane æqua ratio poſcebat, ut quibus primum obviam is venerit, eis primo Dei verbum annunciarit, Chriſtoque adſciverit. Ex iſtorum numero fuiſſe Agricolas illos *Barbaros*, quorum humanitatem commendat Apoſtolicus Hiſtoriographus, in dubium revocare nemo cordatus debet: quandoquidem id nedum Traditione atque huic conſona nuncupatione evincitur, verum etiam ratione minime contemnenda confirmatur: Quinam enim alii in *ſpatiis* illis agreſtibus prope litus *dithalaſſum* inveniri poterant hora adeo matutina, inhorreſcente bruma, imminente imbre, ſæviente Æolo æque atque Neptunō; niſi rudiores Opidi vicini accolæ, propinquorum prædiorum ac vinearum (*a*) culturæ operam navantes?

(a) Vineas ibi fuiſſe argumento ſunt ſarmenta, quorum *aliquantam multitudinem congregavit, & impoſuit ſuper ignem Apoſtolus*.

tes? De iſtis quidem Agricolis loqui intellexit Eminentiſſimus Arator, quum cecinit.

Haud procul hinc aberant agreſtia corda gerentes
Barbarica de gente ſati.

§. X. Ab intimo Paulini ſinus receſſu paſſus fere mille diſtans viſitur Ædicula S. Johannis, Indigenis tal *Kereb*, ideſt *ruinarum* dicta, Publii prædiis proxima. *In eo Sacello* (inquit Manduca) *Pagorum vicinia conſtanter affirmat, comitatum nauticum S. Pauli, miro modo e tempeſtate maris elapſum, aquis Baptiſmi initiatum fuiſſe*. Idem affirmant Octavius Cajetanus, Thomas Maſſutius, Petrus Salernus, & alii eruditi Scriptores. Neque vero nobis deeſt ipſorum baptiſmatis monumentum. Nimirum præter propter Annum 1600. quum nonnulli ſpe inveniendi theſauri allecti Fanum iſtud inſtaurarent, invenerunt omni theſauro nobilius vas lapideum, ſeu fontem, ut vocant, baptiſmalem, ibi defoſſum, quo uſum fuiſſe Apoſtolum in abluendo ſacris laticibus ſuo comitatu, prudenter autumant prælaudati Manduca, Maſſutius, Cajetanus: quibus conſentiunt Cl. Viri Cornelius a Lapide, Jacobus Tirinus, Rocchus Pirrus, & alii. Profecto Sacellum adeo parvum Parœcialis Eccleſiæ locum unquam obtinuiſſe memoriæ proditum non eſt: quinimo neque id eſt vero ſimile: ibi enim nullius Pagi, aut domiciliorum, quæ Parœciam conflare poſſent, veſtigia. Itaque fateri oportet, uti tradunt Melitenſes, ibi Apoſtolum luſtralibus aquis ſocios naufragos abluiſſe. Et quidem ſi hujuſmodi monumentum recentiori ævo adſcribendum eſſet, nequaquam Pauli Naufragi tempeſtati id adſciviſſent ingenui Majores noſtri; quorum candor fideſque perſpici poteſt ex hoc alio monumento ſeu Traditione. Nempe ab illis per manus accepimus, quod, quum inclitus ille Comes Normannus Saracenos huic Inſulæ dominantes ſubegerit; Chriſtifideles alienigenæ in quadam valle, quæ hac ex cauſſa ab illo ævo aduſque præſens dicta eſt *Viedirrbum*, ideſt *Vallis Chriſtianorum*, congregati ſunt, exindeque per antiquæ urbis oſtium egreſſi piiſſimo libertatis ſuæ Vindici obviam ivere, geſtantes in manibus quaſdam cruces ex arundine vel ferula compoſitas, & proclamantes *Kyrieleiſon* ad illius pedes provoluti multas illi gratias retulerunt. Quod quum mihi ab homine municipali probitatis, fideique ſpectatæ nuper enunciaretur, nimium quantum gaviſus ſum. Noſtrarum

Hiſt. MS. c. 3.

Cajet. Iſag. c. 19. Maſſut. l. 11. c. 10. P. Salern. in animadv. in Vit. S. Marcian.

Corn. a Lap. & Tirin. in Act. 28. Pirr. Sic. Sac. l. 3. not. 7.

rum enim Traditionum veritatem magis ac magis adverti, atque recognovi. Quidpe apud Gaufredum Malaterram Ordinis S. Benedicti, qui paullo poſt eumdem comitem Rogerium ſcribebat, hæc me legiſse memini: *Videns autem captivos Chriſtianos ab urbe progredientes, præ gaudio ſuæ inſperatæ liberationis ab unoquoque cordis lacbrymis profundi, ligno vel calamis, prout quiſque primo inveniebat, compoſitas cruces in dextris ferentes Chyrieleiſon proclamando, ad pedes Comitis provolvi, noſtros vero ad talem intuitum pietatis affectu lacbrymoſo rore perfundi.* Unde ſatis ſuperque perſpicitur, quod fideliſſimi Majores noſtri Paulinorum beneficiorum memorias cum rebus poſteriori ætate geſtis minime confuderint. Quocirca vera, credibilia, & Pauli Naufragi tempeſtate facta cenſeri debent, quæ Apoſtolo, huc naufragio ejecto, accepta illi retulerunt. Contra quam cornicatur Zoilus noſter, aſserens noſtras Traditiones ac memorias eſse nuperas incertæque ætatis. Gaufr. Malaterra l. 4. c. 6.

§. XI. Sed ingenio Lectori meo volupe erit audire quæ perantiquo ejuſmodi Fontis monumento ille objicit. *Quid enim* (inquit) *ad navigantes ruinæ* (*a*), *ut inde ipſorum baptiſma agnoſcamus? Quid ad Paulum fons baptiſmalis, cujus ætatem* (*b*) *neſciunt vel qui videre? Quid ad ſubitarium baptiſma opera lapicidarum* (*c*), *& concha e duro lapide diutine elaboranda? Cur ſocios Apoſtolus tempeſtate perterrefactos, ſaltem ad incrementum fiduciæ, luſtralibus aquis in mari non abluit? Numquid myſterium fuit, ut mille paſſibus longe a mari, & inter ruderum* (*d*) *horrores baptizarentur? Cur non in ipſo litore?* Aſt, mi Nugator optime, ſi quum eſſent in mari, aut in litore, ii nondum Apoſtolo fidem adhibebant, quo pacto luſtralibus aquis initiari po- Inſp. 7. Diatr. 6. §. 3.

(a) Nota quam inepte, præpoſtere, ac fraudulenter rationes noſtras exponit Adverſarius: Nos quidem non ex meris ruinis, ſed ex illarum ſitu, Traditione, Fonte baptiſmali, aliiſque monumentis, auctoritatibus, ac rationibus concluſionem noſtram inferimus. (b) Ejus ætatem bene noverunt qui videre, & qui non videre. Eam nempe conſignant in Anno 59. quum heic moraretur Apoſtolus Naufragus, ut ex ſupradictis conſtat. (c) Anne is putat, id vas fuiſſe Mentoris opus, aut ex Jaſpide elaboratum? Lapis noſter eſt facile cæduus: & quatuor horarum ſpatio ejuſmodi fontem perficiunt noſtri Lapicidæ. Sed id jam ex Boteto alias ille didicit, licet nunc oblitus videatur; ut infra oſtendam. (d) Is error pejor priore. Tunc enim nulla ibi erant rudera, in quæ nonniſi tanto temporis lapſu redactum eſt vetus ædificium ibi extructum.

poterant? Sane veroſimilius, eſt ipſos ei credidiſſe, quum vitato mortis periculo in terram ejecti, vera eſſe advertiſſent, quæ Apoſtolus prædixerat; & mox hunc a mortiferæ ſerpentis morſu ſervatum prodigioſe incolumem vidiſſent. Qui enimvero ipſi tunc non crediderint, ſi vel *Barbari* adſtantes tantum miraculum admirati eum Deum eſſe putavere? Equidem ejuſmodi prodigia fuiſſe per Apoſtolum perpetrata exiſtimat ſapientiſſimus Chryſoſtomus, ut ejus ſocii ad Chriſti fidem perducerentur. *Vide hæc* (inquit) *omnia fieri propter Paulum, ut credant vincti, milites, & Centurio: nam etſi lapides fuiſſent, propter ea, quæ conſuluerat, & ipſi audierant, & propter miracula, quæ fecerat, & propter beneficia, quibus educati fuerant, de illo utique magna cogitaſſent.*

Chryſoſt. Hom. 54.

§. XII. Hinc etiam perſpicuum fit, quam temere Cajetano ſuccenſeat Criticus noſter propterea quod Apoſtolum comites ſuos ſacra limpha expiaſſe, ille elicit ex his verbis: *Ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum:* necnon ex iſtorum expoſitione a Chryſoſtomo facta: *Quod autem dixit* (Angelus Paulo): *Donavit tibi omnes, non erat arrogantiæ, ſed volentis adduci ad Fidem navigationis ſocios: non ut ipſi gratiam habeant, ſed ut credant iis quæ ab ipſo dicebantur.* Contendit quippe Adverſarius, Cajetanum inepte interpretatum eſſe Angeli verba, quem non de *æterna animarum*, ſed de *corporum tranſitoria* ſalute loquutum eſſe ille adſeverat. Sed ſi alluciuatus eſt Cajetanus, erroris (ſi Deo placet) ſocium habet magnum Chryſoſtomum, qui ſane Paulum perenni ſociorum ſalute donatum a Deo intelligit: quippe poſt ſuper allata verba ſic ille loqui pergit: *Suadens* (Paulus) *quod nihil ſit nocitura tempeſtas, ſed magis illorum animos lucrifactura.* Nec enimvero refragantur, allegata ab Adverſario Lucæ verba, qui poſtea ſubjunxit: *Nullius enim veſtrum capillus de capite peribit.* Nimirum Apoſtolo cum temporalem tum æternam turmæ illius naufragæ ſalutem munifice donavit Deus omnipotens, ut prudenter ſentit Chryſoſtomus.

Act. 27. Hom. 53. in Act.

§. XIII. Attamen rurſus Cajetano inſultat Zoilus noſter, ipſumque Chryſoſtomi ſententiam extorſiſſe dictitat. *Chryſoſtomus enim* (inquit) *voluntatem Apoſtolicam Pauli de convertendis ſociis indicat: de ſecuto converſionis effectu ne hiſcit quidem.* Mihi autem Adverſarius neque Lucæ, neque

Inſp. 7. Diatrib. 6. §. 3.

que Chryſoſtomi, neque Cajetani ſententiam aſſequi videtur. Qui enim dici poteſt quod Chryſoſtomus *de ſecuto converſionis effectu* nil aſſerat, ſi ipſe affirmat, Paulum comitibus prænunciaſſe, fore ut tempeſtas ipſorum animas eſſet magis lucrifactura? Quid enimvero eſt animas magis lucrifacere, niſi eas nedum ad ſalutem, qua jampridem fruebantur, nempe *corpoream*, ſed etiam ad aliam feliciorem, quam nondum erant aſſequuti, ſcilicet *ſpiritalem*, adducere? Anne minime contigiſſe dicendum eſt quod Paulus monente Chryſoſtomo fideliſſimo ipſius interprete, eventurum ſociis prædixit? Ipſe quidem Apoſtolus inquit: *Credo enim Deo quia ſic erit, quemadmodum dictum eſt mihi*. Inſuper nonne ille aſſerit, Pauli comites, etſi lapides fuiſſent, ei fidem adhibere debuiſſe? Si ergo ipſi non fuere lapides, ei certe fidem adhibuerunt, atque ad Chriſtum converſi ſunt. Næ vero lapis eſſe mihi videtur Adverſator qui adeo pervicax & refractarius eſt, ut nec auctoritatibus, neque rationibus moveatur, ſed ſententiæ ſuæ obſtinate hæreat, Act. 27. 25.

. . . . *ceu fluctibus obvia rupes*
Cui neque de Cœlo metus, & fracta æquora cedunt:
Stat cunctis immota minis.

Ejus autem pertinaciam æquo animo fero, quum advertam, quod non modo nobis, ſed vel ſibi ipſe obluctatur, ac repugnat. Equidem ille idem alibi adverſus nos advocat eumdem Chryſoſtomum, utpote aſſerentem, utique *ſequutum* heic eſſe *converſionis effectum*. Ne vero quis eum nota adeo turpi a nobis inuri immerentem putet, eadem ipſius verba accipiat: *Sed forte pauci fideles erant* (in Melita) *nec tantæ auctoritatis, ut publicam ſuperſtitionem* (quam ille conjicit ex Junonis Herculiſque Fanis heic aduſque Ptolemæi ævum permanentibus) *labefactare poſſent. Haud puto; ſi prudens eſt conjectura* (*quam ſibi vendicant*) *Chryſoſtomi affirmantis, multitudinem in illis locis extitiſſe credentium*. Necnon aurei iſtius Scriptoris, atque Gregorii Magni teſtimonia, nobis ſuffragantia, ſibi vendicat: contra quam ſatis abunde nos demonſtravimus, quum Inſulæ Dalmatenſi Paulum Naufragum abjudicaremus. Quocirca nihil aliud heic addam niſi quod D. Gregorius Inſulam ibi noſtram aperte indicat, hanc eadem appellatione nuncupans, qua is utitur loquens de Antiſtite noſtro Lucillo, ipſamque proprio Paſtore carere non poſſe ille idem affirmavit, ut alias oſtendi; Inſp. 6. Diatrib. 5. §. 1. S. Gregor l. 27 Moral. c. 11.

Digitized by Google

di; Melituſſæ vero (quod ego ſciam) numquam ille meminit; neque illam proprium habuiſſe Præſulem memoriæ unquam proditum eſt.

§. XIV. Tametſi haud eis aſſentior, qui Apoſtolum ante perlatum naufragium ſocios ſuos in Fide inſtruxiſſe opinantur. Neque enim in adeo periculoſa, & laborioſa navigatione hujuſmodi inſtructioni operam navare poterant nautæ: Neque prudentiſſimus Gentium Doctor, qui ab Angelo acceperat, ſeſe mortis diſcrimen evaſuros; & in Inſulam quamdam deventuros eſſe; neceſſarium duxerit, eos intempeſtive ac præpoſtere in Fide erudire. Quid ſi quum in undis jactarentur, ut ajebam, Apoſtolo fidem nondum adhibuerant? Verba enim illa: *Donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum*: ſatis accommodate referri poſſunt ad futuram eorum converſionem poſt naufragium eventuram: nempe ſacros codices verſanti paſſim occurrunt præterita, vel præſentia tempora pro futuris uſurpata, ut in eodem Act. Apoſt. loco videre eſt, ubi *donati* jam Paulo dicuntur, Act. 27. 24. quorum nullus capillus erat *periturus*: *Donavit tibi Deus* ib. 34. *omnes* &c. *Nullius veſtrum capillus de capite peribit*. Itaque concludere oportet, quod Apoſtolus comites ad Fidem perduxerit, ut ſupra interpretabar, quum ab exitiali viperæ morſu ſervatus incolumis adſtantium oculos, & admirationem in ſe contraxiſſet; poſteaque illos Fidei rudimenta edocuerit: quæ quidem in hac Inſula per totos treis menſes commorantes, commodiſſime, & abſque intempeſtiva feſtinatione perdiſcere illi valebant. Quamobrem opus non erat *ſubitario*, ut inquit Adverſarius, baptiſmate illos initiare. Neque tum Lapicidis deerat tempus vaſis illius, ſeu *fontis Baptiſmalis* elaborandi; imo & cælatura figurandi, ut innuere videtur Criticus noſter, quum aſſerat: *Quid ad ſubitarium baptiſma opera lapicidarum, & concha e duro lapide diutine elaboranda*: nempe oblitus eſse videtur alibi dixiſse; Inſp 6. Diatr. 6. §. 6. *In Malta lapides ceteris molliores eſſe, itaut (teſte Botero) etiam aratris cedant*. Hujuſmodi autem vaſis, ſeu conchæ antiquitas atque uſus vel ex eo elici poteſt, quod in Syracuſana S. Marciani ſpelunca non abſimile vas fuit in- P. Salern. in animad. in vit. S. Marcian. ventum, ut auctor eſt Petrus Salernus, hæc tradens: *Hoc lavacrum putamus eſſe grande vas ex marmore, quod in ædicula Caſtri Maniacii paucos ante annos projectum vidi, quem in locum ex æde S. Johannis, quæ extra urbem eſt, deportatum*

tum fuerat , ex ipſo nimirum antro , in quo S. Marcianus habitavit , Templumque ac lavacrum poſuit , in quo Syracuſani baptizarentur . In iſta ſpecu ipſi tradunt Apoſtolum a Marciano ſuſceptum , ut infra diſſeram .

§. XV. Paulino ſinui proximus eſt alius ſinus a Salinis dictus. Juxta hujus litus viſitur ſpecus orbiculari forma in caute effoſſus, quem Neophiti Melitenſes, ſuadente Paulo, in Fanum converterunt , atque in Deiparæ Virginis honorem Deo conſecravere . Ibi colitur SS. Virginis effigies a D. Luca, heic una cum Apoſtolo commorante , coloribus expreſſa, ut conſtat non modo ex inconcuſſa Majorum noſtrorum Traditione, ſed etiam ex ipſo opere, adeo mirabili, ut licet eam S. Evangeliſta depinxerit in cruſta gypſea, parieti conjuncta, perque tot ſæcula in loco ſubterraneo, valdeque humenti ſervata, tamen neque gypſea cruſta a pariete ſejuncta eſt , neque colores priſtinum ſuum nitorem amiſerunt . Poſtea hoc Sanctuarium Indigenæ in Templi formam ampliaverunt ; quod fuiſſe ſolemni ritu conſecratum indicant ſeptem rubræ cruces in ejus parietibus depictæ. Tempus vero hujuſmodi conſecrationis a Scriptoribus in dubium revocatur. Nempe Hieronymus Manduca id refert ad Beliſarii in hanc Inſulam adventum , qui Syracuſis diſceſſus huc appulit magna Ducum ac Præſulum Græcorum caterva ſtipatus, & ab iſtis Epiſcopis ritu a Majoribus accepto Ædiculam iſtam ſeptem rubeis crucibus inſignitam fuiſſe autumat: *ſi non prius Paulus Apoſtolus* (ille ſubjungit) *vel Epiſcopi ex Oriente convenientes ad Africæ concilia ædem illam conſecrarunt .* Alii vero ejuſmodi conſecrationem tribuunt Epiſcopis ex Africa eliminat s a Vandalorum tyrannide Anno 498. Guillelmus autem Suppenbergius id conſignat in Anno 402. quum nempe ſub Innocentio I. Imperatoribus Arcadio & Honorio, celebratum fuerit Melivetanum Concilium ; quo peracto Epiſcopos per hanc Inſulam ad ſuas Sedes tranſeuntes id Fanum conſecraſſe ille arbitratur . Alii demum ejuſdem conſecrationis tempus trahunt ad Annum 1089. quando Comes Rogerius Melitam ab immani Saracenorum jugo liberavit ; aut ad minus remotam tempora, nempe ad ævum Martini, vel Alphonſi, Siciliæ Regum, quorum ſane uterque nonnullis Siculis Præſulibus ſtipatus ad eumdem *Salinarum* ſinum adpulit . Mihi autem magis arridet eorum ſententia, qui conſecrationem iſtam ab

Hiſt.MS. c. 4.

Guill. Suppenberg. in Atlant Marium. lib. 3. num. 19.

Eccleſiarchis Orientalibus ab Africæ concilia confluentibus factam fuiſſe opinantur: ſiquidem vel euntes vel remeantes huc adpellere facillime potuerunt; ut quotidie fieri videmus a navigantibus ex Oriente, vel in Orientem. In hoc ſinu Anno 1614. anchoras fixere ſexaginta Turcarum triremes, ſed Virgo Deigenitrix, cujus imago, ut ajebam, a Luca coloribus expreſſa, in eo Sacello colitur, totam ejus oram peditibus, equitibuſque prodigioſe inſtruxit; ita ut truces hoſtes perterrefacti fugam, quam ipſis neſcio quis Cœlitum indicebat, feſtinanter arripuerint.

§. XVI. Sed jam tempus eſt ad alia monumenta tranſire, quæ in antiqua noſtra urbe, olim *Melita*, vel *Mileto*, ſeu *Miletina*, non longe a Paulino ſinu diſſita, exiſtunt. Et primum quidem nobis differendum eſt de celebri, ac veneranda (a) Crypta, quæ glorioſo Pauli nomine condecoratur. Hanc nempe Apoſtolus ſua manſione, vel frequentatione illuſtravit, æternavitque. Hinc eruitur mirus ille, totoque Terrarum orbe celebratiſſimus lapis, albicans, gypſoque cocto ſimilis, vulgo dictus *la Grazia di S. Paolo*: cujus præſentiſſimam virtutem contra venenatorum animantium morſus, mortiferoſque ex virulenta putredine morbos, jam ſatis *in Diſſert.* 9. adverſus Critici noſtri opinionem evicimus. Necnon alio perenni miraculo ipſam nobilitavit Thaumaturgus Gentium Doctor. Etſi enim ex ea tanta lapidum copia eruta fuerit, ac in dies eruatur (b), quanta plures naves onerari poſſent; ipſa tamen vel ut inexhauſta, ac intacta videtur. Neque autem id naturali Melitenſis ſoli indoli tribuendum eſt: namque in nullo alio Inſulæ loco quidpiam ſimile contingit; quod nempe tellus effoſſa succreſcat, ſeque vegetam præbeat; ſed ubicumque, vel juxta eamdem ſacram miramque fodinam, lapides exciduntur, foveæ ſitus, atque ſpatium recognoſcitur, idemque ſemper vacuum permanet, ut exploratum eſt tot ſapientibus viris, qui propriis oculis id obſervarunt.

§. XVII. Iſta quidem ſacra ſpelunca cum ab Inſularibus, tum

(a) Licet ea extra urbem a nonnullis ponatur, tamen olim ipſa erat intra urbis mœnia, ut infra oſtendam. (b) *D' onde* (ex angulo iſtius Cryptæ) *benchè ſi cavi di continuo in tanta copia, quanta ſi ne vede giornalmente mandare per tutto ſin all' Indie, ſta ſempre nel medeſimo ſtato ſenza ſcemarſi: coſa nota ed oſſervata da tutti per miracoloſa, non meno che la polvere del Sepolcro di S. Raimondo in Barcelona* &c. Ita ſcribebat Jacobus Bonamicus Abbati Juſtiniano.

tum ab exteris hominibus magno in honore habita ſemper fuit, ſummaque pietate frequentata, nedum poſterioribus hiſce ſæculis, ſed etiam multo ante Rhodienſis Militiæ in hanc Inſulam adventum: contraquam aſſerit Zoilus noſter, contendens monumenta noſtra nupera eſſe, atque in iſtius Militaris Ordinis gratiam a Sacris Scriptoribus Inſulæ noſtræ Pauli naufragium abſcribi. Enimvero hac de re, præter Pirrum, alioſque eruditos Scriptores idem affirmantes, audiendi ſunt quatuor antiqui teſtes Indigenæ, cum probitate, tum ſenectute venerandi, 128. ab hinc annis examinati ac producti coram R. P D. Leonetto Corbario, tunc Generali harum Inſularum Inquiſitore ac Delegato Apoſtolico, ut compertum habui ex Tabulario curiæ Epiſcopalis antiquæ noſtræ civitatis, ubi etiam adſervantur alia vetera teſtimonia ad eamdem rem facientia: ſed, ne multus ſim, his prætermiſſis, illos quatuor tantum referam, ut pote Romani Præſulis, ac Sedis Apoſtolicæ Miniſtri juſſu examinatos, ideoque de ſimulatione, vel ipſi Adverſario, minime ſuſpectos. Hi quidem fuere D. Antonius Bartholus S. Theologiæ Doctor, ac Decanus Cathedralis Eccleſiæ Melitenſis, Johannes de Noto, vir Municipalis ac eruditus, Marcus Bonici, & Frater Leonardus de Agatiis, Ordinis S. Auguſtini. Quorum primus pro veritatis teſtimonio hæc ſenſa protulit, a me fideliter Latine reddita. *Ætatem habeo* (is inquit) *ſeptuagintaquinque annorum: & ab ineunte adoleſcentia, quum res mundi agnoſcere cœpiſſem, ex veterum noſtrorum Melitenſium traditione ſemper accepi, prout eſt vulgatiſſima inter omnes Inſulares fama, quod cæmeterium S. Pauli Cryptæ contiguum, ſitumque in civitatis Notabilis ſuburbio, fuerit admodum religioſe habitum, pieque cultum non ſolum ab Indigenis; ſed etiam ab exteris, qui undequaque gentium confluebant ad viſendam glorioſi D. Pauli ſpecum; & quidam ex ipſis, qui heic mortem obibant, religionis ergo in iſto cæmeterio humari volebant, ut pote Sacræ Cryptæ conjuncto: atque ego bene reminiſcor, triginta ab hinc annis, quum Ill. & Rev. D. Martini Royas tunc Melitenſis Epiſcopi Vicarium Generalem agerem (quo tempore ædificabatur Eccleſia D. Pauli eidem Cryptæ contigua) reminiſcor, inquam, me hujuſmodi occaſione propriis oculis vidiſſe tres aut quatuor ſepulturas ex una parte, unamque vel duas ex alia, prope oſtium prædicti cæmeterii, quod reſpicit Septemtriones. Iſtorum au-*

Pirr. in not. Eccl. Melit. Cajet. Iſag. cap. 19. &c. Vide Mel. Deſcript. §. 12.

tem ſepulchrorum forma hæc erat: eorum (altitudo in arcus modum ſinuata) æque ac longitudo hominis ſtaturam exæquabat; ipſaque erant contecta magnis lapidibus, nobili artificio elaboratis; unde conjici poterat, quod ibi ſepulti erant homines inſignes, ac dignitate ſpectabiles. In ſuperficie unius ex illis cernebantur quædam literę ipſi lapidi inciſę, quę ob vetuſtatem legi minime poterant, pręter annorum numerum, quem utpote minus corroſum ego quidem legi, atque habita illius temporis ratione, arbitror ejuſmodi ſepulturas fuiſſe factas circiter 230 ab hinc annis. Circa vero Sacram Cryptam, per antiquiſſimam omnium noſtrorum Inſularium traditionem ſemper audivi, ut publica vox eſt, eam fuiſſe multa pietate frequentatam ab exteris, qui huc conſulto veniebant ad ipſam viſendam, colendamque: ego autem memini, certeque novi, temporibus meis ob hujuſmodi cauſſam huc adveniſſe peregrinantes vel mulieres una cum viris ex variis partibus Italię, Galliarum, Hiſpaniarum, Flandrię, Germanię, Polonię; quorum nonnullos domi meę ſuſcepi, & quum ipſos interrogaſſem quam ob cauſſam in hanc Inſulam acceſſerint; mihi reſpondebant, ſe ſe hujuſmodi iter feciſſe, ut D. Pauli ſpeluncam viſerent ac venerarentur, in quam ſumma pietate affecti erant ipſarum regionum accolę prę memoria glorioſi illius Apoſtoli, qui in hac Inſula fuit ſuſceptus, & in Sancto iſto loco commoratus.
Hæc Bartholus noſter, cui conſonant tres alii Teſtes jam recenſiti; ita ut ſingulorum horum dicta producere opus minime ſit, niſi quod ſecundus Teſtis affirmat, ſeſe ante quadraginta annos ab exteris ad Sacram Pauli ſpecum confluentibus accepiſſe, quod apud ipſos fama erat, nullum alium *Sanctuarium*, præter ſancta Romæ loca, tanta, ut vocant, *Indulgentiarum* copia ditatum eſſe, quanta Cryptam noſtram ditaverant antiqui Summi Pontifices: Tertius vero addit, monumentorum illorum ruinam veterum Parochorum incuriæ tribuendam eſſe. Itaque ſatius erit quædam a primo Teſte expreſſa diligentius expendere. Nempe ex illius verbis perſpicitur, ſepulchra iſta fuiſſe ibi collocata ferme quatuor ab hinc ſæculis; eoque tempore ubique gentium Cryptæ noſtræ famam fuiſſe divulgatam, ideoque complures exteros nobileſque viros ad eam confluere, & prope ipſam ſepulturas ſuas ſupremis tabulis decernere conſueviſſe. Undenam iſtius *Sanctuarii* notitiam ipſi hauſerint? Næ ab aliis ſe antiquioribus; hique item ab aliis prioris ætatis...

tis. . . . . Sed quid traditionum ac monumentorum noſtrorum antiquitatem hinc elicere opus eſt; quandoquidem ante duodecim fere ſæcula, nempe Aratoris Diaconi, & Gregorii Primi, quos alias allegavi, tempeſtate, Paulum Naufragum apud nos commoratum eſſe vel Eccleſiæ Romanæ perſpectum erat? Qua igitur fronte Veterator noſter contendit, nonniſi poſt Rodienſium Equitum in hanc Inſulam adventum a Sacris Actuum Apoſt. Expoſitoribus Pauli Naufragium eſſe nobis adjudicatum?

§. XVIII. Sed ille veroſimile non ducit, *ſub terris*, id-eſt in iſta caverna deliteſcere voluiſſe Apoſtolum a Deo poſitum *in lucem gentium*, de quo Chriſtus Dominus dixit: *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael*. Hæc autem ille nobis nequaquam objiceret, ſi tempora, Prudentum more, internoſcere magis, quam confundere affectaret. Nimirum prudentiſſimum gentium Doctorem, ſicuti & alios Apoſtolos, tempus erat deliteſcendi, ac tempus coram hominibus verſandi. Quum nempe Paulus Apoſtolicum ſuum miniſterium exercere, gentibuſque lucem afferre vellet, e ſpelunca egrediebatur, atque in hujus platea ſive area (poſtea in *cæmeterium* converſa) Melitenſi populo verba faciebat, & *palam* evangelizabat, imitans, ut Adverſario placet, Magiſtrum ſuum, Chriſtum Dominum: dicentem: *Ego palam locutus ſum Mundo &c.* Ille quidem Joh. 18.20 locus, in quo Apoſtolus magna audientium frequentia Dei verbum annunciabat, nobis cum antiqua Traditione, tum monumento ipſam confirmante, videlicet Cruce columellæ impoſita, de qua infra diſſeram, innoteſcit. Quum vero expleto ſuo miniſterio, nempe concione, aut Sacramentorum adminiſtratione, ſibi animæque ſuæ vacare vellet, opus ei quidem non erat, ut omnium oculis, inſtar hypocritæ, ſe ſe exponeret, ſed in antrum ſuum ſe referebat, ubi orare, contemplari, corpus aſperius habere, poſtque tot labores atque cruciatus perbrevi quiete reficere poterat. Quæ ſane *palam* fieri Chriſtus Jeſus neutiquam præcepit: quinimo & ipſe qui ſemper docuit *in Synagoga* & *in Templo*, quum autem eſſet oraturus, in ſolitarium locum, ſcilicet in Gethſemani Villam dilapſus eſt, dixitque Diſcipulis ſuis: *Sedete* Matth.26.36 *hic donec vadam illuc & orem &c.*

§. XIX. Nihil igitur eſt in cauſſa cur Andream Chiocchum

chum pene derideat Zoilus noſter, propterea quod ille arbitratur, in Crypta noſtra *D. Paulum Chriſto adjunctum vitam puriſſimam, auſteriſſimam, & ſanctiſſimam truduxiſſe*. Quod autem piis ſanctiſque viris in ſpecubus commorari fuerit libenter uſitatum, nedum ad vitandas impiorum perſecutiones, ſed etiam ad operam navandam contemplationi, aliiſque pietatis exercitationibus, ediſcere poterat Criticus noſter ab Auguſtino Calmeto, Monacho pariter Benedictino, qui in eruditiſſima *Diſſertatione de Manſionibus antiquorum Hebræorum*, poſtquam de variis cavernis, diverſis populis (*a*), interque alios Melitenſibus, olim uſitatis, verba fecerit, ita loqui pergit. *Enfin c' entoit la retraite ordinaire des Prophetes, & des Juſtes dans le tems de la perſecution, pour eviter les efforts des Mèchans* (*Hebr.* XI. 38.) *& dans le tems de paix, pour fuir la corruption du Monde, & pour s' exercer dans les pratiques de la pietè, & de l'oraiſon. C'eſt ainſi qu' Elie, que S-Jean Baptiſte, que Jeſus-Chriſt, l'on pratiquè*. Pone idem Autor deſcribit quoddam ex hujuſmodi antris, quod uſque in ævum ſuum, referente quem is allegat, Maundrelio, viſebatur tribus leucis procul a Sidone. Necnon in ejuſmodi Cryptis primitivæ Eccleſiæ Heroes pietati incumbere conſuevisse tradit Antonius Boſius, civis noſter eruditiſſimus. Inter alias celeberrima eſt Maſſilienſis Caverna in caute profunde effoſſa, in qua D. Maria Magdalena noctes contemplatione precibuſque producebat. In hoc ſubterraneo loco prioris illius ævi Chriſticolæ congregabantur, ſacriſque interveniebant, ut pro certo habet Johannes Croiſet; contraquam opinantur nonnulli Critici. Ad iſtud quidem ſacrum antrum deſcendiſſe fertur Archangelus Michael, qui glorioſæ illi Pœnitenti in eo commoranti magnam ex alto Crucem attulit, eamque illi confixit ad ſpecus oſtium, illique ſuaſit, ut eam præ oculis jugiter haberet: cui ſane cœleſti monito per totum vitæ ſuæ curriculum illa probe obtemperavit, ut divinitus revelatum eſſe narrat Sylveſter Prier. *in Roſ. aur. Ser. de S. Mar. Magd.* Quid quod ipſe gentium Doctor vel in Sicania

Andr. Chioc. in Muſ. Veron. Sect. 2. pag. 130.

Diſſert. in Vet. Teſtam. Tom. 1.

Ant. Boſius in Not. ad Paſſ. S. Cæcil.

Joh. Croiſet ad diem 22. Jul.

(*a*) Vel Ethnicorum Heroibus, quos vocant Semideos, antra frequentabantur: Siquidem in Acheruſiade peninſula, referente Xenophonte, *deſcendiſſe Herculem ad Cerberum canem rapiendum memorant incolæ: atque ejus deſcenſus monumentum oſtendunt, ſpecum haud minus quam ſtadia duo ſubſidentem. De Cyr. Min. Exped. lib. 6.*

Digitized by Google

nia ſpecus incoluit, ut & antiquis Traditionibus, & pluribus monumentis Siculi oſtenduut? Nonnullos ex iſtis recenſet noſter Manduca in *ſua Hiſt. MS. capp.* 9. *&* 10. Inter alios celebris eſt ſpecus S. Marciani, de quo hæc ſcribit doctiſſimus Maſſutius: *Tradunt etiam* (Syracuſani) *illo triduo Apoſtolum a S. Marciano exceptum in ea ſpelunca fuiſſe, quam ipſe, prius expulſis Dæmonibus, Deo conſecraverat, ibique ſacris Paulum Apoſtolum eſſe operatum*. Deſinat ergo Zoilus noſter Cajetanum idem affirmantem laceſſere. Deſinat quoque Julium Centurionem inſuetæ in Apoſtolum inhumanitatis inſimulare, propterea quod ipſum in Crypta noſtra commorari ille permiſerit: quandoquidem cavernas incolere non minus iſte, quam alii Chriſtianæ Religionis Heroes amabant.

§ XX. Hinc etiam perſpicitur, quam minus recte fuerit loquutus Cluverius ab Adverſario advocatus, ut pote Traditionem hanc noſtram deridens, & ipſe alias (*a*) a Critico noſtro deriſus. Et quidem ille ratione parum ſolida ad aſſerendum inducitur, *affirmatu perquam abſurdum eſſe*, Paulum toto trimeſtri in Crypta noſtra egiſſe: *ceu carceres in urbe tam celebri fuiſſent nulli, quo Centurio vinctos ſuos abdere atque cuſtodire potuiſſet*. Nimirum ipſe non advertit, quod vel in Urbe urbium domina, in qua plures tuti carceres minime deſiderabantur, Apoſtolo fuit permiſſum manere *ſibimet cum cuſtodiente ſe milite*. Quanto autem magis in Melita, quæ undis hinc inde circumſepta quamdam carceris ſpeciem præſefert, unde haud facilis fugæ aditus, id Paulo permittere debuit Centurio, adeo Apoſtolo addictus? Sed expendamus alias Cluverii rationes. *Etſi liberum* (ipſe ſubjungit) *ſine vinculis Paulum habere voluiſſet* (Centurio). *ſaltem ſub conſpectu ſuo in urbe habuiſſet*. Heic licet allucinetur Cluverius, tamen eſt venia dignus: quippe ignorare videtur, Paulinam Cryptam tunc temporis, ut alias ajebam, intra urbis mœnia ſitam fuiſſe, latius patente antiquæ civitatis ambitu; ut jampridem ex veterum ædificiorum veſtigiis perſpexit prælaudatus Jacobus Bonamicus, cui conſonat antiquorum Traditio; utque nuperrime exploratum eſt, quum eſſet effoſſus peramplus iſtius urbis murus ultra ſacram eam Cryptam protenſus. Neque enimvero inficias ibo, Centurionem tuto in loco

Act. 28 16.

(*a*) Vide Diſſert. 11 §. 3 not. 6.

loco Apoſtolum detinere debuiſse ; tamen arbitror , illum ſatis caute egiſse, ſi hunc militi cuſtodiendum tradiderit , ſicuti Romæ factum fuiſse teſtatur Sacer Evangeliſta . Aft hercle faceta , ne dicam , ridicula eſt Cluverii concluſio, hæc inferentis . *Niſi & ipſum una cum militibus ac ceteris vinctis in eadem ſpecu tamdiu egiſſe credere libeat*. Sed animadvertere is deberet, quod non tanti vitrum quanti margaritum, ut adagio docemur: nempe venerabilis Gentium Doctor non æque erat a Centurione habendus , atque ceteri vincti, homines forte facinoroſi, ac ſceleſti , imo abſque dubio nocentes. Næ Romæ nec omnes fuiſse æque tractatos legimus: ſiquidem Paulo permiſsum fuit *ſibimet manere*; quod ſane aliis cuſtodiis conceſsum fuiſse nequaquam tradit Apoſtolicus Hiſtoriographus . Quocirca audiendus eſt aureus Chryſoſtomus , ſententiam plane meam hiſce verbis confirmans. *Non parvum etiam hoc argumentum, illum fuiſſe per omnia admirabilem , quia non jam cum aliis numerabatur: ſed permiſſum eſt illi, ut maneat ſolus cum milite cuſtodiente illum*.

D.Chryſoſt. in Act. Hom 54.

§. XXI. Neque minus deridendus eſt Adverſarius, quum ſeſe haud videre affirmet , qui Paulum ſocioſque *ſub terra abſtruſos* (a) *multis honoribus*, ut ait Lucas , *afficere* Inſulares potuerint; necnon quomodo infirmi *ad longius iter vel aliena ope* peragendum parum accommodati, ſalutis recuperandæ cauſa , ad Apoſtolum accedere valuerint. Hinc ille colligit, ipſum nequaquam fuiſſe in Crypta noſtra commoratum, ſive detentum, ſed per omnes Inſulæ angulos vagantem, & *in proximo poſitum* ſeſe confluentibus undequaque ægrotis offerentem . Porro Criticus noſter nebulas , ut ajunt, de more ſuo diverberat: etenim Paulina ſpecus non erat adeo inacceſſa & inhoſpita , neque in ea ita clauſus detinebatur Apoſtolus , ut accedentibus copiam ſui facere non poſſet. Quippe & ipſa, ut ſupra oſtendi, illa tempeſtate ſita erat intra urbis mœnia; & in ea non minus leniter, ac humane ipſum fuiſſe habitum cenſeo , quam in Romano
Act. 28. 30 *conducto*, in quo quidem *ſuſcipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum*. Quid autem eſt in cauſſa , cur ægrotantes in cavernam iſtam *vel aliena ope* duci non potuiſſe ille autumat? Nonne vel ad Aquas Sextias, aliaſque remotas regiones

(a) Anne illos inſtar defunctorum ibi ſepultos ac derelictos putat Criticus noſter?

Digitized by Google

nes hinc abſcedere quotidie videmus ægros ad curandas ſuas infirmitates? Quid quod a longinquarum regionum incolis, ut referunt Pirrus, Cajetanus, aliique Scriptores, ac Teſtes, quos ſupra allegavimus, nobiles viri, cadavera ſua huc deportari, atque in ſepulcreto Paulinæ Cryptæ contiguo humari, ſupremis tabulis mandarunt? Anne ad eamdem ſpecum ex hac ipſa Inſula homines vita fungentes, ut ut infirmi, adduci aliena ope non valuerint? Quanto autem magis Inſulares noſtri, bona valetudine fruentes, Apoſtolum ibi agentem adire, atque honoribus afficere potuerint? Quum vero iſta nobis objiciat Adverſarius, ignorare plane videtur, pleroſque viros ſanctimonia illuſtres in ſpeluncis, aut hujuſmodi latibulis abſconditos populorum ad ſe confluentium frequentiam evitare non potuiſſe. Profecto D. Hilarion ex Oriente in Occaſum, ex Occidente in Ortum, ex hac in illam cavernam, ex illa in hanc ſolitudinem demigrare conſuevit, ut ejuſmodi concurſus effugeret.

§. XXII. Reponit tamen Adverſator; *Paulum ſemper ad hoſpites divertiſſe lego*. Sed mi Zoile, ego rem ſe ſe aliter habuiſſe comperio. Nimirum in Inſula noſtra, triduo tantum is fuit a Publio ſuſceptus; per reliquum vero trimeſtre intervallum Cryptam noſtram incoluit. Romæ autem ad quos hoſpites ipſe divertit? *Manſit biennio toto in ſuo conducto*; inquit S. Evangeliſta. Idque ſummæ Dei providentiæ adſcribendum eſt, ut prudenter expendit Maſſutius: *Cum tot eſſent* (is ait) *Romæ fideles, qui proprias ædes Apoſtolo accommodare potuiſſent; oportuiſſe tamen hanc habere mercede conductam, ut omnibus ad eam liberior, quacumque diei vel noctis hora pateret acceſſus, & confluentibus undique fidelibus ad ſermones audiendos de rebus divinis, eſſet veluti Eccleſia, vel ſacrarium piis functionibus dedicatum: quod poſtea a Sergio Summo Pontifice in Templum Beatiſſimæ Virginis Mariæ dictum in via lata eſt conſecratum circa annum Domini ſeptingenteſimum, ut legitur in antiquis illius Eccleſiæ monumentis*. Hæc ille. Quæ optime quidem conveniunt Melitenſi ſpeluncæ: Quippe & hæc accedentibus patebat, & poſtea a Publio Melitenſi Pontifice in SS. Virginis honorem Deo dicata fuit. Præterquam quod & in illa Eccleſia viſitur Crypta, in quam non ſecus, atque in noſtram, ſeſe referebat Apoſtolus, una cum

S. Evangeliſta, quum piis exercitationibus vacare vellet.

§. XXIII. Criticus vero noſter jam exhauſto oppoſitionum ſuarum penu, mucidas quaſdam ipſarum reliquias effert ac producit. Nimirum minus veridicam eſſe Melitenſium de Paulino antro Traditionem vel ex eo elicit, quod de hujuſmodi re inter ſe parum ipſi diſſentiant: nempe alii Apoſtolum in ea crypta clauſum; alii per valles & colles excurriſſe tradunt; modoque ibi, & modo in aperto concionari conſueviſſe affirmant. Aſt Zoilus iſte, ut ex parœmia loquar, calvum vellit: nempe inani conatu Traditionem majorum noſtrorum inceſſit. Quum enim Paulum in Crypta ſermones de rebus divinis habuiſſe dicimus; haud quidem in intimis iſtius angulis ipſum verba feciſſe intelligimus, ſed in ejuſdem area, ubi nunc viſitur Crux ſuper columellam, in illius prædicationis monumentum erecta. Sicuti quum *Joh.* 10. dicatur quod Chriſtus Dominus *ambulabat in templo:* intelligi debet, quod ipſe deambulabat in *porticu* ipſius Templi, ut ibi mox ſubjungitur, *in porticu Salomonis*. Neque ſane Gentium Doctorem ſpecui ſuæ, ceu polypum marinæ cavernæ, tenaciter inhæſiſſe credimus; ita ut numquam ab ipſa ad alia Inſulæ loca diverterit. Nec enim id Paulo interdixiſſe credendus eſt Centurio, qui eum *humane tractans* in eadem navigatione, ubi Sidonem advenerat, *permiſit ad amicos ire, & curam ſui agere*.

Act 27. 3.

§. XXIV. Ut autem ingenuitatem meam Adverſario oſtendam, non eo inficias, Fautores noſtros inter ſe nonnihil diſcrepare circa cauſſam Paulinæ in iſto antro commorationis. Quidam enim voluntarie, alii autem involuntarie ibi egiſſe Apoſtolum opinantur. Quid tamen hinc detrimenti emergit Melitenſium traditioni? Nihil ſane. Quandoquidem a Majoribus noſtris conſtanter traditum eſt, quod Cryptam noſtram Paulus manſione ſua nobilitaverit; quare autem ipſam incoluerit, aut frequentarit; ab illis nequaquam accepimus. Idcirco nonnulli ex noſtris Propugnatoribus poſt ſexdecim fere ſæcula hujuſmodi cauſſam expiſcari voluerunt, & varii in varias abierunt ſententias. Quinimo ſi rem bene perpendas, parvam aut nullam inter eos diſcrepantiam comperies. Nimirum Apoſtolum in iſta ſpelunca voluntarie egiſſe dices, ſi eum, Cry-

ptas

Digitized by Google

ptas incolere, ut oſtendebam, amantem, Centurionis permiſſu, ejuſmodi habitaculum elegiſſe putes, involuntarie vero ibidem detentum credas, ſi eamdem habitationem carceris vice vincto Apoſtolo conceſſam conſideres. Revera Paulum tunc fuiſſe captivum novimus, ſed & ipſum a Julio Centurione humane habitum legimus. Unde in uno eodemque Apoſtolo recognoſcere erat captivitatem cum libertate, & libertatem cum captivitate conjunctam: ſiquidem ipſe non erat adeo liber, ut a nullo milite cuſtodiretur; neque erat ita vinctus, ut amicos viſere, Cryptam frequentare, concionari, *curam ſui agere*, ſicut Sidone, non potuerit. Etenim æque heic atque illic idem plane Paulus, idem Julius erant. Quocirca recte ſapienterque ſenſiſſe eos arbitror, qui una cum doctiſſimo Cajetano Melitenſem ſpecum Apoſtolo cum hoſpitium, tum carcerem fuiſſe cenſuerunt.

§. XXV. In editiore igitur tumulo areæ ante Pauli Cryptam ſitæ gentium Doctorem Indigenis Dei verbum annunciaſſe, atque a vicinis Gaulitanis auditum fuiſſe per inconcuſſam Traditionem nobis conſtat. Hujuſmodi quidem locum Majores noſtri fideles, grati, piique in Apoſtolum de his Inſulis adeo benemeritum, lapidea cruce ſuper columellam erecta inſignitum voluere. Sed & in hoc perſpicuo monumento lucernam adhibet Diogenes noſter: aſt utinam Cynico digna proferret, non vero nugas meracas! *Nec minus faceti* (inquit) *ſunt in alia Traditione, quam narrant Octavius Cajetanus, Anterus Maria, Lapideus, Tirinus, aliique (a) credulitatum Antiſtites fatentur in ea Inſula prope Cryptam S Pauli poſita ſupra columellam cruce notari locum, unde dum concionaretur Apoſtolus, auditus e Gaulo inſula fuerit, tametſi (b) duodecim inde milliarium intervallo ſegregata: unde & Gaulitani Chriſti religionem amplexi ſunt. Quid Afromelitam igitur opus fuit Apoſtolicæ peregrinationis veſtigiis imprimere,*

 ſi ex

(a) Tales ii videntur, cuicumque veritas eſt creditu difficilis.

(b) Nimirum is oblitos eſt, ſeſe *Inſp 7.* §. s. dixiſſe: *per decem milliaria longe in Gaulo inſula auditum, dum concionaretur in Melita Paulus*. Ita plane qui paſſim ſibi minime conſtat, nobis contradicere affectat.

ſi ex uno loco poterat tam longe exaudiri? At certe Paulus id efficere potuit: utique: ſed hic an fecerit, non an potuerit (a) *diſputamus. Imo nec potuit, nam in Illyrico* (b) *erat.*
Marc. 16. *Chriſtus Dominus inquit Diſcipulis:* Euntes in mundum univerſum prædicate &c. *hoc eſt, accedite ad homines, ut audiamini: & quidem Apoſtoli ad omnes populos acceſſere.* Quid autem hujuſmodi cenſura facetius, ne dixerim, ineptius? Ergo-ne gentium Doctor haud quaquam impleviſſe dicendus eſt ea Domini verba: *Euntes in Mundum univerſum prædicate;* propterea quod ipſe in Melita prædicans, fuerit a Gaulitanis auditus? Anne, ut ea impleret, omnes ſcopulos, arvaque percurrere neceſſario debebat, itaut Melitenſi commoratione uti ille non potuerit ad Gaulitanorum converſionem, ſed omnino ad ipſos accedere opus ſibi fuerit? Qui vero Gaulum contendere poterat Paulus, ſi Centurio una cum ſuis militibus, ceteriſque vinctis in Melita morabatur? Anne Adverſarius, qui paullo ante Apoſtolum in ſua Crypta ferme ſepultum, aut illigatum credere videbatur, nunc ipſi tantam libertatem fuiſſe conceſſam judicat, ut ex Melita, ſine Centurione, ac reliquo comitatu, ad aliam Inſulam diſcedere ſolus potuerit? Quid autem, ſi Gaulitanis *vocationis gratiam* tunc impertiri, non vero ad aliud tempus differre, ineffabili Dei providenriæ libuerit? Quamnam ſane occaſionem iſtius Inſulæ ad Chriſtum adducendæ, magis opportunam commodamque nanciſci poterat Apoſtolus, quam trimeſtrem ſuam in Inſula noſtra, illi adjacente, manſionem? Hinc equidem ab illius accolis mire exauditus opus non habebat ad ipſos accedere: ſiquidem ejuſmodi miraculo moti impulſique ipſi Inſulam noſtram advenire, ac Thaumaturgo Apoſtolo propius auſcultare ſatis commode poterant; ut ab ipſo ſacris laticibus expiarentur.

§. XXVI.

(a) *Feciſſe* quidem, non tantum *potuiſſe* antiquiſſimi Melitenſes tradiderunt.

(b) Id ſane fateri poſſunt veri *Credulitatum Antiſtites*, non vero Fautores noſtri, qui nonniſi credibilia credunt. Quantis enim decem pedis, atque milliaribus ab Illyride tunc diſtaret Apoſtolus, ex iis quæ hactenus diſſeruimus, ſuperabunde perſpicitur.

§. XXVI. Quam vero inepte Zoilus noſter ex eo quod Apoſtolus ex præmemorato loco prædicans longe fuerit auditus; inferat quod ab hujuſmodi ſitu numquam recedere, neque ad alia Inſulæ loca divertere is debuerit; nemo non videt. Neque minus ille fallitur, quum ejuſmodi miraculum minime fuiſſe a Paulo perpetratum ſuſpicetur; propterea quod in Scripturis minime legerit Apoſtolos ea fuiſſe virtute præditos, ut ſacri ipſorum ſermones ab hominibus longe diſtantibus audirentur. Enimvero is legere debuiſſet quæ Lucas aſſerit, nempe quod Deus dederit *ſigna & prodigia fieri per manus eorum* (Pauli & Barnabæ). Unde ſatis elicere ille potuiſſet, quod inter tot *ſigna & prodigia* ejuſmodi virtutem illi donaverit Deus in Gaulitanorum beneficium. Sed anne Criticus noſter neque perlegerit, Apoſtolos tollendi ſerpentes virtute fuiſſe a Deo donatos, quum neque ille credat, Paulum Melitenſibus viperis venenum abſtuliſſe? Quid quod alii quoque Sancti, utut inſignes, Apoſtolis tamen minores, quum concionarentur, longe fuerunt exauditi? Patavino quidem Thaumaturgo prædicanti adeſſe quum non potuiſſet quædam pia mulier, ſuper domus ſuæ tectum conſcendit, ſpectanſque locum duobus milliaribus diſſitum, in quo ille concionabatur, omnia illius verba audivit, etſi non item audierint ceteræ mulieres ejuſdem viciniæ. *Ergo-ne* (dicet Adverſarius) *reliquæ erant indignæ (a), ut audirent? Num divina vis vocis, ceu repagulis alligata, ultra duo milliaria nil poterat?* At o ſi ullis repagulis alligari poſſet Adverſarii procacitas, utique hujuſmodi næniis aures noſtras non obtunderet. Act. 14. 3.

§. XXVII. Porro omiſſis ejus nugis tranſeamus ad aliud monumentum, ſcilicet ad Cathedrale Templum, ſitum ubi olim erant urbanæ Publii ædes. Iſtud quidem fuiſſe ab ipſo Publio conditum vel hinc elici poteſt, quod Gregorii Magni ætate, nempe quinque poſt Publii ævum ſæculis, jam ipſum erat opibus ac proventibus luculenter inſtructum. Quidpe Sanctiſſimus ille Pontifex ſcribens ad Romanum Defenſorem, aſſerit, Lucillum Epiſcopum Melitenſem, &

Pe-

(a) *Ad hæc* (ita in ejuſmodi miraculum garrit Adverſarius) *quomodo in Siciliam tunc, & Africam, cœteraſque ejus maris Inſulas vox Pauli non pertigit? Num reliqui indigni, ut audirent? Num divina vis vocis, ceu repagulis alligata, ultra duodecimum milliare nil poterat?*

Digitized by Google

Petrum ejus filium plura huic Eccleſiæ rapuiſſe : iſta vero parvi momenti fuiſſe nequaquam dicet ; ſi perpendas, quod virum in tanta dignitate conſtitutum ad ſacrilegium allexerint; & ab ipſo ablata induxerint Trajanum ipſius ſucceſſorem ad eos repetundarum poſtulandos coram prævenerato Summo Pontifice : Plurima vero, & immodica, & pretioſa eripi niſi diviti non poſſunt. Si ergo Gregorii Primi ævo jam dives, jam opulentum & grande erat Melitenſe Templum, hoc ante multa ſæcula natum cenſeri debet : neque ab alio conditum quam a Principe Viro tantis opibus prædito, quantis affluebat Publius noſter, qui hac ex cauſſa Melitenſium Protus audivit, ut alias exponebam : Ipſius vero munificentia vel ex eo perſpicitur, quod 276. hoſpites triduo domi ſuæ laute ſuſcepit. Quamobrem recte concludit Hieronymus Manduca *in ſua Hiſt. cap. 2. Nullus vero Antiſtes ante Gregorii Magni ætatem B. Publio vel religioſior, vel locupletior extitit, a quo theſaurus Templi, ac ſacrum vectigal profectum fingi poſſit, quam ab ipſo Publio Eccleſiæ Melitenſis conditore.*

§. XXVIII. In iſta quidem antiquiſſima Baſilica colitur Deiparæ Virginis effigies a D. Luca depicta. Atque hoc eſt aliud monumentum, quo ſententia noſtra confirmatur. Quidpe eam coloribus expreſſiſſe Sacrum Evangeliſtam tradunt, quum poſt naufragium una cum Paulo heic moraretur. Et quidem veroſimillimum eſt, pios illos Melitenſes, recenter Chriſto addictos, quum illum pictorem eſſe agnoverint, ab ipſo Virginis imaginem petiiſſe, ac facile impetraſſe. Quid enim piiſſimo iſti Pictori contingere poterat jucundius, quam Deigenitricis vultum exprimere, taliumque Neophitorum pietati offerre? Imago iſta cubitalis eſt, lamina argentea conveſtita, criſtalloque incluſa, Virginem referens foventem in ulnis puerum Jeſum, atque, uno verbo, ſimillima eſt illi quæ Romæ colitur, ut jampridem obſervavit prælaudatus Manduca. Eam ſummopere venerantur Indigenæ ob mira beneficia, quæ per ipſius cultum a Deo conſequuntur: præſertim, cœlo imbres diutius ſubducente, ipſam inſtructo agmine, ſupplicantes, per urbem conducunt; neque ſpe fraudantur: nam contigit quandoque, ut vix perfectis ſupplicationibus pluvia imminuerit, ut teſtatur idem Manduca.

Hier. Manduc. Hiſt. Melit. n. 12.

§. XXIX. Antagoniſta vero noſter, qui omnia noſtra im-

impugnare inſtituit; D. Lucam nullam Virginis effigiem penicillo delineaſſe, neque pictoriam artem calluiſſe contendit: atque D. Auguſtinum allegat ita loquentem: *Neque enim novimus faciem Virginis Mariæ...... Utrum autem illa facies Mariæ fuerit, quæ occurrit animo, cum iſta loquimur, aut recordamur, nec novimus omnino, nec credimus. Itaque hic ſalva fide licet dicere; forte talem habebat faciem, forte non talem.* Quid vero ſi Auguſtinus compertum non habuerit, quod invenirentur ejus icones? Numquid omnibus datum eſt adire Corinthum? Anne omnibus omnia innoteſcere conſueverunt? Quod ſane Auguſtinus minime novit, aliis graviſſimis Auctoribus fuit exploratum. Profecto ſacrum iſtum Evangeliſtam Deiparæ vultum coloribus expreſſiſſe affirmant Theodorus Lector *lib.* 1. *Collect.* D. Johannes Damaſcenus apud Sarnellium *Liter. Eccl. tom.* 2. S. Thomas *in* 3. *diſt.* 9. *q.* 2. S. Antoninus Florent. *Part.* 3. *tit.* 15. *c.* 24. *ſect.* 2. Bellarminus *lib.* 2. *de Imag. cap.* 10 Surius *in Vit. S. Lucæ*; Vincentius Bellovacenſis *in Spec. Hiſt. lib.* 23. *cap.* 147. Sigonius *lib.* 1. *de Regno Ital.* Anaſtaſius & Paulus Diaconus apud Tobiam Coronam *de Sacr. Templ. part.* 1. *c.* 63. Cæſar Baronius *ad An* 560. Caniſius *lib.* 5. *de B. Virg. cap.* 22. Alanus Copus *Dial.* 4 *contr. Summ. Pont. Oppugnat.* Johannes Stephanus Duran. *Lib.* 5 *de Rit. c.* 5. Alphonſus Ciacconius *in vit. S. Gregor.* Johannes Molanus *Hiſt. Sac. Imag. B. V. lib.* 1. Menochius in Lib. cui titulus, *Le Stuore*, *tom.* 2. *Cent.* 5. *cap.* 37. & alii complures.

D. Aug. l. 8. de Trin. c. 14.

§. XXX. Attamen hi cuncti (reponit moroſiſſimus noſter Criticus) ſunt neoterici Scriptores, quorum antiquiſſimus Theodorus Lector non ante ſextum ſæculum ſcribebat. Sed, quæſo, mi Ariſtarche, numne id ſomniavit Theodorus? Anne potius ab aliquo alio prioris ævi Scriptore id accepit? Et quidem Euſebius, qui cum ante iſtum, tum ante Auguſtinum inclaruit, id innuere videtur: ſiquidem *lib.* 5. *cap.* 14. memorat imagines SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quas in monte Soracte apud ſe adſervabat S. Sylveſter, ac ſub quarum ſpecie ipſi Apoſtoli Conſtantino Cæſari apparuere: indeque ab hoc recognitæ illæ fuerunt; atque in D. Petri ſervantur; adprobanturque a Damaſo & Metaphraſte *in vita S. Gregorii*; Auguſtino *de conſenſ. Evangeliſt. lib.* 1. *cap.* 10. Gelaſio Papa *Ep. de lib. authent.* Hadriano Papa *Ep. ad* 7. *Syn.* & a Concil. Niceno II. *Act.*

1. Eas

1. Eas autem imagines fuiſſe a D. Luca depictas non imprudenter conjicies, ſi primum omnium S. Evangeliſtam, Chriſti Domini, ejuſque Genitricis, & Principum Apoſtolorum vultus ac lineamenta coloribus exprimere cœpiſſe agnoſcas, ut teſtatur Nicephorus Calliſti *lib.* 2. *c.* 24 *& lib.* 5. *capp.* 15. 16. *&* 33. Sed demus, quod nemo ante ſextum ſæculum, Lucam fuiſſe Pictorem tradiderit; num-ne ſat eſſe non debet iſtius ætatis Scriptorum auctoritas? Plane adverſus Græcos, impugnantes ſacroſanctas D. Mariæ Magdalenæ reliquias a Latina Eccleſia poſſeſſas, producit antiquas Traditiones manuſcriptis ſexti ſæculi corroboratas doctiſſimus Johannes Croiſet ad diem 22. Julii: Subditque hujuſmodi Traditionem plurium ſummorum Pontificum, nempe Benedicti XII. Johannis XXII. Gregorii XI. Clementis VII. Eugenii IV. Xyſti IV. Adriani VI. Urbani VIII. diplomatibus, quas *Bullas* vocant, reddi ferme certam. Necnon Tillemontius, alias ab Adverſario allegatus, recipit plura miracula ab Apoſtolorum Principe perpetrata, quorum tamen meminit nemo ante Baſilium Seleuciæ, qui floruit circa medium ſecundi ſæculi, atque illa ex Populorum Traditionibus hauſerat. Verumenimvero de hujuſmodi re audire præſtat inſignem Criticæ Magiſtrum Honoratum a S. Maria, hæc docentem: *Elles* (inquit, recenſitis quibuſdam Traditionibus) *n'ont pour la plupart d'autre fondement, que la creance des peuples, & les opinions des Egliſes. Aucun ecrivain n'en à parlè que IV. ou VI. ſiecles apres; & pendant tout ce tems ces evenemens n'ont ſubſiſtè que dans la memoire des hommes. Si cela ne ſuffit pas, independamment de l'autoritè, & de la conjecture, pour donner quelque probabilitè a ces ſortes de faits; nos Sçavans ne doivent donc pas leur donner place dans leurs Ouvrages; mais il faut bien qu'ils ſoient perſuadez, quæ l'opinion des Peuples, & les Uſages des Egliſes peuvent faire quelque preuve, puiſqu'ils n'en donnent, & n'en ſçavroient meme donner d'autre, que la Tradition qui a paſſè de l'un a l'autre juſqu'aux Ecrivains qui les ont recueillis pluſieurs ſiecles apres*. Poſtea ille ſubjungit, quandoque magis ſtari ſententiis Traditione, & conſenſu Eccleſiæ ſuffultis, quam illis, quæ magno Teſtimoniorum numero innituntur. Quidni ergo ſententiæ noſtræ ſtandum, quæ nedum innumeris teſtimoniis, graviſſimiſque ut vidimus, auctoritatibus, ſed etiam

Tom. 1. Art. 27. de S. Petro.

Diſſert. 7. tom. 1.

etiam plurium Populorum Traditionibus, ut infra recenſitum ibo, multarumque Eccleſiarum conſenſu fulciuntur?

§. XXXI. Neſcio tamen qua ratione adſeveret Zoilus noſter, quod *adeo ſacrum, memorabile, vicinumque monumentum Melitenſibus nedum quadringentis fere poſt Pauli naufragium annis innotuerat*. Unde enimvero id elicit? Anne ex eo quod D. Auguſtinus, ſeſe Virginis faciem minime noviſſe dixerit? Ideo-ne ante Auguſtini ævum neque Melitenſes Deiparæ imaginem vidiſſe dicendi ſunt? Næ ipſos eam vidiſſe ab uſque primo illo ſæculo, quum ſacer iſte Pictor una cum Apoſtolo heic moraretur, conſtanti Traditione acceptum eſt: in cujus quidem rei memoriam in ſacra Pauli Crypta aduſque præſens ævum adſervatur coliturque antiquum S. Evangeliſtæ ſimulacrum. Hujuſmodi autem Traditioni ſubſcribere non dubitarunt ſapientiſſimi viri, Cornelius a Lapide, Joh. Baptiſta Cancellottus, Octavius Cajetanus, Thomas Maſſutius, Guillelmus Suppenbergius, Johannes Ferrandus, Franciſcus Carrera, Rocchus Pirrus, Paulus Macalius, & alii. Necnon eidem conſonæ ſunt aliorum illuſtrium Populorum Traditiones, Eccleſiarum conſenſu adprobatæ. Quidpe Romani plures Deigenitricis iconas a D. Luca depictas oſtendunt; aliam habent Patavini, aliam Bononienſes; aliam colunt Galli in antiquo Monaſterio Corbejenſi, quæ, teſtante Andrea de Sauſſay, pietatem intuentibus adſpirat: Aliam opere (a) anaglypho confictam adſervant Lauretani.

§. XXXII. Quid plura? Bizantinam Deiparæ effigiem a D. Luca fuiſſe coloribus expreſſam, antiquiſſima Traditio ac fama univerſalis eſt nedum apud Græcos, ſed etiam apud Latinos, tum Bizantii, tum in magna Græcia commorantes, ut ſcripſit ad Ab. Michaelem Juſtinianum Johannes de Aviano e Bizantino Magni Turcarum Domi-

Cancellottus Ann. Mariim. n. 33. Maſſut. in Vit. S. P. l. 11. c. 10 l. 14. c. 7 & in Ep. Dedic. Suppenb in Atlant. Marian. l. 3. n. 20 Ferrandus Diſquiſ. Reliq. l. 1. c. 1. Macal. in Relat. S. Crypt. &c. Andr. de Sauſſ. de Myſt. Gall. Scripr. pag. 151.

(a) Metaphraſtes ait, Lucam cereis lineamentis Virginis vultum expreſſiſſe. Quod a veritate non abhorret; nam antiqui, præſertim Græci, in cera delineabant, quæ pingere debebant. Nonnulli quidem affirmant, Lucam eum Pictorem, tum Sculptorem fuiſſe. Quod veroſimillimum eſt, quum hæ artes cognatæ ſint, ambaſque profeſſi fuerint inſignes Pictores, ut Michaelangelus Buonarori &c.

ni Balneo VI. Cal. Febr. An. 1664. Præ cunctis autem ſpecialis mentio illius facienda eſt, quæ Romæ in Templo S. Mariæ in Via lata colitur, annulum geſtans in digito: eam ſane a D. Evangeliſta pictam teſtantur Epigraphe in lapide inciſa, & antiqua illius, quam vocant, Diaconiæ monumenta. Et quidem illic ſita erat edes a Paulo conducta, quam Lucas *Act.* 28. memorat: ἴδιον μίσθωμα, *proprium conductum*. Antagoniſta vero noſter cunctis iſtis Traditionibus ac monumentis reluctatur: nempe tot illuſtres Populi, atque Scriptores allucinantur deſipiuntque; ſolus ipſe ſapit divinatque. Verumtamen ego cum tot cordatis Populis, & Auctoribus allucinari malim, quam cum Critico noſtro ſapere; ſi tamen ſapere eſt tot tantiſque Traditionibus atque Auctoritatibus pertinaciter reluctari.

§. XXXIII. Jam vides, ingenue Lector, quot quantaque monumenta in feliciſſima noſtra Inſula reperiantur, veluti totidem indeficientia teſtimonia Pauli Naufragi in hanc Inſulam adpulſus! Jamque recognoſcere ac fateri potes quam recte aſſeruerit Fazellus: *In Sicula hac noſtra Melita Paulum quid eſt, quod non loquatur, ſonet, celebret, adoret?* In Inſula vero Dalmatenſi quæ monumenta ejuſmodi adventus? Nulla plane, nulla. Quod utique agnoſcens Adverſarius, pulverem Lectorum ſuorum oculis offundere ſtudet, ne videant cauſſæ, quam ipſe tuendam ſuſcepit, iniquitatem. Neque cauſatur bellorum vices, ferocium Populorum vaſtitates, notatque Melituſios tamquam Pauli beneficiorum immemores. Sed quid bonis iſtis gentibus notam adeo turpem ille impingit? Quandoquidem ipſi e naufragio ſuſcepti Apoſtoli gloriam ſibi adſciſcere, ut nuper ipſis dormientibus ſomniavit Veterator noſter, nequaquam curaverunt: neque enim Pauli naufragi tempeſtate eorum Inſula incolis frequentabatur: ſed ipſius litora, & ſemitæ magis, quam *viæ Sion*, viduæ lugebant, ut *in Differt.* 8. planum fecimus.

§. XXXIV. En itaque multimodis dilutum, funditusque exploſum Adverſarii opinamentum, quo naufragum gentium Doctorem vel invitum in *Meletam* adigere conatus eſt. En ſententiam noſtram omnigenis rationibus,

an-

Digitized by Google

auctoritatibus, Traditionibus, monumentis uſquequaque ſuffultam, propugnatam, confirmatam: & maxime Apoſtolici Hiſtoriographi auctoritate, cujus verba, Pauli navigationem ac naufragium exprimentia nulli ſane alii quam Inſulæ noſtræ conveniunt. Huc enim Adrianum mare jure ſuo pertingit. Huc ventus Euroaquilo, ſive *Euroclydon* e Creta navigantes impellit. Heic ſinus cernitur *habens littus* a Paulinis Nautis conſpectus. Ante hunc ſinum, ab illa tempeſtate Pauli nomine nuncupatum, videre eſt loca, in quæ bolidem ipſi ſubmiſerunt, ejuſdem quidem profunditatis, quam recenſet S. Evangeliſta. Heic locus dithalaſſus, atque Barbari erga Paulum ſocioſque humaniſſimi, ab illo memorati. Haud procul hinc Libycæ Syrtes, in quas incurrere illi metuebant. Huic Inſulæ, Melitæ nomen, a Venerando Interprete Vulgato conſtanter retentum, præcipue congruit. Hæc plana humiliſque quum ſit, a navigantibus eminus agnoſci non poteſt. Heic ſerpentes præſentiſſimo veneno naturaliter imbuti erant. Heic reperiebatur Publius *Melitenſium Protus*, qui naufragam illam catervam peramanter ſuſcepit. Iſtius prædiorum, a Luca deſcriptorum, rudera aduſque ſæculum anteactum viſebantur; & quidem ubi ea fuiſſe idem ſacer Scriptor indicat. In hac Inſula hyemare neceſſum erat; namque præ ceteris Adriatici Maris Inſulis a Continente longe disjungitur. In hoc portu facillimum erat reperire Alexandrinam navem Puteolos tranſmiſſuram. Ex hoc portu abſceſſis verſus Puteolos brevi occurrunt Syracuſæ; indeque contendentis Romam iter eodem plane ordine, quo Lucas deſcribit.

§. XXXV. Quæ quum ita ſe habeant, revocare in dubium nemo debet, quin nobis obtigerit fauſta ſors, atque gloria excepti e naufragio Pauli, Protoparentis ac Patroni noſtri optime meriti. Quod ſi Lectoribus meis non æque atque debuiſſem, ſuaſero; eos obſecro ut me excuſatum habeant, dictumque de me velint, quod de Phætonte e curru ſolis ſubverſo cecinit Poeta: Ovid. Metamorph. l. 2.

Quem ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.

Kkk 2 Ni-

Nimirum *ἀρκεῖ δ' ἐν μεγάλοις καὶ τὸ θέλημα μόνον*, in *magnis & voluiſſe ſat eſt*. Si vero triumphalem Veritatis, Sole ipſo lucidioris, currum per tenebricoſos, obliquos, devioſque calles, ab Adverſario ad prævertendum ejus curſum commentos effictoſque, ad præfixos mihi terminos feliciter conduxero; non mihi tribuatur, ſed ſententiæ noſtræ VERITATI honos TRIUMPHI.

Videte quoniam non ſoli mihi laboravi, ſed omnibus exquirentibus veritatem. Eccl. c.24. v.47.

CATALOGUS AUCTORUM,

Qui in præſenti Opere citantur.

A

ABbatius. Baldus Angelus.
Abela. Joh. Franciſcus.
Abimeron Abinzoar, vulgo Avenzoar.
Academia Regia Pariſienſis.
Ado Viennenſis.
Ælianus. Claudius.
Æſchylus.
Æthicus Coſmographus.
Ætius.
10. Agatharchides apud Johan. Schefferum.
Agathemerus Orthonis.
Agathopus apud Theodoricum Ruinard.
Agnellus ap. Collectores Rer. Ital. Script.
Agricola. Georgius.
de Ajala. Martinus.
Albertus Magnus
Alciatus. Andreas.
Aldovrandus. Ulyſſes.
Alexander ab Alexandro.
20. P. Alexander ap. Honoratum a S. Maria.
Alexander Aphrodiſæus.
Alphonſus ap. Joh. Frid. Hekelium.
Amatus. Petrus.
S. Ambroſius Mediolan.
Ambroſius. Bartholomæus.
Ampelius. Lucius.
S. Anacletus P.
de Anania. Joh. Laurentius.
30. Anaſtaſius Bibliothecarius.
Anonymus Mediolanenſis ap. Collect. Rer. Ital. Script.
Anonymus Ravennas.
Antoninus, ſive Auctor Itinerarii ei tributi.
S. Antoninus Florentinus.
Apollodorus apud Strabonem.
Apollonius Rhodius.
Appianus Alexandrinus.
Apulejus. Lucius.
Arator Diaconus.
40. Ariſtides. Ælius.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Arnobius.
Aſcenſius. Badius.
Athenæus.
S. Auguſtinus.
de Aviano. Johannes.
Avicenna.
de Avity. Petrus.
50. Auctor brevis hiſtoriæ liberationis Meſſanæ apud Collectores Script Rer. Ital.
AuctorChronic. Sicul. apud eoſdem.
Auctor incertus hiſtor. miſcell. in Eutrop.
Auctor Libri de Theriaca ad Piſonem.

B

BAglivus. Georgius.
Baillet apud Honoratum a S. Maria.
Balduinus. Franciſcus.
Baronius. Cæſar.
Bar Bahlul in Lex. ap. Caſtel.
Barrius. Gabriel.
60. Bartholinus. Thomas.
S. Baſilius.
Baudoin.
Bauhinus. Gaſpar.
Beatillus. Antonius.
S. Beda.

Bel-

Digitized by Google

Bellarminus. Robertus.
Belli. Paulus.
Bellinus.
Bellovacenſis. Vincentius.
70. Beltramus. Ferdinandus.
Bercorius. Petrus.
Bernardi. Joh. Baptiſta.
S. Bernardus.
Bernardus Theſaurarius apud Collectores Rer. Ital. Script.
Beroaldus. Matthæus.
Beroſus ap. Gaſp. Varrerium.
Bertius. Petrus.
Beyerlink. Laurentius.
Binius. Severinus.
80. Bivarius. Franciſcus.
Blaeu. Johannes.
Blævius. Guillelmus.
Blanchinius. Franciſcus.
Blondus. Flavius.
Bochartus. Samuel.
Bogdanus. Petrus.
Bollandus.
Bona. Johannes.
Bonamicus. Jacobus.
90. Bonamicus. Joh. Franciſcus.
Bonannus. Philippus.
Bonfilius. Joſeph.
Boſius. Antonius.
Boſius. Jacobus.
Boſquetus. Franciſcus.
Boterus. Johannes.
Boulduc. Jacobus.
Braſavola ap. Gaſp. Rejes.
Braum. Georgius.
100. Brietius. Pilippus.
Bullingerus. Henricus.
Buno. Johannes.
Bucherius ap. Honoratum a S. Maria.
Burgoiſius Aloyſius.
Buſæus. Johannes.
Bzovius. Abrahamus.

C

CÆſar. Julius.
Cajetanus. Octavius.
Callimachus.
110. Calmetus. Auguſtinus.
Campana. Cæſar.
Cancellottus Joh. Baptiſta.
Caniſius. Petrus.
Cantelmus. Joſeph.
Canus. Melchior.
Capella. Martianus.
Capellus. Ludovicus.
Capitolinus. Julius.
Capivaccius ap. Franc. Redi.
120. Caravita. Johannes.
Cardanus. Hieronymus.
Carrera. Franciſcus.
Cartagena. Johannes.
Caruſius. Joh. Baptiſta.
Caſaubonus. Iſaacus.
Caſſiodorus. M. Aurelius.
Catalogus Epiſcopor. Lauſann.
Catalogus Summorum Pontificum S. Damaſo tributus.
Catharinus. Ambroſius.
130 Cavaccius.
Caveus. Gulielmus.
Cedrenus. Georgius.
Celeſinus. Abbas Alexander.
Cellarius. Chriſtophorus.
Celſus. Cornelius.
Cerutus ap. Ludov. Muſcardum.
Charas ap. Georgium Baglivum.
Chioccarellus.
Chioccus. Andreas.
140. Chronicon Arabicum Cantabrigienſe ap. Joh. Bapt. Caruſium.
Chronicon *Capuccinorum*.
Chronicon Farfenſe ap. Collect. Script. Rer. Ital.
Chronicon Nortmannicum apud eoſdem.
Ciacconius. Alphonſus.
Cicero. M. Tullius.
Claudianus. Claudius.
S. Clemens Alexandrinus.
Clemens Romanus, ſive Autor Epiſtolarum ei tributarum.
Clemens ap. B. Angelum. Abbatium.
150. Clericus. Johannes.

Cli-

Clichtoveus. Judocus.
Cluverius. Philippus.
Cochlæus ap. M. Canum.
Codex Alexandrinus Regio Anglicus.
Collectores Script. Rer. Ital.
Columna. Fabius.
Comeſtor. Petrus.
Conradus Dominicanus.
Conſtantinus. Porphyrogennetes.
160. Conſtitutiones Apoſtolicæ.
Copus. Alanus.
Cordæus. Mauritius,
Corona. Tobias.
Cozza. Laurentius.
Crabbe. Petrus.
Creſcentius. Joh. Petrus.
Croiſet. Johannes.
Curicke. Reinoldus.
Curopalates. Johannes.
170. Curtius. Quintus.

D

DAndulus. Andreas.
Dauſquius. Claudius.
Delrius. Martinus.
Demoſthenes.
Dempſterus. Thomas.
Deuſingius. Antonius.
Dexter. Fl. Lucius.
Dio Caſſius.
Diodorus Chalcidius ap. P. Maſſam.
180. Diodorus. Siculus.
Diogenes Laertius.
Dionyſius Afer.
Dionyſius Carthuſianus.
Dionyſius Corinthius.
Dionyſius Halicarnaſſenſis.
Dioſcorides.
Dorotheus, ſive Auctor Synopſis.
Dupinius ap. Honoratum a S. Maria.
Durant. Joh. Stephanus.

E

190. S. Eleodoardus.
S. Epicharmus ap. Strabonem.
S. Epiphanius.
Equilinus. Petrus.
Eraſmus Roterodamus.
Eratoſthenes ap. Strabonem.
Erlmannus. Joh. Gottl.
Eſtius. Guilelmus.
Eugubinus. Auguſtinus.
Eupolemus ap. Poſſevinum.
200. Euripides.
Euſebius Pamphili.
Euſtathius.
Eutropius.

F

FAlcandus. Hugo.
Falloppius. Gabriel.
Fannius. Rhemnius.
Farnabius. Thomas.
Faverinus.
Fazellus. Thomas.
210. Felicius. Conſtantius.
de Fer.
Ferrandus. Johannes.
Ferrarius Philippus.
FeyFoo, Benedictus Hieronymus.
Flaccus. Q. Horatius.
Flavius. Joſephus.
Florarium MS.
Florus. Lucius Anneus.
Fontaninus. Juſtus.
220. Fortunatus. Amalarius.
Fournier. Georgius.
de Freſnoy. Langlet.
de FronKenberg. Fridericus.
Frontinus ap. Schefferum.

G

GAgnæus. Johannes.
Gajus ap. Theodor. Ruinard.

Gajus Papa.
Galateus. Antonius.
Galenus. Claudius.
230. Galeſinius. Petrus.
Gaſſendus. Petrus.
Gavantus. Bartholomæus.
Gaulterius. Jacobus.
Gelaſius Papa.
Gellius. Aulus.
Genebrandus. Gilbertus.
Georgius. Dominicus.
S. Germanus.
Geſnerus. Conradus.
240. Ghelerus ap. Jac. Bonamicum.
Giraldus. Gregorius.
Gloſſa Ordinaria.
Gordonus. Jacobus.
Goropius. Beccanus.
S. Gregorius Magnus.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Turonenſis.
Grevinus ap. Aur. Severinum.
Gronovius. Jacobus.
250. de Groſſis. Joh. Baptiſta.
Grotius Hugo.
Gryphius. Andreas.
Guilielmus Appulus ap. Collect. Script. Rer. Ital.
Guilielmus Archiepiſcopus Tyri.
de Guzzanvilla. Petrus.

H

Halloix. Petrus.
Harduinus ap. Sam. Pitiſcum.
Hegeſippus ap. Papebrochium.
Hekelius. Joh. Fridericus.
260. Helmoldus.
Heraclides. Ponticus.
Herodotus Halicarnaſſeus.
Heſiodus.
Heſichius.
S. Hieronymus.
S. Hilarius.
Hilduinus.
Hinomarius.
Hippocrates.
270. Homerus.
Hondius. Judochus.
Honoratus a S. Maria.
Honoratus. Servius.
Hubner. Johannes.
Hugo de S. Charo.

I

Jangolinus. Carolus.
Jannettaſius. Nic. Parthenius.
Janſonius.
S. Jeremias.
280. S. Ignatius Antiochenus.
Imperatus. Ferdinandus.
Inchofer. Melchior.
Inghiramius. Curtius.
Interpres antiquus Lycophronis.
S. Johannes Chryſoſtomus.
S. Johannes Damaſcenus.
Johannes Diaconus.
Jonſtonus. Johannes.
Jornandes, ſive Jordanis.
290. S. Irenæus ap. Euſebium, & ap. Jacob. Boulduc.
Irenæus a Cruce.
S. Iſidorus Hiſpalenſis.
de Judæis. Cornelius.
Juſtinus Hiſtoricus.
S. Juſtinus Martyr.
Juſtinianus. Bernardus.
Juſtinianus. Michael.
Juvenalis. Decius.

K

Kircherius. Athanaſius.

L

300. Laent. Johannes.
Labbeus. Philippus.
Lamy. Bernardus.
a Lapide. Cornelius.
Largus. Scribonius ap. Severinum.
Laſena. Petrus.
Laubruſſel.

Lau-

Laurenti. Sigiſmundus.
Lemnius. Levinus.
Leo Africanus.
310. S. Leo Magnus.
Libavius. Andreas.
Liberatus ap. Odor. Rinaldum.
Lightfootus. Johannes.
Lindanus. Gulielmus.
Lintrenſis.
Lipomanus. Aloyſius.
Lipſius. Juſtus.
Littera. Vincentius.
Livius. Titus.
320. Longus Franciſcus.
Lorinus. Johannes.
Lubin. Auguſtinus.
Lucanus. M. Annæus.
Lucius. Joannes.
S. Lucius Papa.
Lycophron.
Lyranus. Nicolaus.

M

MAcalius. Carolus.
Macer. Dominicus.
330. Macrobius. Aurelius.
Magalianus. Coſmas.
Maginus. Joh. Antonius.
Magnus. Olaus.
Maffeus ap. Phil Bonannum.
Majolus ap. Jac. Bonamicum.
Major. Joh. Daniel.
Malaterra. Gaufredus.
Maltretus. Claudius.
Manduca. Hieronymus.
340. Maranta. Bartholomæus.
Marcellinus ap. Odor. Rinaldum.
Marcianus Heracleotes.
Mariana.
Marinæus. Lucius.
Marloratus. Auguſtinus.
Marmolius. Ludovicus.
Maro. P. Virgilius.
Martialis. M. Valerius.
Marullus. Hieronymus.
Martyrologia.
350. Romanum novum.
Romanum vetus.
Adonis.
Bedæ.
Bellini.
Galeſinii.
Maurolyci.
Notkeri.
Germanicum.
Hieronymianum.
360. Maſſa.
Maſſutius. Thomas.
Matthiolius.
Maundrel ap. Calmetum.
Maurolycus in Hiſt. Sic.
S. Maximus.
Mela. Pomponius.
Menochius. Stephanus.
Mercator. Gerardus.
Mercatus. Michael.
370. Mercurialis. Hieronymus.
Meroville. Carolus.
Metaphraſtes. Simeon.
Micallef. Carolus.
Minutius. Felix.
Minutulus. Andreas.
Miræus. Aubertus.
Mirandulanus. Picus.
Mockius ap. Dan. Major.
Molanus. Johannes.
380. Morerius. Ludovicus.
Muſæus.
Muſæi Regio-Haſnienſis Deſcriptor.
Muſcardus. Ludovicus.

N

DE Naberat. Anna.
Nadaſius. Johannes.
Naſo. P. Ovidius.
Nebriſſenſis. Ælius Antonius.
Nepos. Cornelius.
Nicolaus Papa.
390. de Nicollis. Laurentius Vigilius.
Niderſtedius. Burchardus.
Nierembergius. Joh. Euſebius.
Niger. Dominicus Marius.
Noribergenſia Relata.
Nubienſis Geographus, ſive Arabs Chriſtianus.

O.

OBſequens. Julius.
Omnibonus ap. Farnabium.
Onuphrius. Paulus.
Oroſius. Paulus.
400. Orpheus.
Ortelius. Abrahamus.
ab Oſterhauſen. Chriſtianus.
Oudinus. Caſimirus.

P

PAgius. Antonius.
Pamelius. Jacobus.
Pancirolus. Guidus.
Panigarola. Franciſcus.
Pantaleon. Henricus.
Panvinius. Onuphrius.
410. Papebroch. Daniel.
Paradiſi. Auguſtinus.
Paræus. Ambroſius.
Patarol. Laurentius.
Paterculus. P. Vellejus.
Patinus. Carolus.
Patrocles Thurius ap. Arnobium.
S. Paulinus Nolanus.
S. Paulus Apoſtolus.
Paulus Diaconus.
420. Pauſanias.
Pedianus.
Perottus. Nicolaus.
Perſius. Aulus.
Petavius. Dionyſius.
Petra. Vincentius.
Petrus Bleſenſis.
Petrus Subdiaconus.
Phalaridis Agrigentini epiſtolæ.
Philo comes S. Ignatii Martyris ap. Theod. Ruinard.
430. Philo Judæus.
Philoſtratus.
Phoronidis Auctor ap. Dionyſium Halicarn.
Photius.
Piccolus. Albertus.
Pierius. Valerianus.
Pindarus.
Pirrus. Rocchus.
Piſanus. Franciſcus.
Pitiſcus. Samuel.
440. Platina. Bartholomæus.
Plato.
Plautus. M. Accius.
du Pleſſis. Martinus.
Plutarchus.
Pocokius. Eduardus.
Policrates Epheſinus.
Politianus. Angelus
Polybius Lycorta.
Pomeranus.
450. Pontanus
Ponzettus. Ferdinandus.
Porcacchius. Thomas.
Porta. Joh. Baptiſta.
Poſſevinus.
Priſcianus.
Probus. Æmilius.
Procopius. Sex. Aurel.
Prudentius. Aur. Clemens.
Ptolemæus. Claudius.
Ptolemæus. Card. Joh. Bapt.
Ptolemæus Lucenſis apud Collect. Script. Rer. Ital.
de Puteo. Bartholomæus.
Pythagoras ap. Naſonem.

Q

QUevedus. Franciſcus.
Quintilianus.
Quintinus Heduus. Johannes.

R

RAguſa. Hieronymus.
Redius. Franciſcus.
Reiskius. Johannes,
470 Rejes. Franciſcus Gaſpar.
B. Rhenanus.
Rho. Johannes.
Rhodiginus. Lud. Cælius.
Ribadineira Petrus.
Ricciolius. Joh. Baptiſta.
Rinaldus. Odoricus.
Rollinus.
Roſſo Paulus.

Roſ-

Digitized by Google

Roſveydus. Heribertus.
480. Rota Romana coram Cavillo.
Ruinart. Theodoricus.
Ruſcelli. Hieronymus.

S

SA'. Emanuel.
Sachs Philippus Jacobus.
Salelles. Sebaſtianus.
Salerno. Petrus.
Salianus. Jacobus.
Salmeron.
Salvianus Maſſilienſis.
490. Salutius.
Samperi. Placidus.
Sanctius. Gaſpar.
Sanctorius.
Santius. Franciſcus.
Sarnelli. Pompejus.
de Sauſſay. Andreas.
Scaliger. Julius Cæſar.
Schefferus. Johannes.
a Scheleſtrate. Emanuel.
500. Schenkius. Joh. G.
Scholiaſta vetus Juvenalis.
Scholiaſtes Nicandri.
Scholiaſtes Solini.
Scoglius. Horatius.
Scotus. Sedulius.
Scylax Cardianenſis.
Scylla. Auguſtinus.
Scymnus Chius.
Secundus. C. Plinius.
510. Seneca Philoſophus.
Seneca Tragicus.
Settalſius.
Severinus. Aurelius.
Severus. Sulpitius.
Sibyllina Oracula.
Sigebertus.
Sigonius. Carolus.
Silvius. Ptolemæus.
Solinus. C. Julius.
520. Spanhemius. Ezechiel.
Spondanus. Henricus.
Spondanus. Johannes.
Statius. P. Papinius.
Strauss. Laurentius.
Svidas.
Summontius. Joh. Antonius.
Suppenbergius. Guillelmus.
Suzomenus.
Sylla ap. Plutarchum.
530. Sylvagius. Matthæus.
Sylveira. Jo.
Sylveſter Prier.
Synodus Chalcedonenſis.
Synodus Epheſina.
Synodus Conſtantinopolitana. II.
Synodus Romana VI.
Syrmondus. Jacobus.

T

TAcitus. C. Cornelius.
Talmud ap. Odor. Rinaldum.
540. Taſſonus. Alexander.
Taſſus. Torquatus.
Terentius.
Tertullianus. Q. Septimius Florens.
Textor. Joh. Raviſius.
Theodorus Lector.
Theodoretus Cyrenſis.
Theognis ap. Eraſm. Roter.
Theophraſtus.
Theophylactus.
550. Theopompus ap. Scymnum Chium.
S. Thomas Aquinas.
Thucydides.
Tillemontius. Lananus.
Timoſthenes ap. Strabonem.
Tirinus. Jacobus.
Tograi. Abu-Iſmaelis carmen.
Tranquillus. C. Svetonius.
Trevellius. Pollio.
Triſtanus.
560. Trithemius. Johannes.
Triverius ap. Aur. Severinum.
Tubero ap. Aul. Gellium.

V

VAdianus. Joachim.
Vadingus. Lucas.
Valafridus. Strabo.
Valentinianus. Gregorius.

Digitized by Google

Valentinus.
Valerius Max.
Valeſius. Henricus.
570. Vallisnerius. Antonius.
Varerius. Gaſpar.
Varro. M. Terentius.
Vaſæus ap. Baronium.
Venradius. Gruterus.
Verſiones Act. Apoſtolor.
Æthiopica.
Arabica.
Syriaca.
Vulgata.
580. Ughellus. Ferdinandus.
Victor. Aurelius.
Victor. Marianus.
Victorius. Petrus.
Vignolius. Johannes.
Villanus. Johannes.
Vindingius. Eraſmus.
Virgilius. Polidorus.
Vitruvius.
Volaterranus. Raphael.
590. Volzogenius. Johannes.
Vopiſcus. Flavius.
Vormius. Olaus.
Urſinus. Vincentius.
Uſſerius Armachanus. Jac.

X

Xenophon.
Xyphilinus. Johannes.
Xylander. Guilelmus.

Z

Zacconus. Ludovicus.
Zacutus Luſitanus.
600. Zegerus. Nicolaus.
Zenodotus ap. Eraſ. Roter.
Zonaras. Johannes.
Zoſimus.
Zucconus. Ferdinandus.
Zurita, ſive Surita.
Hieronymus, & alii.

IN-

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Numerus Romanus Diſſertationes ; Barbarus Paragraphos indicat ; literæ D. P. S. Deſcriptionem Melitæ, Præfationem, Seriem Epiſcoporum denotant ; literæ autem minores a. b. &c. poſtpoſitæ majori N. Notas demonſtrant.

A

Aaron virga ubinam ſervabatur? VI. §. 7.
Abela. Joh. Franciſcus. Ab Adverſarii cenſuris defenditur. X. §. 10. XIII. §. 18. Allucinatur una cum aliis Scriptoribus. S. §. 4. & ſeq. Laudatur. X. §. 8. N. b.
Ab ovo uſque ad mala. XII. §. 11.
Abſtinentia vitæ longioris cauſſa. XVI. §. 16.
Acacius perperam creditus Melitæ Epiſcopus. S. §. 3. & 4.
Academia. XII. §. 8. N. d.
Acarnania. Ejus ſitus. I. §. 4.
Acetum habere in pectore. XIX. §. 12.
Achelous fluvius. VI. §. 5. N. b.
Acheruſiades peninſula. In ea ſpecus, e quo Herculem ad canem Cerberum rapiendum fabulantur. XX. §. 19. N. a.
Achilleum argumentum. IX. §. 10.
Acolius Theſſalonicæ Epiſcopus. XIV. §. 14.
Adagia qui adhibenda. P. §. 18.
Ado Viennenſis, a quibuſdam creditus Trevirenſis. XVII. §. 2. N. a. Laudatur. XV. §. 42. N. a. pag. 349.
Adramittenus Sinus. XII. §. 7. N. b.
Adria: tum pro mari, tum pro ſinu Adriatico uſurpatur. I. §. 7. V. §. 7. & 9. Ejus partes interior, & exterior. II. §. 3. & ſeqq. III. §. 10. V. §. 4. & ſeqq. Ad Melitam & Africam uſque protenditur. I. §. 5. 10. & 13. IV. §. 1. 12. & 14. V. §. 4. 9. &c. A nonnullis Ægeo mari permiſcetur. IV. §. 16. Adriaticum mare idem eſt atque Ionium, & Siculum. I. II. III. IV. & V. A D. Luca uſurpari potuit, ut nomen appellativum. VI. Antiquiores Geographi ejus ſitum ignorarunt. II. §. 12. & IV. §. 1.
Adrumentum urbs. XII. §. 7. N. c.
Adverſarius. D. Ignatius Georgius. Eloquentiam ac eruditionem ſuam ad quid adhibeat? P. §. 1. & 11. Orientalibus linguis inſtructus. ibi §. 10. Injuſtarum cauſſarum Patronos imitatur. ib. §. 1. Legitimæ diſputationis regulas haud ſervat. §. 13. Lutheri modos in diſputando æmulatur. ib. §. 1. & 7. XIII. §. 18. Matthæi Beroaldi ſententiam in præſenti controverſia adamuſſim ſequitur. P. §. 4. Auctores ſibi adverſantes iniquis inceſ-

inceſſit conviciis. P. §. 1. & 7. IV. §. 4. VII. §. 16. 24. & ſeq. X. §. 8. & 10. Auctoritates mutilatas allegat, prætermittens verba ſibi refragantia. P. §. 9. V. §. 14. VIII. §. 22. XIII. §. 21. N. b. XVI. §. 4. Auctorum ſententias extorquet. I. §. 8. 9. 10. & 13. III. §. 2. 3. 4. 10. 12. 13. 14. 15. 16. IV. §. 19. V. §. 1. & ſeq. 4. & ſeqq. 8. 9. & ſeqq. VI. §. 9. & 10. VII. §. 7. X. §. 20. XIII. §. 17. & 18. XVI. §. 4. & 9. Gaudet verbis compoſitis, ac ſeſquipedalibus. P. §. 12. IX. § 13. N. a. Labitur. P. §. 2. N. b. D. § 40. N. a. S. § 3. I. §. 5. N a. II. §. 4. III. §. 13. 14. & 15. IV. §. 1. N. a. pag. 122. §. 7. ſeq. V. §. 9. VI. §. 4. & 9. VII §. 27. & 37. VIII. §. 4. & ſeq. X. §. 8. XII. §. 14. XIV. §. 4. XV. §. 6. XVIII. §. 13. XX. §. 11. N. a. Tergiverſatur. I. §. 3. 5. 10. III. §. 3. 9. 10. 15. 16. IV. § 4. 19. VII. §. 5. 9. 30. & ſeq. XI. §. 11. & ſeq. XII §. 4. XIII. §. 1. N. b. §. 3 N. b. §. 18. XIV. §. 7. XV. §. 32. & ſeq. 45. N. a. pag. 351. XVI. §. 2. N. a. §. 9. N. a. §. 10. XX. §. 5. & 11. N. d. Sibi contradicit. P. §. 2. & 7. I. §. 5. 8. & 10. II. §. 5. III. §. 2. 3. & 17. VI. §. 3. VII. §. 4. 9. 20. 21. 25. 37. VIII. §. 19. IX. §. 11. & 25. XI. §. 13. N. c. XII. §. 8. 10. & N. a. 11. & 17. XIII. § 4. 6. 9. N. b. §. 10. N. b. §. 15. XIV. §. 11. & ſeq. XV. §. 12. & 34. XVI. §. 9. XIX. §. 9. N. b. §. 14. XX. §. 8. 13. & 14.

Ædificia Melitenſia. D. §. 20.

Ægyptii Hieroglyph. notarum inventores. D. §. 38. feles colebant. IX. §. 27.

Æſchylus: notatur. V. §. 4. N. a. pag. 137.

Africa ſerpentum feraciſſima. IX. §. 6.

A fronte ſimul & occipitio oculatus. XI. §. 4.

Ago. Gerardus: creditus Epiſcopus Melitenſis. S. § 40.

Agrigentum. Melitæ Caſtellum. D. § 41.

Agryppæ iter, Roma in Orientem revertentis. XIV. §. 7.

Agyra. Diodori Siculi Patria. S. §. 43. N. a.

Ajacis clypeus. II. §. 8.

de Alagona. Antonius: Epiſcopus Melitenſis. S. §. 38.

Albani populi ſerpentes colebant. IX. §. 27.

Albo reti aliena captare bona. XI. § 1.

Alduinus Melitæ Epiſcopus. S. § 17.

Alexander M. Gordianum nodum qui ſolvit? I §. 2.

Alexandria, Ægypti caput. XIV. §. 7. Ejus onerariæ Italiam deferebant annonam. ibi.

Alia res ſceptrum, alia plectrum. P. §. 1. N. c.

Aliena jacere. XVII. §. 9.

Alpheran. Fr. Melchior. Laudatur. D. § 24. N. a.

Alpheran. Fr. Paulus: Epiſcopus Melitenſis. S. §. 68.

Altanus: ventus & mons. VII. §. 18. N. c.

Altenius Cariæ mons miræ indolis ſcorpiones alit. IX. §. 20. N. a. pag. 226.

S. Ambroſius Epiſcopus ex Catechumeno factus. XV. §. 19.

Ammodytes ſerpens viperæ ſimilis. IX. §. 25. Ammodytes piſcis. ibi N. a.

Amphydices a vipera Libyca interfectus. IX. §. 19.

Andromeda: ubinam marino monſtro expoſita? IX. §. 14. Ejus fabulam ad Jonæ hiſtoriam adumbrarunt Gentiles. ibid.

Animalia ferocia qui miteſcant? IX. §. 20.

Animantia innocua qui fiant venenoſa? IX. §. 21.

Antiochia Syriæ Metropolis. XIII. §. 21. N. c.

Antoninus Pius Imperator: lauda-

datur. XVIII. §. 17.
Apollonius Martyr, Senator Romanus, orationem habuit pro Chriſtiana Fide ad Senatum. XV. §. 41.
Apollonius Rhodius notatur. V. § 1. N.c.
Aqua rerum optima. XX. §. 5. N. a.
Aquam in mortario tundere. XVII. §. 9.
Aquæductus in Melita mirabiles. D. §. 28.
Aquilo: flatus violens: ſpeciatim ab Ethnicis cultus. VII. §. 2.
Aranearum telas texere. VI. §. 10.
Arbores lapidefactæ. X. §. 10.
Arbores Melitenſes biferæ. D. §. 22.
Arboricæ inſulæ ex Rheno enatæ. X §. 17.
Archiepiſcopi ubi adſignabantur? XV. §. 45.
Archontes olim in Melita. XV. §. 45.
Argillæ variæ. X. §. 10.
Ariſtoteles notatur. V. §. 4. N. b. pag. 137.
Armene Sinopenſium vicus. XIII. §. 25. N.a
Arriana hæreſis in Illyricum non pervaſit. XIV. § 14.
S. Aſprenas a D. Petro converſus & conſecratus Epiſcopus. XV. §. 17.
A ſacra linea talum movere. VIII. § 5.
Aſſorus Siciliæ opidum: S. §. 43. N. a.
Aſtiria. Laurentius Melitæ Epiſcopus. S. §. 63.
Atrium Melitenſe ſervandis armis deſtinatum. D. §. 21.
Aſtro calculo notare. P. §. 10.
Attilius Regulus maximum ſerpentem ad Bagradæ ripam occidit. IX. §. 6.
Aures Batavæ. III. §. 10.
Auſonium mare idem atque Siculum II. §. 10. olim pro Tuſco uſurpatum. III. §. 14.
Aurum ſubæratum. XVIII. §. 1.
Auctores ab Adverſario allegati, inter ſe diſcrepant. P. §. 8.

B

Bacchus ex Noe confictus ab Ethnicis. IX. §. 28.
Bæotia mens. VIII. §. 24.
Bagrada flumen Africæ minoris. IX. §. 6.
Balaguer. Joh. Michael, Melitæ Epiſcopus. S. §. 61.
Balneolum antiquum in Melita repertum. D. §. 28.
Barbara vox quid ſignificet? VIII. §. 11. In quarumdam Familiarum Meliteńſium cognomentum tranſiit. ibi. N.a.
Barbari olim qui dicebantur? VIII. §. 2. 9. 10. & 16. Barbari Melitenſes, a D. Luca memorati, quinam fuerint? ibi §. 12. & ſeqq. XX. §. 9. Barbari pro Paganis & Hæreticis. VIII. §. 20.
Baronius. Cæſar. Ab Adverſarii cenſura defenditur. XV. §. 46. & ſeq.
Bartholus. Antonius. Ejus & aliorum teſtimonium circa D. Pauli Cryptam. XX. §. 17.
Baſiliſcus venenum ſuum ubinam temperet? IX. §. 7. Ejus deſcriptio. ibi. §. 6 N.a. pag. 214.
Battus Melitæ Dominans. D. §. 39. Condidit Cyrenem Libycam urbem. ibid.
Beliſarius Melitam advenit, magno Ducum, ac Præſulum Græcorum comitatu. XX. §. 15.
Beneficia Cœleſtia quibus conſeferantur? IX. § 28.
Beroaldus. Matthæus. Ejus de Melitenſi ſententia. P. §. 4. Eum potiſſimum ſequutus eſt Adverſarius. ibid. Carpitur. ibi §. 5. Alterius erroris redarguitur. ibidem.

S. Ber-

S. Bertinus Abbas : valde longævus. XVI. §. 15.
Bir-Mula, Melitæ opidum. D. §. 30.
Bonetus Nicolaus : Melitæ Epiſcopus. S §. 19.
Bonifacius Papa IV. a Phoca Imperatore Pantheon obtinuit. XVIII. §. 4.
de Bononia. Bernardus. Melitæ Epiſcopus. S. §. 45.
Bonus, Lucas. Epiſcopus Meliten. S. § 62.
Borgia Johannes : creditus Epiſcopus Melitenſis. S. §. 43.
Boſius. Thomas. Melitæ Epiſcopus. S. §. 56.
Boves invitos plauſtro inducere. P. §. 9.
Brunduſii portus ex Illyride navigantibus peropportunus XIII. §. 5. Illuc adpellere, & illinc ſolvere, eodem flatu naves poſſunt, ibidem.
Buda Turcis erepta. XVIII. §. 11. Elegans epigramma in ejuſmodi victoriam. ibid. N.b.

C

Cæcia rixoſior. III. §. 10.
Cæſarea Cappadociæ Metropolis : Philippi : Stratonis. XIII. §. 21. N.c.
Cagliares. Balthaſſar: Melitenſis Epiſcopus. S. §. 60.
Cajetanus. Octavius. Defenditur a cenſuris Adverſarii. II. §. 1. & ſeqq. XX. §. 12. & ſeq.
Calculum reducere XV. §. 30.
Cali. Tr. Maurus. Epiſcopus Melitenſis. S. §. 24. & 32.
Callimachus: notatur. D. §. 34.
Callixti II. Bulla MS. S. § 12.
Calypſus antrum. D. §. 4.
Camarina. VI. §. 11. N. a. pag. 153.
Campolus. Francifcus. Creditus Epiſcopus Melitæ. S. §. 37.
Camporum Melitenſium fertilitas. D. §. 32.
Cannaves. Jacobus. Melitæ Epiſcopus. S. §. 66.
Capitulum Melitenſe. D. §. 10.
Caracciolus. Conradus. Melitæ Epiſcopus S. §. 26.
Carbas ventus. VII. §. 18. N. c.
Carbones pro theſauro. L. §. 4.
Caſpium opidum Aragoniæ. S. §. 30. N.a.
Catagnanus. Bernardus. Epiſcopus Melitenſis. S. §. 50.
Catagnanus. Bonifacius. Melitæ Antiſtes. S. §. 52.
Catelli Melitenſes. D. §. 34.
Cathedrale Templum Melitenſe. D §. 9.
de Cavallaria. Paulus. Epiſcopus Melitenſis. S. §. 42.
Cavernæ, ſeu ſepulcreta ſubterranea in Melita. D. §. 13.
Ceraunii montes. VII. §. 37.
Ceraunii, lapides fulminei. X. §. 24.
Cercinna. Africæ inſula. D. §. 7.
Chalcedonenſe Concilium. S. §. 3.
Cherſydrus ex Hydro. IX. §. 6. N. c.
Chia terra alexipharmaca. IX. §. 30.
Chioccus. Andreas. Defenditur ab Adverſarii cenſura. XX. §. 19.
Chiriſophus : Dux Græcanicæ claſſis. XIII. §. 25. N.a.
Chreſtion Auguſti Libertus. D. §. 15.
Ciconiæ in Theſſalia colebantur. IX. §. 27. Qui eas enecaſſent, morte plectebantur. ibid.
Clamoſior lauro ardente. XI. §. 12.
Claudii Cæſaris edictum. VIII. §. 6.
Clerus Jeroſolymitani ordinis. D. §. 24.
Clupea. Africæ urbs a Siculis condita. XIII. §. 26. N.a.
Cluverius. Philippus. Ab Adverſario

Digitized by Google

ſario notatus. II. §. 3. N. b. Defenditur. ibid. Notatur. XX. §. 20.
Colubraria: inſula anguium venenatorum feraciſſima. IX. §. 11.
Conchæ in terra genitæ. X. §. 12. & ſeq.
Conradus. Hilarius. Epiſcopus Melitenſis. S. §. 20.
Conſtantinopolitanum Concilium. IV. S. §. 8.
Conſtantinus creditus Epiſcopus Melitæ. S. §. 5.
Conſtantinus Porphyrogenitus. Notatur. P. §. 6.
Contra torrentem niti. P. §. 3.
Coracis arguta reſponſio. IV. §. 19.
Corbarius. Leonettus. Melitæ Inquiſitor. XX. §. 17. Examinat Teſtes circa antiquum Melitenſis D. Pauli Cryptæ cultum, ac celebritatem, ibid.
Cornicum oculos configere. I. §. 5.
Corſetus. Antonius. Epiſcopus Melitenſis. S. §. 44.
Cotinuſa. Inſula. D. §. 8. N. a.
Cotoner. Nicolaus. M. Magiſter Ord. Jeroſ. laudatur. D. §. 30. Cotonera Arx ab ipſo condita. ibid.
Crambe recocta. P. §. 4.
Criſtas attollere. VII. §. 27.
Cronium mare idem atque Ionium, ſeu Adriaticum. I. §. 5. & 13.
Cruſma quid ſit? IX. §. 20. N. a. pag. 225.
Crypta Melitenſis, S. Pauli manſione illuſtrata. D. §. 12. Mirificus ex ea lapis eruitur. ibi. & IX. §. 31. XX. §. 16. Ab exteris utriuſque ſexus hominibus frequentata. XX. §. 17. Ejus antiquitas. ibid. Cur eam Apoſtolus incoluerit? XX. §. 24.
Crypta S. Marciani. XX. §. 14. & 19.
Crypta S. Mariæ Magdalenæ, XX. §. 19.
Cypta S. Mariæ a Salinis. XX. §. 15. Quo tempore fuit conſecrata? ibid.
Cubelles. Dominicus. Melitæ Epiſcopus. S. §. 57.
Cucurbita anguina. X. §. 4.
Cum Cretenſibus cretizandum eſt. P. §. 18.
Cum Larvis luctari. V. §. 9.
Curetes quinam dicti? III. §. 11. N. a.
Cydon Corinthius, hoſpitalitate inſignis. S. §. 2. N. a.

D

Damaſus Papa verſionem novi Teſtamenti a D. Hieronymo factam adprobavit. IV. §. 13.
Delta, ideſt donum Nili. Ægypti inferioris pars. X. §. 17.
Dentes atque oſſa Gigantum in Melita reperta. X. §. 7.
Dentes Gigantum ſuppoſititii. X. §. 3.
Deucalionis diluvium unde confictum? IX. §. 14.
Diaconi in primitiva Eccleſia inferiorum Ordinum miniſteria exercebant, & quare? XV. §. 23.
Dianæ Epheſinæ Templum quando fuerit everſum? XVIII. §. 2.
Dianæ Myrenſis Fanum. XVIII. §. 5.
Dicantium quid ſit? D. §. 10. N. a.
Dignitates Capituli Melitenſis. D. §. 10.
Dignitates Ordinis Jeroſolymitani. D. §. 22.
S. Dionyſius Areopagita primus Athenienſium Epiſcopus, conſecratus a D. Paulo. XV. §. 18. Quot annos natus Martyrium ſubierit? XVI. §. 13.

Digitized by Google

Dionyſius Corinthius quonam tempore floruerit ? XVI. §. 5. & ſeqq. Varias epiſtolas conſcripſit. ib. §. 6.
Diſcipuli Apoſtolorum fuere longævi, & quare ? XVI. §. 13.
Diſputatio bene compoſita, qualis ? P. §. 13.
Dithalaſſus locus bimaris. XI. §. 1. & ſeqq. Locus inter duas maris profunditates eminens. ibi. §. 5. In Melita recognoſcitur is idem, in quem Pauli navis alliſa. ibid.
Diverſoria. Gallis *Auberges*. D. §. 22.
Divi Epithetum Principibus Viris ſemper tributum. XVIII. §. 6. & ſeqq. Diviniſſimi etiam dicti Imperatores. ibi §. 12. Cur ita nuncupati ? §. 14. & ſeq. Divini etiam dicti, qui in aliqua facultate excelluerint. §. 15. Divorum, ac Deorum differentia. ibi. §. 16.
Dracones in Africa nocentiores. IX. §. 7. Homini vel feræ inſidias facturi mortiferas edunt herbas. ibid. Ex formicarum, & Cantharidum eſu in rabiem aguntur. ibid.
Draco oblongum in fronte cornu gerens. X. §. 26. N. a.
Draco Indicus cornutus. X. §. 26. N. a.
Dracontii anguina ſpecies. X. §. 4.
Durinus. Carolus Franciſcus. Inquiſitor Melitenſis. Laudatur. D. § 18. N. a.

E

E Berardus creditus Melitæ Epiſcopus. S. §. 10.
Ebuſus ſerpentibus venenatis immunis. IX. §. 11.
Echinades inſulæ ab Acheloo flumine prognatæ. X §. 17.
Egeſta Siciliæ urbs. D. §. 40. N. b.
Elephantines Æthiopiæ urbs. X. §. 4.
Elephantum ex muſca facere. I. §. 3.
Eleutherus viginti annos natus Illyricæ Eccleſiæ præficitur. XVI. §. 2.
S. Elmi caſtellum. D. §. 19.
Elyſii campi undenam conficti ? IX. §. 14.
Emunctæ naris vir. P. §. 1.
E naſſa eſcam petere. IX. §. 14.
E natali emortualem facere. XVI. §. 25.
Eon ineptiſſimus Hæreſiarcha. IV. §. 5.
Epidaurus portu ac Æſculapii Templo celebris. XII. §. 13.
Epiſcopi a Presbyteris quando, & quare diſtingui cœperint ? XV. §. 20. In primitiva Eccleſia a Clero, & Populo ex Indigenis deligebantur. ibi. § 30. Ejuſmodi electionis modus. ibid. Quibuſnam locis adſignabantur. ibi. §. 45.
Epiſcopi Melitenſes dicti Melivetani. S. §. 10. & 12.
Epopon mons, flamma ex eo prominente, ſolo æquatus. X. §. 18. N. b.
E pumice aquam poſtulare. II. §. 7.
Equi herba quadam noxia depaſti in rabiem aguntur. IX. §. 22. N. b.
Equi Melitenſes generoſi. D. §. 34.
Equites Rhodienſes quo anno Melitam advenerint ? D. §. 40.
Eraſtus arcacius Corinthiorum. XVII §. 15.
Eratoſthenes notatus. II. §. 12.
Ericuſa pro Syracuſis ab Adverſario perperam ſubſtituitur. XIII. §. 17.
Erythia inſula. VIII. §. 4.
Eſſæni mundi ſitum expingere adorti ſunt. IV. § 1. N. a. pag. 122. Eſſæni, ſive Eſſæi, longævi

gævi erant, & quare? XVI. §. 16. Eorum nomen quid ſonet? ibid. N. a. Triplici regula vitam tranſigebant. ibid.
Ethnici ſacras hiſtorias in fabulas converterunt. IX. §. 14.
Euridice Alexandri M. avia. VIII. §. 18.
Euripides notatus. V. §. 1. N. b.
Euroaquilo a D. Luca deſcriptus. VII. §. 2. & ſeqq. §. 18. N. b. Sive is fuerit Euroclydon, non in Dalmatenſem, ſed in Siculam Melitam Pauli navem impellere poterat. ibid. §. 8. & ſeqq.
Eurus veteribus idem atque Subſolanus. VII. §. 8. & ſeqq. Flatus ſaluberrimus & quare? ibi. §. 18. Unde dictus? VII. §. 16. & 22.
Extra chorum ſaltare. I. §. 3.

F

Ferri fodina inexhauſta. X. §. 12.
Ferrum petrefactum. X. §. 10.
Fidei Templum. Hujuſmodi nomine nuncupata eſt ædes ex aſſeribus conflata in Melita. XVIII. §. 11.
Fidenates a Romanis perditi. VIII. §. 23.
Flabella in Sacris adhibita. D. §. 24.
Flamines a quo & quare inſtituti? XV. §. 45. N. b. pag. 352.
Flavius Melphitanus pixidis Nauticæ inventor. VII. §. 31. N. a.
Flores Melitenſes præſtantiſſimi. D. §. 33.
Floriana. Munimentum Melitenſe. D. §. 28.
de Foix. Petrus. Melitæ Epiſcopus. S. §. 41.
Fontes in Melita elegantes. D. §. 3. & 28. Mirifice educti a D. Paulo. D. §. 6. XX. §. 4. & 7.
Fortunatæ inſulæ. XV. §. 1. N. b.
Fulvius. Servius. Dux Romanæ Claſſis. VI. §. 2.
Fungus Melitenſis. D. §. 46.

G

Gajus Papa conſtituit, ut per ſingulos Ordinum gradus ad Sacerdotium aſcenderetur. XV. §. 24.
Galata inſula venenatos angues enecat. IX. §. 12.
Gargallus. Thomas. Melitæ Epiſcopus. S. §. 59.
Gaulos inſula. Ejus deſcriptio. D. §. 43. Varia ejus nomina. ibid. Ejus ambitus. §. 44. Opidum. §. 45. Antiqua monumenta. ibid. Suburbium, ac Pagi. §. 46. Fertilitas. ibid. Lares, incolæ, & aeris ſalubritas. §. 47. Pro Galata a Solino accepta. IX. §. 13.
Gaytus Maymonus. Melitæ Princeps. D. §. 39. Pactas & Syracuſas vaſtavit. ibid.
Gemmæ inter ſe figura diſtinguuntur. X. §. 22.
Geographus ſuas deſcriptiones quibus accommodat. II. §. 11.
Geographicas Tabulas quis fuerit adortus? IV. §. 1. N. a.
Germanicus Imperator Marſorum vicos devaſtavit. VIII. §. 23.
Gladiatorius animus. P. §. 15.
Gloſſopetræ perperam Lamiæ dentes creduntur. X. §. 2. & ſeqq. Earum multiplex figura, colorque. ibi. §. 19. Sunt lapides ſui generis, & in propriis fodinis generantur. §. 20. & ſeqq. Creſcunt in matrice ſua. §. 22. Plinio falſo creditæ Ceauniæ. §. 24. Eas eſſe Lamiarum, id eſt Mulierum, inſtar Strigum, ſugentium ſanguinem Infantum, dentes putarunt nonnulli. §. 26.

Aliæ aliorum de ipſis ſententiæ. ibid.
Gnomon & regula. I. §. 1.
Goffridus an fuerit Melitæ Epiſcopus. S. §. 9.
Goja. Johannes. Pixidis Nauticæ inventor. VII. §. 31. N. a.
Gorgias Leontinus omnigena ſcientia inſtructus. XII. §. 20. N. a.
Gorgonis caput. III §. 3.
Gori. Gaſpar. Epiſcopus Melitenſis. S §. 67.
Goſſipium Melitenſe. D. §. 32.
Grabatus tripes. IX. §. 1.
Gracchus Tiberius. CCC. Celtiberorum urbes evertit. VIII. §. 23.
Græcia fabularum doctrix. VIII. §. 4.
Græcæ litteræ olim ab omnibus fere gentibus excultæ. VIII. §. 5. & ſeq.
Græci novum teſtamentum violarunt. VII. §. 6. XII. §. 7.
Gualterius Melitæ Epiſcopus. S. §. 9.
Gubernator inſulæ, ac Pagorum Melitæ. D. §. 14.

H

Haxac. M. Antonius. Alluciatur. D. §. 4.
Hebræi olim Hebraicam linguam ex libris diſcebant. VIII. §. 5.
Henricus a Cephalædio Melitæ Epiſcopus. S. §. 18.
Hephæſtia inſula. D. §. 46.
Herbæ marinæ terreſtribus ſimiles. X. §. 2.
Hercules ex Samſone confictus ab Ethnicis. IX. §. 14.
Herculeum agmen. P. §. 1.
Herculeus labor. P. §. 8.
Herculis Templum olim in Melita. D. §. 8.
Heraclides a vipera, quam ſecum ſemper habebat, occiſus. IX. §. 27.
Hermagoras primus Aquilejæ Epiſcopus. XV. §. 17.
S. Hermas longævus fuit, & quare? XVI. §. 13.
Hermea promontorium. VI. §. 2. XIII. §. 26. N. a.
Hermogenes, & alii negantes carnis reſurrectionem, Paulum Apoſtolum averſati ſunt. XV. §. 46. XVII. §. 8.
Heroſtratus Dianæ Epheſinæ Templum incendit. VIII. §. 4.
Heteremolia cauſa. P. §. 12.
Hic Rhodus, hic ſaltus. I. §. 3.
S. Hieronymus. Laudatur. IV. §. 13.
S. Hilarionis antrum valde veneratum. XIV. §. 13.
S. Hilarius in Gallinaria inſula ſerpentibus limitem adſignavit. IX. §. 2.
Hipnales ſerpes mortale ſomnum afferentes. IX. §. 6. Hujuſmodi ſerpem Cleopatra pectori admovit. ibid. N. b. pag. 213.
Homerus Scientiarum Pater. VII. §. 9. Quænam fuerit ejus Patria? XX. §. 1.
Homines valde longævi. XVI. §. 14. & ſeq. Homines lapideſacti. X. §. 8. & ſeq.
Hominis irritati morſus venenoſus. IX. §. 21.
Horatii Coclitis ſimulacrum. P. §. 12.
Horda. Tartarorum turma. X. §. 8.

I

Japyx ventus unde dictus? VII. §. 18. N. c.
Idem arbuſtum non alit duos Erithacos. S. §. 26.
Idolorum Templa uſquequando perduraverint? XVIII. §. 3.
S. Jeremias aſpidum morſus curat, & Crocodilos fugat. IX. §. 3.
Illyrica ora mille amplius inſulis fre-

frequentatur. XII. §. 14. Portubus commodis inſtructa. XIV. §. 4.
Illyrici, Conſtantino M. imperante, Chriſtianam Fidem libere profitebantur. XIV. §. 13. Per eorum Inſulas multus Sanctorum numerus ſuſtentabatur. ibid. Ad ipſos, uſque ad Theodoſii imperium, Arriana hæreſis minime pervaſerat. XIV. §. 14.
Imagines B. Virginis a D. Luca depictæ. XX. §. 28. 31. & ſeq.
In arenam deſcendere. I. §. 1.
In duobus videre tria. XVII. §. 11.
In eumdem lapidem offendere P. §. 2.
In holmo cubare. XIII. §. 12.
In magnis & voluiſſe ſat eſt. XX. §. 35.
Inſcriptiones antiquæ in Gaulo inſula repertæ. D. §. 45. XV. §. 3. XVIII. §. 6. In Melita D. §. 15. XV. §. 3. 13. & 45.
Inſpiceſundum Opidum. XX. §. 6.
Inſulæ variæ a fluviis prognatæ. X. §. 17. Aliæ a mari enatæ. ibid. §. 18.
Invalidorum Aedes in Melita. D. §. 23.
Johannes a S. Paulo. D. §. 12.
S. Johannes Chryſoſtomus laudatur. XIX. § 9. N. b.
Johannes Epiſcopus Melitenſis. S. §. 11.
Johannes ſecundus, Epiſcopus Melitæ. S. §. 14.
S. Johannes Evangeliſta quot annos vixerit? XVI. §. 13. N. b.
Jonium mare idem atque Adriaticum. I. II. III. IV. V. Jonius Sinus idem atque Adriaticus. I. §. 4. V. §. 7. & 9. Secundum Strabonem pars Adriæ. II. §. 2. & ſeqq. Jonius Trajectus Adriæ pars. I. §. 5. Pro Ionio ſinu acceptus. ibid. & §. 7. & 8. II. §. 8. Jonium mare, Sinus, Trajectus confunduntur. I. §. 4. & 7. II. §. 8. III. §. 10. IV. §. 11. V. §. 11.
Iſmucitana terra alexiteria. IX. §. 30.
Ithaca. Ulyſſis Patria. VII. §. 34.
Junonis inſula. VIII. §. 4.
Junonis Templum olim in Melita celebre. D. §. 17. Aliud in Samos inſula. VIII. §. 4.

K

KEina, ſive Hilda. Angla Virgo. X §. 24. Eam ſerpes fugaſſe, & in ſaxum mutaſſe credunt Angli. ibid.
Kircherius. Athanaſius Melitam ex arenis, mariſque ejectamentis conflatam opinatus eſt. X. § 14. Refellitur ejus opinamentum. ibid.

L

LAma. Marius. Laudatur. VII. §. 29. Ejus epiſtola de Pauli Naufragi in Melitam Navigatione, eidem Diſſertatione ſubnexa.
Lamiæ turres. IV. §. 2.
Laparelli. Franciſcus. Laudatur. D. §. 19.
Lapides humana membra ac dentes referentes. X. §. 3. Exprimentes plantas, & frutices. ibi. §. 4. Repræſentantes bovinum cor, & cancrorum pectus. ibid. Lapides, in quibus vivi piſces reperiuntur. ibi. §. 12.
Lapilli, quos ſerpentum ocellos vocant, falſo creduntur piſcium dentes. X. §. 23. Sunt gemmæ Achatis genus. ibid. Reperiuntur multiplicis coloris. ibid. Sunt ocellis ſimiles. ibidem.
Laſæa urbs. XIII. §. 27. N. b.
Lemnia terra alexipharmaca. IX. § 30.

Leri-

Lerida. Catalauniæ Academia. S. §. 64. N. a.
de Leſcout, ſeu Romegas. Fr. Maturinus, M. Magiſtri *de la Caſſiere* æmulus. S. §. 59.
Leuconotus, ſive Auſter albus. VII. §. 14. N. 6.
L'Eveſque de la Caſſiere. Fr. Johannes. M. Magiſter Ord. Jeroſolym. S. §. 58. & 59.
Licinius. Galliæ Præfectus avariſſimus. XV. §. 8.
Ligna lapidefacta. X. §. 10.
Lignum colubrinum. X. §. 4.
Lilybeum. Siciliæ Promontorium. D. §. 1.
de Literis. Michael. Epiſcopus Melitæ. S. §. 28.
Loco prædæ contentus reditu. V. §. 12.
S. Lucas quonam tempore Actus Apoſtolorum ſcripſerit? IV. §. 4. & ſeq. Individuus Pauli comes. IV. §. 5. Hujus martyrio interfuit. ibid. Erat Proſelytus. VI. §. 3. N. a. Quænam in Actibus Apoſt. deſcribere inſtituerit? XII. §. 9. Eujus ſilentium circa quędam a Melitenſibus tradita, ipſis minime refragatur. XIX. §. 7. & ſeqq. Cur non omnia Pauli miracula, reſque geſtas recenſeat? ibid. Ante Melitenſe Pauli Naufragium Dalmatenſibus Dei verbum annunciaverat. XII. §. 10. Varias Deiparæ imagines pinxit. XX. §. 28. & ſeqq.
Lucillus Epiſcopus Melitenſis. S. §. 6.
Lunæ radiis non matureſcit botrus. XIV. §. 19.
Lutherani linguarum peritia ſuperbientes. P. §. 10.
Lycæum. XII. §. 8. N. e.
Lynceus. III. §. 13. N. a.

M

Machaon Aeſculapii filius. IX. §. 23. N. a.
Magiſtratus Melitenſis. D. §. 14. & 23.
Mali corvi malum ovum. IV. §. 19.
Mamelikiæ viperæ. X. §. 26. N. a.
Mamertinum fretum formidabile. XIII. §. 7.
Mamertinus Carcer. XVII. §. 8.
Manas Epiſcopus Melitenſis. S. §. 8.
Manduca. Hieronymus. Notatur. S. §. 4. Laudatur. XI. §. 9.
Manuum extenſio in electionibus quid? XV. §. 30. N. a.
Marcus Intruſus creditus Epiſcopus Melitenſis. S. §. 27.
S. Margarita. Melitæ vicus. D. §. 30.
Maryandini populi. XIII. §. 25. N. 6.
Marmor Melitenſe. D. §. 28.
Martyrologia diverſa olim Romæ uſitata. XV. §. 43.
Fr. Matthæus a Melita. Inquiſitor Generalis Melitæ, & Gaulos. S. §. 33.
Mauritani telis ſuis in ſe retortis vulnerati. P. §. 12.
Medina quid ſonet? D. §. 9.
Melita. Siculo-Adriatici maris inſula. Ejus ſitus. D. §. 1. Celebratur a variis Scriptoribus. ibid. Ejus ambitus. ibid. Varia ejus nomina ibid. & XII. §. 2. Ejus portus, ſinuſque. D. §. 2. & ſeqq. Olim olivis, & melle ſcatens. ib. §. 4. Tela ſuperba. ibid. Ejus arces. D. §. 5. 7. 20. 28. 29. & 30. Ejus urbes. §. 9. & ſeqq. Tres Epiſcopos habuit S. R. E. Cardinales. §. 11. Ejus incolarum numerus. §. 37. Qui eam antiquitus incoluerint? §. 28. & ſeqq. Quonam tempore fuerit a Saracenis

Digitized by Google

cenis capta, & a quo recuperata? §. 39. Paſtores proprios ſemper habuit. S. §. 1. N. a. Siciliæ accenſetur. S. §. 7. XII. §. 16. Ex arenis, mariſque rejectamentis conflata Adverſario perperam dicitur. X. §. 14. & ſeq. Naturaliter venenatis anguibus obnoxia eſſe deberet. IX. §. 4. & ſeqq. Olim olivis, & aliis arboribus ſcatebat. IX. §. 10. In ea viſuntur plura monumenta D. Pauli adpulſum teſtantia. XX. § 2. & ſeqq.
Mel Melitenſe optimum. D. §. 4.
Melitenſes: laudantur. D. §. 40. Eorum idioma. ibi §. 41. Mores. §. 42. Romanorum Socii audiebant. VIII. § 9. Longiorem vitam traducunt. XVI. §. 16.
Melitenſis terræ virtus. IX. §. 31.
de Mello. Senator. Melitæ Epiſcopus. S. §. 33.
Melta, ſive Melita Dalmatenſis, variis nominibus inſignita P. §. 16. Proprium Paſtorem numquam habuit. S. §. 3. VIII. §. 21. & ſeqq. XV. §. 45. Græcis Regionibus accenſebatur. VIII. §. 19. & ſeq. Pauli Naufragi tempeſtate erat accolis deſtituta ac deſerta. VIII. §. 21. In ea hyemare non poterant Paulinæ navis nautæ, vectoreſque. XIV. §. 2. & ſeqq. Neque in ea facile erat reperire Navim Alexandrinam, Romam tranſmittentem. ibi. §. 7. & ſeqq. Nulla ibi Paulini adpulſus monumenta. ibid. §. 12. & ſeqq.
Metone Peloponneſi urbs. IV. § 13. VII. §. 29.
S. Michaelis arx. D. §. 29.
Mileſium vellus. XVII. §. 2.
Milevitanum Concilium ubinam celebratum? D. §. 7.
Milytus: inſula Cretica ante Pauli ævum everſa. XVII. §. 18.
Minervæ Caſtrum. XIII. §. 9. N. a.
Minervæ ſuffragium. XIII. §. 9.
Minos ex Moiſe confictus a Gentilibus. IX. §. 14.
Miracula quare fiant? XVII. §. 17.
Molina. Michael Hieronymus. Epiſcopus Melitenſis. S. §. 64.
Mons Verdala. D. §. 16.
Monumenta Traditiones corroborantia. XX. §. 1.
Mulieres Melitenſes bellicoſæ. D. §. 17.
Mummius Conſul Corinthum diruit. VIII. §. 23.
Mus araneus in Italia venenoſus. IX. § 22.
Muſſipontum, ſeu Pontamuſſum. Academia florens. X. §. 9.
Myra. S. Nicolai Patria. XII. §. 7. N. a.
Myron: fluvius. XII. §. 7. N. a.

N

NÆniæ Iberæ. I. §. 10.
Narciſus Jeroſolymitanus Epiſcopus 116. annos vixit. XVI. §. 13.
Naſica rebelles Hiſpaniæ Principes interfici, urbeſque dirui mandavit. VIII. §. 23. Dalmatas debellavit ac venumdedit. ibid.
Naſſar. Opidum Melitæ, cujus incolæ ad Chriſti Fidem primi a D. Paulo perducti fuerunt. D. §. 31. VIII. §. 14. XX. §. 9.
Natrix ſerpens aquas veneno afficiens. X. §. 25.
Nava. Perantiqua familia Melitenſis. D. §. 17.
Naufragii Paulini dies quotannis a Melitenſibus ſolemniter recolitur. D. § 25.
Naufragium formidabile Romanæ claſſis. VI. §. 2.
Navigantes antiqui in exteris portubus hyemare non ſolebant. XIV. §. 2. Quonam tempore ad patrios portus remeabant? ibid. Antiquitus litora circumlegere

con.

Paulus Apoſtolus, quo anno in Melitam naufragus advenerit? XVI. §. 3. & 4. N. a. Quando virtutem in venenatos angues a Deo obtinuerit? IX. §. 3. Quonam in loco fuerit a Melitenſi vipera demorſus? XI. §. 12. Ubinam Dei verbum annunciare conſuevit? XII. §. 19. Quando ſcripſerit ſecundam ad Timotheum? XVII. §. 3. & ſeqq. Lyſtris prius honoratus, deinde lapidatus. ibid. §. 8. Quoties fuerit verberatus? XIX. §. 10. Quo tempore ſecundam ad Corinthios exaraverit? XX. §. 5. N. a. pag. 417. Quot naufragia pertulerit? ibid. Quo anno Martyrium ſubierit? IV. §. 5.
Paulus Æmilius. Conſul Romanus. V. §. 2.
Pelagius Hiſpaniarum Rex miram de Mauritanis victoriam reportavit. P. §. 12.
Pelignum vinum. XIX. §. 16. N. b.
Pellis ventos claudens ab Æolo Æneæ donata. IV. §. 1. N. b.
de Pelveda. Johannes. Epiſcopus Melitenſis. S. § 48.
Penula quid ſit? XVII. §. 5.
Petrus de Aliſontirburgo ad Epiſcopatum promotus valde juvenis. XVI. §. 2.
Phalaris. Agrigenti Tyrannus. Epiſtolas ad Melitenſes dedit. D. §. 40. Ejus triremis a Melitenſibus recuperata. ibid.
Phigellus Apoſtolum averſatus eſt, & quare? XVII. §. 8.
Philauti quinam dicantur? VI. §. 9. N. a.
Philippi II. Hiſpan. Regis gladius. D. § 21.
S. Phocas curat demorſos a venenatis animantibus. IX. §. 2.
Phœnices laudati. D. §. 38.
Pictores antiqui, præſertim Græci, in cera prius delineabant, quæ pingere debebant. XX. §. 31. N. a.
Pilos pro lana venditare. I. §. 1.
Pindus mons in Thracia recognitus a Seneca Tragico. VI. §. 6.
de Pino. Johannes: electus in Melitenſem Epiſcopum. S. §. 23.
Pirrus. Rocchus. Notatur. S §. 4. 5. 11. & 12.
Piſces varii æquoris Melitenſis. D. §. 35.
Piſces univerſali inundatione non perierunt. X. §. 5.
Piſces lapidefacti. X. §. 6.
Pixis Nautica quando & a quo fuerit inventa? VII. §. 31. N. a.
Plantæ ſecundum locorum varietatem immutantur. IX. §. 4.
Plantæ marinæ terreſtribus ſimiles. X. §. 2.
de Platamone. Antonius. Epiſcopus Melitenſis. S. §. 31.
Plinius male intellectus ab Adverſario. III. §. 15. Illius mendum corrigitur. ibid.
Plumbeus gladius in eburnea vagina. V. §. 1.
Poetæ: laudantur. III. §. 16. Appellantur Sancti, & quare? XVIII. §. 14.
S. Polycarpus valde longævus martyrium ſubiit. XVI. §. 13.
Ponticus Heraclides, notatur. IV. § 1.
Portus optimus qualis? D. §. 2. N. c.
Portus ab Homero & Virgilio deſcriptus. D. §. 4.
Portus claudendi catenis mos perantiquus. D. §. 29. N. a
Presbyteri quando audiebant Epiſcopi? XV. §. 29.
Preti. Fr. Matthias. Pictor inſignis. D. §. 24.
Principes Apoſtolorum quanta olim veneratione fuerint culti? XV. §. 35. N. b. In eorum feſto Die Papa olim bis celebrabat. ibid.
Prius cancri recte ingrediantur. XIII. §. 1.
Prius mare vitem tulerit. III. §. 2.

Pro aris & focis pugnare . P. §. 16.
Proſerpinæ Fanum olim in Melita . D. §.15.
Prothoflamines. XV. §.45.
Proti quinam dicebantur ? XV. §.10.
Provinciæ Conſulares, aut Prætoriæ per quot annos a Romanis obtinebantur ? XV. §. 7.
Ptolemais: in Sacris paginis *Acon*, ſive *Accho* , Gallis *Saint Jean d'Acre*. XIII. §. 22. N. b. pag. 297.
Ptolemæus. Claudius. Laudatur. IV. §.1.
S. Publius, D. Pauli hoſpes , & primus Melitæ Epiſcopus. S. §. 2. Fuit civis Melitenſis . XV. §.2. & ſeqq. Quare *Protus Inſulæ* a Luca dictus ? ibi. §. 9. a D. Paulo conſecratus. ib. §. 16. & ſeqq. Virtutibus Epiſcopum decentibus ornatus . § 21. Plures Sancti Martyres Publii nomine inſigniti . ibi. §. 4. & 35. N. a. Idem fuit Epiſcopus Athenienſis . XVI. §. 1. & ſeqq. Quot annos erat natus , quum eſſet Melitenſi Eccleſiæ præfectus ? ibi. § 2. ſeqq. Quo anno fuerit conſecratus ? ibi. §. 3. Quo anno Martyrium ſubierit ? ibi. §. 5. & 12. Quamdiu vixerit ? ibid. Melitenſia ejus prædia . XX. §.7.
Pujades. Johannes . Epiſcopus Melitæ. S. §.47.
Pulverem oculis offundere . I. §. 14.
a Puteo. Bartholomæus. D. §.19. Eius Poema manuſcriptum ? ibid.

Q

S. Quadratus. D. Publii in Athenienſi Præſulatu Succeſſor . XVI. §. 9. Quonam tempore floruerit? ibid. Idem fuit Apoſtolorum Diſcipulus. ibi. & §. 11. Erat Prophetia inſignis ibi. §. 12.
Quærens obſonium veſtem perdidit. XII. §.10.
Quid bovi & delphino commune? VIII. §.17.
Quid diſtent æra lupinis? XIII. §. 17.
Quintinus. Joh. Heduus. Notatur. D. §.17.

R

RAcuſius portus pro Syracuſis ab Adverſario perperam ſubſtituitur. XIII. §.17.
Radix Serpentiformis. X. §. 4.
Rainaldus. Melitæ Epiſcopus . S. §. 12.
Raphael Oſtienſis . Melitæ Epiſcopus. S. §.49.
Rationale Pontificis veteris Legis. XV. §.21.
Regiones variæ ex fluviorum , ſeu maris ejectamentis ſimul congeſtis conflatæ . X. §. 16. & ſeqq.
S. Remigius 20. annos natus Remenſi Eccleſiæ præficitur. XV. §.2.
Richardus creditus Melitæ Epiſcopus . S. §.36.
Rogerius a Cephalædio . Melitæ Epiſcopus S. §.15.
Rogerius Normannus , Siciliæ Comes Melitam capit. D. §. 39. S. §. 10. & 11. XX. §.10. Plureis Eccleſias condidit. S. §.11.
Rojas. Martinus . Meliten. Epiſcopus. S. §.58.
Romana nomina Alienigenis uſitata. XV. §. 2. & ſeq.
Romani milites ſuos in Dalmatiam mittebant, ut militari diſciplina inſtruerentur . XII. §. 12. Peſte vexati Æſculapii ſimulacrum Epidauro Romam adduxerunt. ibi. §.13.

S. Ro-

Digitized by Google

S. Romualdus abſtinentia vitam produxit. XVI. §. 16.

S

SAlelles. Sebaſtianus. Notatur. S. §. 21. & 26. Laudatur. S. §. 54.
Saliba. D. Petrus: laudatur. D. §. 30.
Salinarum portus Meſitenſis. D. §. 7. & XX. §. 15. Ad eum adpulit navalis claſſis An. 1565. IX. §. 23. N. b.
Samia terra Alexiteria. IX. §. 30.
Sancti & Sanctiſſimi appellantur Dominantes. XVIII. §. 13. Vide verb. *Divi*. Sancti olim dicebantur omnes Chriſtiani, & quare? XVIII. §. 18.
Sarone magis nauticus. P. §. 8.
Saturnus e Creta profugus. I. §. 13. Ejus falx ubinam fuerit ſervata? ibi. §. 5.
Scala Tiriorum. Mons. XIII. §. 22. N. a. pag. 297.
Scilla ex Dalila a Gentilibus conficta. IX. §. 14.
Scipio Africanus Numantiam a ſolo evertit. VIII. §. 23.
Scorpii Noricarum Alpium minus nocentes. IX. §. 7.
Scylla in Tuſco mari agnoſcitur Euripidi. VI. §. 6.
Scymnus Chius. notatur. V. §. 10.
Scyron ventus unde dictus? VII. §. 18. N. c.
Scytalæ ſerpes qui homines enecent? IX. §. 6. N. a. Ex earum ſpecie fuit ſerpens quæ Hevam decepit. ibid.
Senator Martyr. XV. §. 41. N. a.
Senen Turcicæ Claſſis Imperator e Melita fugatur. S. §. 57.
Senex pſittacus negligit ferulam. XV. §. 16.
de Sengle. Fr. Claudius. M. Magiſter Ord. Jeroſol. D. §. 29.
Senglea urbs Melitæ. D. §. 29.
Serenitati nubem inducere. I. §. 10.
Sepulcretum D. Pauli Cryptæ contiguum. XX. §. 17. In eo ſepulti inſignes Viri. ibid.
Serpentes virulenti quibus ex cauſis, & ubinam gignantur? IX. §. 4. & ſeq. §. 16. N. a. Melita ejuſmodi anguibus naturaliter obnoxia. ibid. in quibuſdam regionibus ob interceſſionem quorumdam Sanctorum minime naſcuntur, vel illati fugantur. IX. §. 2. & ſeq. Africani aliis virulentiores. ibi. §. 4. Secundum locorum varietatem immutantur. ibi & §. 5. & 8. An veſcantur minutis herbis, in quibus acriorem veneni vim agnoſcant? ibi. §. 8. An vinum appetant? ibi. §. 15. Naturaliter frigidi, nonniſi cum caleſcant, feriunt. §. 18. N. a. Serpentum ſpecies variæ. ibi §. 6. Serpentum, & viperarum differentia. ibi. §. 25. Vide verbo *Draco* & verb. *Vipera*.
Sibyllina folia. P. §. 1.
Sicilia Italiæ accenſetur. II. §. 9. Proſerpinæ dotis vice a Jove donata D. §. 15. Cereri, ac Liberæ dicata. XIX. §. 5.
Siculum mare, Adriæ pars. II. §. 1. & ſeqq. Idem atque Adriaticum. I. II. III. & ſeqq. per tot.
Sigelgaita. Roberti Guiſcardi conjux. S. §. 9.
S. Simeon Epiſcopus Jeroſolymitanus 120. annos natus fuit cruci affixus. XVI. §. 13.
Simon Magus. Primus Hæreſiarcha, & Græcizantium ſectator. P. §. 10.
Sinus Paulinus Melitenſis. D. §. 6. XX. §. 2.
Sinus S. Mariæ a Salinis. D. §. 7. XX. §. 15.
Sinus Melitenſis a Vulturno dictus. D. §. 8.

Socrates Alcibiadem redarguens. IV. §.1. N.a
Solanus, ſive Subſolanus. VII. §. 18. N.a.
Solini mendum corrigitur. III. §. 15.
Solis pectines. IV. §.2.
Speluncæ a Sanctis viris olim incolebantur. XX. §.19.
Stadium quot paſſus contineat? XIV. §.4. N.a.
Stadl. Baro Ferdinandus. Laudatur. P. § 12. VII. §. 29.
Strymon flumen pro Hebro uſurpatur a Virgilio. VI. §.6.
Stuppanus. Joh. Franciſcus: laudatur. D. §.18. N.a.
Suburbium Melitæ novum. D §. 28.
Suem irritare. III. §.10.
Superum mare quale? II. §. 5.& 6.
Sylvanus creditus Melitæ Epiſcopus. S. §.3.
Syracuſæ, Græcarum urbium maxima. XIII. §. 15. Olim Siciliæ Metropolis. ibid. Ad eam adpulit D. Paulus e Melita profectus. ibi §. 1. & ſeqq. Ejus expugnatio. S. §. 8. Syraco pro Syracuſis a quo uſurpatur? §. 17. N.a.
Syrtis Lothophagorum. VII.§.27.

T

TAbulæ Geographicæ a quo primum factæ fuerint? IV. §.1. N.a.
Tarantulæ in Apulia nocentiſſimæ. IX. §.4. N.a. In Melita ſunt minus nocentes. ibid.
S. Taraſius e Laicali cœtu ad Patriarchatus culmen evectus. XV. §.19.
Tarquinius Appiolanos expugnavit, & incendit. VIII. §. 23.
Tartarorum turma in ſaxum mutata. X. §.8.
Templa & altaria ſoli Deo conſecrantur. XI. .12. N.a.
Templa. Melitæ inſigniora. D. §. 9.18.24. & 31. XX. §.3.10.15. In honorem D. Pauli extructa. XX. §.3. N.b. In honorem D. Publii, ejus hoſpitis. ibid. Templorum Melitenſium numerus. D. §. 37.
Templum S. Mariæ in via lata. XX. §.22.
Teſtacea ubinam gignantur? X. §. 12. In altis montibus reperta. §.14.
Teſtaceæ rates apud Ægyptios. XIII §.28. N.c.
Teſtimonia vetera circa Melitenſem D. Pauli cryptam. XX. §. 17.
Teſtudineæ cymbæ apud Chenelophagos. XIII. §.28. N.c.
Thales Mileſius Urſæ minoris inventor. D. §. 38.
Theodoſii Magni mira victoria. P. §.12. Ejuſdem Lex circa Idolorum demolitionem. XVIII. §. 5.
Thriorum ſtrepitus. VII. §. 23.
Tiberina Inſula. X. §. 17. N. b. pag.250.
Timoſthenes: notatur. II. §. 12.
Timotheus a Paulo inſtitutus in Epheſinorum Epiſcopum. XVII. §.14.
Tiſias Syracuſanus. Lepidum ejus ſophiſma. IV. §.19.
Traditiones humanæ adprobatæ. XIX. §. 2. & ſeqq. Quænam Traditiones fuerint a Chriſto Domino, & Apoſtolis repudiatæ? ibi. §.4. Traditiones Melitenſium fide perdignæ. ibi per tot. Confirmantur auctoritate. ibi. §.16. Necnon monumentis. XX. per tot. Conſonant aliorum Populorum Traditionibus. ibi. §. 31. & ſeq. Traditiones Melituſiorum vanæ. XIX. § 15. & ſeq. Traditiones Sicilienſium, ac Neapolitanorum de D. Paulo. XIX. §.13. Traditiones Sicilien-

cilienſium Ethnicorum. XIX. §. 5.
Trajanus Epiſcopus Meliten. S. §. 7.
Tria Steſichori. P. §. 7.
Tricæ Apinæ. I. §. 3.
S. Trophimus a Paulo relictus in Melita ægrotans. XVII. per tot. Cur eum ſanitati non reſtituerit Apoſtolus? ibi. §. 17.
SS. Tryphæna, & Tryphoroſa a D. Paulo ad Chriſtum perductæ. XIX. § 10.
Turpe eſt ſe non poſſe defendere ſermone. P. §. 12.
Turris Stratonis. XIII. §. 21. N. c.
Typhon e certa Mundi plaga non ſpirat. VII. §. 3. Aquilone diſſipatur. ibid. Typhonici flatus proprietates. ibi. §. 32.
Tyrus urbs incolis *Sur*; in ſacris pagiuis *Zor*, dicta. XIII. §. 22. N. a. pag. 297.

V

Vadianus. Joachim: notatur. IV. §. 2.
Valerius Conſul Satrici Opidum incendit. VIII. §. 23.
Valeſius. Henricus: notatur. XV. §. 34. N. a. Refellitur ejus opinio. ibi. §. 38. & ſeqq. Allucinatur. ibi. § 44.
Valguarnera. N. creditus Epiſcopus Meliten. S. §. 29.
Valguarnera. Jacobus. Meliten. Epiſcopus. S. §. 43.
de Valle. Andreas: electus in Meliten. Epiſcopum. S. §. 51.
Valletta. Johannes. M. Magiſter Ord. Jeroſolym. Laudatur. D. §. 19. Valletta urbs ab eo condita. ibid.
Valliſnerius. Antonius. Viperinos morſus Melitenſi terra inutiliter curat, & quare? IX. §. 32. & ſeqq.
Ventus Typhonicus. VII. §. 3. Ventorum nomina, & poſitiones apud veteres Auctores. ibi. §. 14. & ſeqq. Venti plures uno eodemque tempore perflantes. ibi. §. 35.
Veritatis oratio qualis. P. §. 12.
Verres. Cajus. Veſtem in Melita texendam curavit. D. §. 4. Mellis amphoras CCCC. hinc ſuſtulit. ibid. a Siculis repetundarum poſtulatus. XV. §. 8.
Veſta igne perpetuo ab Ethnicis culta, & quare? IX. §. 14.
Via Appia lapide ſtrata, & ſpatioſa. XIII. §. 6.
Victoriæ a Melitenſibus reportatæ. D. §. 17. 19. 29.
Victorioſa Melitæ Urbs. D. §. 17.
S. Vigilius angues e Tridentino Epiſcopatu arcet. IX. § 2.
de Vignancourt. Alophius. M. Magiſter Ord. Jeroſol. D. §. 3. & 28.
Villiers. Philippus. M. Magiſter Ord. Jeroſ. D. §. 17.
Viperæ magnam ad Solem Sympathiam habent. I. §. 4. Anne cibos appetant venenatos? ibi. §. 8. Vivunt plures menſes in pyxidibus ſine cibo. ibid. An vino ad ſepes diſpoſito capiantur? ibi. § 15. Diutius in aqua, quam in vino vivæ ſervantur. ibid. Viperæ inſulanæ non omnes innocuæ. IX. §. 15. & ſeq. Viperarum venenum an ſit adſcititium? Nec morſu lædant, niſi irritatæ? ibi. §. 17. & ſeqq. In quanam viperæ parte reſideat ejus venenum? §. 19. Viperæ in Arabia odoratis depaſtæ veneno carere dicuntur. ibi. §. 8. Viperæ exitiales ad Melitam ex aliis regionibus invectæ. §. 23. Vipera, quæ Apoſtoli manum momordit, non fuit Ammodytes, ut perperam opinatur Adverſarius.

ſarius. §. 25. & ſeq. Viperæ non pariunt ova, ſicut ceteræ ſerpentes, ſed animal. §. 25. Viperæ gravidæ; an earum carnes ingredi debeant in compoſitionem Theriacæ? Ibid. Præſentaneam necem afferentes. §. 27. Montanæ nocentiores nemoralibus. §. 34. An viperæ caput filo ſerico carmeſino appenſum collo angina laborantis, ei ſanitatem reddat? §. 33. Viperæ Rhinocerotes in Ægypto. X. §. 26. N. a.

Ulyſſis e Melita ad Corcyram navigatio. VII. § 34.

de Urrea. Carolus. Epiſcopus Melitæ. S. §. 53.

Uſque ad ravim. II. §. 2.

Utrem mergere vento plenum. II. §. 3.

Walthirk. Balthaſſar: electus in Meliten. Epiſcopum. S. §. 55.

S. Willelmus ſerpentes e Lemani lacus ripa exterminat. IX. §. 2.

Vulponus. Antonius. Meliten. Epiſcopus. S. §. 21.

X

Ximenes. Joh. Epiſcopus Meliten. S. § 30.

Xylander. Guilelmus. Defenditur. II. §. 4.

Y

Yvica, ſive Ebuſus: venenatorum animantium expers. IX. §. 11.

Z

Zammit. Fr. Joſeph. Laudatur. X. §. 1. N. b.

Zelandia quid ſonet? X. §. 16. N. a.

Zelandi iidem, quos Tacitus Mattiacos dixit. ibid.

Zephyrinus. Habundius. XVI. §. 8.

Zirizæa, antiqua Zelandiæ urbs. X. §. 16. N. a. Ejus portus arenarum congerie obſtructus. ibid.

FINIS.

A01 1470312

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google